BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLVII
C
23
NAPOLI

Digitized by Google



Digitized by Google

XLVII
C
13

Digitized by Google

Digitized by Google

ALTERA CONTINUATIO

PARTIS SECUNDAE
TOMI PRIMI

DEMONSTRATIONIS

HISTORIAE ECCLESIASTICAE

QUADRIPARTITAE.

[library stamp]

Digitized by Google

INDICULUS

TABULAE TERTIAE SAECULI PRIMI

SIGNATAE A. 7. A. 8. A. 9. A. 10.

1. CHristi Imago inter duos flores. Euſebius lib. 7. *Hiſt. Eccleſ.* cap. 18. teſtatur, ſe Chriſti pictas imagines ad ſuam uſque aetatem religioſe ſervatas vidiſſe. Sanctus Irenaeus lib. 1. adverſus Haereſes cap. 24. de Gnoſticis loquens, *etiam* (inquit) *imagines quaſdam quidem depictas, quaſdam autem & de reliqua materia fabricatas habent, dicentes, formam Chriſti factam a Pilato illo in tempore, quo fuit Jeſus cum hominibus.* Et S. Epiphanius Haereſi 27., quae eſt Carpocratianorum, §. 6. ſcribit: *habent porro depictas coloribus imagines, quidem etiam aureas, aut argenteas, vel ex alia materia factas, quas eſſe Jeſus effigies affirmant, eaſdemque a Pontio Pilato ad Chriſti ſimilitudinem effictas, quo tempore inter homines degebat.* Paria habet S. Auguſtinus in lib. *de Haereſibus ad*

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

ad Quodvultdeum cap. 7. Accurate vero deſcribitur forma Chriſti in Epiſtola *Lentuli* neſcio cujus, apud Joannem Albertum Fabricium, *in Codice Apocrypho* Novi Teſtamenti Tom. 1. pag. 301., & a Nicephoro Calliſto lib. 1. cap. 40. qui ejuſdem Servatoris noſtri lineamenta a Veteribus accepiſſe ſe ſtatim initio profitetur, ut legentium fidem ſibi conciliet. Non adhibet quidem fidem ei Cl.Serry Exer. 47. §. 1. *quod nullos*(inquit)*ex nomine appellaverit,nec appellare vere potuerit; cum nulli unquam tam accurati, tamque diligentes Chriſti delineatores tota retro antiquitate inventi ſint.* At id qui affirmare certo velit, neceſſe eſt, ut totam non ſolum antiquitatem prae oculis habeat, ſed etiam omnia, ea de re, monumentua jam prodiiſſe in lucem, aut adhuc non latere in Cimeliis probe ſciat. Ego itaque Nicephori teſtimonio quamvis non acquieſcam, quia tamen orbiculos vitreos Coemeteriales a Boſio, Aringhio, & Bonarrotio in tabulis ex ære inciſos intueor, nihil eis detraho fidei, cum proculdubio antevertant tempora Conſtantini Magni. Non ergo penitus ignoratur, ut putat idem Serry in allegata Exercitatione 47. §. 2. & 7. *ubinam extent hodie, viſae ab Euſebio pictae Chriſti imagines, & an ad vivum expreſſae fuerint*. Scio quidem eun-

Ttttt 2 dam

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

dem Euſebium, Conſtantiae Licinii uxori, petenti ut mitteret ad ſe imaginem Chriſti, reſpondiſſe, id, quod petebat, fieri non poſſe. Nec me latet, S. Auguſtinum lib. 8. *de Trinitate* cap. 8. ſcribere, *ipſius Dominicae facies carnis innumerabilium cogitationum diverſitate variatur, & fingitur, quae tamen una erat, quaecumque erat*. At quis non videt, Auguſtinum ibi loqui de variis illis Chriſti imaginibus, quae aetate ſua ſibi animo quiſque fingebat; & Euſebium ita reſpondiſſe Auguſtae feminae, quia profitebatur Sectam Theopaſchitarum. Porro idem Euſebius loquens de Statua Chriſto poſita in urbe Paneade ab Haemorrhoiſſa, haec ſcribit lib. 7. *Hiſt. Eccleſ.* cap. 18. *Sed quandoquidem hujus Urbis* (Paneadis, ſeu Caeſareae Philippi) *mentionem fecimus, non incongruum fuerit rem quamdam memoria in primis dignam poſteris tradere. Etenim mulierem illam ſanguinis profluvio laborantem, quam ex Sacris Euangeliis diſcimus a Servatore noſtro curatam fuiſſe, ex hac Civitate originem traxiſſe ferunt, domumque ejus ibidem conſpici, & collati in eam a Servatore noſtro beneficii illuſtria extare monumenta. Quippe juxta januam domus illius aenea mulieris effigies ſtare dicitur, columnae lapideae impoſita, genibus flexis,*

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

flexis, protenſiſque manibus inſtar ſupplicantis. Ex adverſo autem effigies Viri ex eodem metallo conflata ſtantis, ac diploide decenter induti, manumque mulieri porrigentis. Ad cujus pedes in ipſa baſi ignota quaedam naſci dicitur planta, quae ad fimbriam uſque aeneae diploidis aſſurgens, depellendis omnis generis morbis praeſentiſſimum remedium eſt. Hanc ſtatuam, Jeſu Chriſti ſpeciem referre ajebant. Manſit porro ad noſtra uſque tempora, noſque adeo Urbem illam ingreſſi, ipſam conſpeximus. Nec vero mirandum eſt, Gentiles a Servatore noſtro beneficiis affectos haec praeſtitiſſe; cum & Apoſtolorum Petri, & Pauli, CHRISTIQUE IPSIUS pictas imagines ad noſtram uſque memoriam ſervatas in tabulis viderimus. Quippe priſci illi abſque nullo diſcrimine cunctos de ſe benemeritos Gentili quadam conſuetudine tamquam Servatores colere hujuſmodi honoribus conſueverunt. Euſebio concinit S. Aſterius Amaſenus, qui apud Photium in Bibliotheca Codice 271. pag. 1507. ſcribit, Chriſtum aenea Statua ab Haemorrhoiſſa in Urbe Paneade donatum, *& ſtatuam per multos annos duraſſe, ad redargutionem eorum, qui Euangeliſtis mendacium adſcribere audebant,* non tamen ſtetiſſe ad ſua uſque tempora, hoc eſt uſ-

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

uſque ad annum Chriſti 400. quo haec ſcribebat. Eam enim everti frangique Julianus Apoſtata juſſit. Vide Rufinum lib.7. cap.14, Philoſtorgium lib. 7. cap. 3., & Sozomenum lib. 5. cap. 21. Antipater quoque Boſtrenſis in Arabia Epiſcopus, qui medio circiter Saeculo Quinto floruit, & ſcripſit *Refutationem Apologiae Euſebii Caeſarienſis pro Origene*, ejuſdem Statuae teſtis eſt clarus: cujus teſtimonium recitavit Gregorius Diaconus Actione IV. Concilii Nicaeni II. (Oecumenici VII). Sanctus etiam Gregorius hujus nominis Secundus in Epiſtola ad Germanum Epiſcopum Conſtantinopolitanum, & Sanctus ipſe Germanus in Epiſtola ad Thomam Epiſcopum Claudiopoleos, poſitum ab illa femina monumentum, (ut eſſet indicium grati animi erga Chriſtum) laudant atque commendant. Demum Epiphanius Diaconus coram Patribus memorati Concilii Nicaeni II. Act. 6. aſſeveranter pronuntiavit, hiſtoriam Statuae, ab Haemorrhoiſſa Chriſto poſitae, ex diverſis Hiſtoriis teſtimonium habere, & multis Scriptoribus confirmari poſſe; ut legitur apud Labbeum Tom. VII. Concil. pag. 451. & 838. item p. 207. & 363. Conſulantur ex recentioribus Viri Clariſſimi Auguſtinus Calmet in Diſſertatione *de forma Jeſu Chriſti*, praepoſita Commentariis

in

in Eſaiam, Sandinus *Hiſtor. Familiae Sacrae* cap. 18, Natalis Alexander Saeculo VIII. Diſſert. VI, Ludovicus Card. Vincentius Gotti in *Vera Eccleſia* Tom.II.parte 2. articulo 16, Archipraeſul Evodius Aſſemanus mei amantiſſimus Tom. II. *Actorum SS. Occident.*pag.167.& Commendator Franciſcus Victorius R.P.Vincentii noſtrae Congregationis Oratorii Romani Praepoſiti vigilantiſſimi frater, in egregio Opere, cui fecit titulum, *Nummus Æreus Veterum Chriſtianorum*, p. 4. De floribus vero expreſſis in vitro Coemeteriali,quod heic illuſtramus,audi Tertullianum: *quid tibi*(inquit)*cum flore mortifero? Habes florem ex virga Jeſſe, ſuper quem tota Divini Spiritus gratia requievit, florem incorruptum, immarceſcibilem, ſempiternum.*

2. Vas vitreum Coemeteriale deauratum, cum imagine Boni Paſtoris ovem humeris geſtantis. Extat apud Bonarrotium Tab. v. fig. 1. in Opere, cui fecit titulum *Oſſervazioni ſopra alcuni frammenti di Vaſi antichi di vetro*. Tertullianus, jam Montani erroribus irretitus, in Libro *de Pudicitia* cap. 7. falſo Catholicos carpens, qui lapſis in capitalia ſcelera, ſi reſipuiſſent, veniam concedendam pugnabant, ait: *a parabolis licebit incipias, ubi eſt ovis perdita a Domino requi-*

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

quiſita, & humero ejus revecta. Procedant ipſae picturae calicum veſtrorum, ſi vel in illis perlucebit interpretatio pecudis illius, utrumne Chriſtiano, an Ethnico peccatori de reſtitutione colliniet: & cap. 10. *cui* (libro, qui inſcribitur *Paſtor*) *ille ſi forte patrocinabitur Paſtor, quem in calice depingis proſtitutorem, & ipſum, Chriſtiani ſacramenti merito, & ebrietatis Idolum, & Moechiae aſylum, poſt calicem ſubſecuturae, de quo nihil libentius bibas, quam ovem poenitentiae ſecundae. At ego ejus Paſtoris ſcripturam haurio, quae non poteſt frangi*: & S. Hieronymus in Comment. in Jonam cap. 4. ait: *timuit videlicet, ne, ſi pro cucurbitis hederae naſcerentur, unde occulte & tenebroſe biberet non haberet: & revera in ipſis cucurbitis vaſculorum, quas vulgo ſaucomarias vocant, ſolent Apoſtolorum imagines adumbrari*. Datum noſtris vitio ab Ethnicis eſt, quod publicis conviviis adeſſe recuſarent; quare Caecilius apud Minucium in Octavio pag. 106. Chriſtianos ſic alloquitur: *convivia publica abſque vobis*. Fas enim non eſſe ajebant Paſtores animarum ei, qui Chriſto nomen dediſſet, ejuſmodi conviviis intereſſe, in quibus omnia plena ſuperſtitionibus, luxu, impudicitia, ebrietate. Erant tamen & noſtris convivia;

ſed

ſed ſobria pudica, caſta, atque ejuſmodi, quae gravitatem, modeſtiam, pietatemque praeſeferrent; ut convivales acclamationes, imagineſque Jeſu Chriſti, & Sanctorum, in bracteatis vitris coemeterialibus expreſſae, de quibus heic, & infra multa ſcribenda erunt, ſatis ſuperque teſtantur. Tertullianus in Apologetico cap. 39. *Coena noſtra de nomine, rationem ſui oſtendit. Id vocatur* ἀγάπη, *id quod* dilectio *penes Graecos eſt. Quotieſcumque ſumtibus conſtet, lucrum eſt, pietatis nomine facere ſumtum: ſiquidem inopes quoſque refrigerio iſto juvamus, non qua penes vos paraſiti affectant ad gloriam famulandae libertatis ſub auctoramento ventris inter contumelias ſaginandi, ſed qua penes Deum major eſt contemplatio mediocrium. Si honeſta cauſa eſt convivii, reliquum ordinem diſciplinae de cauſa aeſtimate, qui ſit de religionis officio. Nihil vilitatis, nihil immodeſtiae admittitur: non prius diſcumbitur, quam oratio ad Deum praeguſtetur: editur quantum eſurientes cupiunt: bibitur quantum pudicis eſt utile: ita ſaturantur, ut qui meminerint etiam per noctem adorandum ſibi Deum eſſe: ita fabulantur, ut qui ſciant Dominum audire. Poſt aquam manualem, & lumina, ut quiſque de Scripturis Sanctis, vel de proprio in-*

genio poteſt, provocatur in medium Deo canere: hinc probatur, quomodo biberit. Aeque oratio convivium dirimit. Inde diſceditur, non in catervas caeſionum, neque in claſſes diſcurſationum, nec in eruptiones laſciviarum, ſed ad eandem curam modeſtiae, & pudicitiae, ut qui non tam coenam coenaverit, quam diſciplinam. Paria habet laudatus Minucius *in Octavio* pag. 308. edit. an. 1672. *Convivia* (inquit) *non tantum pudica colimus, ſed & ſobria. Nec enim indulgemus epulis, aut convivium mero ducimus, ſed gravitate hilaritatem temperamus.* De virga, quam Paſtor Bonus geſtat in noſtro vitro, loquitur Sanctus Gregorius Nazianzenus Orationibus 19. & 42., de exomide vero, qua induitur, adeundus Feſtus, verbo *exomides*, & Salmaſius in Tertullianum *de Pallio* pag. 213. Legitur ad oram ejuſdem vitri, *Concordi bibas in pace Dei*, quae verba Paſtorem Bonum, DEUM eſſe praedicant. BIBAS, pro VIVAS, ſaepe occurrit in vitris, atque lapidibus, uti etiam BIBUS, pro VIVUS, ac SE BIBO, pro SE VIVO, ſicut videre licet apud Gruterum, Sponium, Reineſium, Gudium, Fabrettum, Gorium, Muratorium, & Maffejum in Inſcriptionibus. In alio vitro apud Boldettum lib.2. cap.4. p.514. legitur, HILARIS VIVAS CVM

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

CUM TUIS OMNIBUS SEMPER IN PACE DEI, in quo Petrus, Paulus, Chriſtus. Paſtorem Bonum humeris geſtantem ovem, exhibet etiam ex aliis vitris idem Bonarrotius Tab. IV. n. I. & 2. ac Tab. V. num. 2. Similia eorum ſunt, quae profert Cl. Boldettus pag.200. num.10. & 11. ac p.212. nu.2. Viſitur quoque Bonus Paſtor in lucernis, in ſarcophagis, in parietibus, & in gemmis perantiquis. Conſule eruditiſſimum Mamachium *Originum & Antiquitatum Chriſtianarum* Tom. 3. lib. 3. pag. 76. & ſequentibus, ubi plura de hoc argumento congeſſit, & tabulis ex ære exhibuit, ex Caſalio, ex Liceto, ex Petro Sancte Bartholo, ex Boſio, ex Aringhio, ex Boldetto, ex Muratorio, atque ex Muſeo Victorio.

3. Vitrum, in quo Chriſtus e Caelo coronas imponit capitibus SS. Apoſtolorum Petri,& Pauli, cum inſcriptione acclamationis convivalis DIGNITAS AMICORUM PIE ZESES CUM TVIS OMNIBUS BIBE ET PROPINA, de qua plura erudite ſcribit Clariſſimus Bonarrotius in Opere ſupra allegato Tab. XV. figura 2. pag. 97. & ſeq. Petrus, & Paulus, ut, poſt alios SS. Patres, Concilium Romanum an.494. a S.Gelaſio Papa celebratum teſtatum reliquit, *non diverſo, ſicuti hae-*

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

reticigarriunt, ſed uno tempore, uno eodemque die glorioſa morte coronam martyrii percepe-runt. Tertullianus (alludens, ut auctor vitri, ad Epiſtolas S. Pauli *ad Timotheum II.* cap. 4. verſ. 7., & *ad Corinthios* cap. 9. verſ. 24.) ſcribit in lib. *de Corona* cap. 3. *Igitur & homo ipſe a Deo coronandus eſt*: & in lib. *ad Martyres* cap. 3. *Bonum agonem ſubituri eſtis, in quo Agonothetes Deus vivus eſt, Xyſtarches Spiritus Sanctus, Corona aeternitas* (lege *corona, aeternitatis*) *bravium*; *Angelicae ſubſtantiae, politia in Caelis, gloria in ſaecula ſaeculorum. Itaque Epiſtates veſter Chriſtus Jeſus, qui vos ſpiritu unxit.* Nunc vero de vitris Veterum, in quibus, ut in noſtro, Chriſtus coronam oſtentans, aut capiti Sancti alicujus imponens viſitur, eſſet ſcribendum. Sed vide Bonarrotium Tab. xv. fig. 1. & Tab. xviii. fig. 1., Boldettum Tab. xxviii. pag. 205. num. 32., & hanc noſtram Tabulam Tertiam num. 20., quam nos heic delineandam curavimus ex Aringhio *Romae Subterraneae* Libro Quarto cap. 37. pagin. 265. In alio antiquo vitro apud laudatum Bonarrotium Tab. XVII. figur. 1. legitur, DIGNITAS AMICORUM VIVAS CVM TVIS FELICITER. τὸ DIGNITAS, forte *convivium* ſignificat,

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

ſicat, ut in Actis Martyrum Scillitanorum apud Ruinartium pag.7. in quibus legitur, *Imperatori honorem, & dignitatem* (intellige convivium in die Natali Imperatoris) *dare recuſantes*. Propinare, eſt praebibere, ſeu praeguſtato leviter vino, poculum alteri offerre, a verbo Graeco προπίνω. Haec conſuetudo a Graecis originem habuit. Nam Principes Graeciae ſolemni die, quem *Philotheſiam* vocabant, miſcere aureis atque argenteis poculis vina ſolebant, quae e manu geſtantium ſumebant; ingens hoc argumentum benevolentiae exiſtimantes. Uſurpatur tamen etiam pro ante bibere, & ſic amicos invitare ſignificat ad bibendum. Cicero I. *Tuſc.* cap. 4. *quo ſonitu reddito, arridens, propino, inquit, hoc pulchro Critiae: Graeci enim in conviviis ſolent nominare, cui poculum tradituri ſint*. Aliud Vitrum Coemeteriale editum ab Aringhio *Rom. Subter.* lib. 4. cap. 37. pag. 265. (quod erat Franciſci Gualdi), extat in hac noſtra Tab.III. num.20. In eo vir, ac femina apparent, quos conjuges eſſe cenſeo. Horum capitibus, Chriſtus coronas imponit. Inſcriptio habet CHRISTVS . LVCIFER VIVAS CVM TVIS FELICITER ZESES SIRTCA. Luciferi nomine Chriſtum indicari putat Aringhius. Ego vero Mariti nomen Luciferum eſſe

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

eſſe opinor. Conſule Muratorium *in Novo Theſ. Vet. Inſcript.* Tom. 4. Claſſe 25. pag. 1905., qui duas exhibet Inſcriptiones, ex quibus conſtat, idem nomen fuiſſe apud Chriſtianos in uſu. *SIRTCA autem* (inquit Cl. Mamachius *Originum & AntiquitatumChriſtianarum* Tom. 3. lib. 3. pag. 73.) cur non dici poſſit uxor, non video. Quot enim nomina perrara in Epigrammatibus ſepulcralibus Chriſtianorum viſuntur apud Boldettum pag. 475. & ſequentibus? At fortaſſe Siricam pingere imperitus artifex voluit. Quod nomen occurrit non ſemel in corpore Gruteriano. Lege ergo, *Chriſtus. Lucifer vivas cum tuis feliciter: Vivas* (ex conjunctivo ζήσῃς) *Sirica*. Narrat Xiphilinus in Commodo, ei populum inclamaſſe, dum biberet in Theatro, ζήσειας, *vivas*. Servius lib. 3. Aeneidum num. 47. *Illud*, inquit, *quaeritur, utrum vive, an vivas, ideſt utrum per imperativum, an per optativum dicere debeamus; & conſtat, dici melius per optativum: optari enim poſſunt, non imperari bona, vel adverſa*. In Epigrammate Agatiae *Antolog.* lib. 2. cap. 47. ep. 22. legitur, πῖνε γέρον καὶ ζῆθι: *bibe ſenex, & vivas*, & in alio, quod extat in libro Veterum Poetarum in Appendice, relato a Bonarrotio pag. 206,

Dul-

Dulcis amice bibas gratanter munera Bacchi,
Si vivas, totus dulcis amice bibas.

Haec igitur convivalis acclamatio PIE ZESES (BIBE VIVAS) vel PIETE ZESETE (BIBITE VIVATIS) quae ſaepe legitur in vitreis Vaſculorum Chriſtianorum fragmentis bracteis aureis depictis, apparet etiam in ſcyphis Ethnicorum. Extat Vitrum antiquum apud Fabrettum *Antiq. Inſcript.* cap. 7. pag. 539. in quo tres Gratiae repraeſentantur, adpoſitis cuique ſuis nominibus, cum epigraphe PIETE ZESETE MVLTIS ANNIS VIVATIS, quod profecto Chriſtianum non eſſe, nemo in dubium revocabit. Quare mirari ſubeſt (inquit Vir Cl. Commendator Franciſcus Victorius in Epiſtola ad Lectorem, quam praefixit egregio Opuſculo *de Monogrammate Sanctiſſimi Nominis Jeſu*, p. XI.) quod laudatus Fabrettus cap. 8. pag. 594. ſacrum cenſuerit parvulum amuletum *figurae manus*, quae teſſeram oſtendit, cum Inſcriptione ZHCEC, *zeſes*, quaſi nomen JESVS praeferat; cum teſſera Gentium ſit, & explicari debeat VIVAS. Extat & in Muſeo ejuſdem Victorii vitrum antiquum item auro bracteatum, in quo imago Viri Illuſtris expreſſa, cum Lato-clavo, in cujus orbe legitur SERBVLE. PIE. ZESES. HILARES. OMNES, nempe *Ser-*

Servule bibe, vivas. Hilares omnes. Eadem acclamatio ZHCAIC viſitur etiam in eodem Muſeo carneolae annulari inſcalpta, quam ſcite cum xeniis reponendam duxit, quae amicis in Saturnalibus, aliiſque jucundioribus anni diebus in conviviis, aut ſalutationibus, pro ſtrena, gemmis etiam ad id caelatis, dari mos erat. His adde quae ſcribit Doctiſſimus Lupius in animadverſionibus ad Severae Martyris epitaphium §. 9. pag. 192. & 193.

4. Vitrum Coemetriale, in quo duo viri cernuntur, quos Principes Apoſtolorum eſſe reor. Eos inter columna aſſurgit, cum Monogrammate compoſito duabus literis Graecis X & P, quae junctae hoc modo ☧, Chriſti nomen ſignificant. Huic fere ſimilem paterae vitreae fundum incorrupto ſanguine obductum vulgavit Boldettus lib. 1. cap. 39. Tab. 3. num. 2. pag. 194. In eo ſiquidem fundo, ſive ima parte, pictae ſunt item imagines SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, media inter eos adſtante columna, in cujus vertice Chriſti pariter Monogramma ſtatuitur. Ideo autem Chriſti nomen in ſublimi adumbratur in utroque vitro; quia nimirum ad illud Apoſtoli *Philippenſium* c. 2. verſ. 9. pictores reſpexiſſe videntur, quo edoceremur, Chriſto do-

na-

natum *nomen*, *quod eſt ſuper omne nomen*, *ut in ejus nomine omne genuflectatur* . Monogrammatis origo non a Conſtantini temporibus, ſed ab Apoſtolorum aetate petenda eſt; ut diſertiſſime oſtendunt Jacobus Gretſerus, Juſtus Lipſius, Antonius Boſius, Laurentius Pignorius, Jacobus Boſius, Paulus Aringhius, Raphael Fabrettus, atque noviſſimus omnium Cl. Praeſul Dominicus Georgius in Diſſertatione *de Monogrammate Chriſti Domini* adverſus Jacobum Baſnagium, qui, dum alteram editionem Hiſtoriae Judaicae, Gallica lingua pridem a ſe anno Domini 1706. editae, auctiorem ſecundis curis anno Domini 1716. vulgavit, venerandi hujus Chriſti nominis antiquitatem, religionemque evertere (ſed fruſtra) conatus eſt lib. 3. cap. 23. §. 3. pag. 617. ſcribens: *Nil poſt Conſtantinum notius eſt, quam Jeſu Chriſti Monogramma. Attamen nemo ſe decipiat: Gentiles enim eo quoque uſi ſunt*. Philippus Bonarrotius Senator Florentinus magni nominis, meique, dum ſenex viveret, amantiſſimus, cenſet in Praefatione ad Opus egregium *Obſervationum in fragmenta Vitreorum Vaſculorum in Romanis Coemeteriis reperta*, pag. 13. & 14. in Oriente id ſignum originem habuiſſe, ubi primum Fideles *Chriſtiani* vocari coeperunt,

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

quo quidem nomine, tanquam ſymbolo, in literis Eccleſiaſticis uterentur. Huc referendum illud Joannis Apocalypſeos cap. 7. verſ. 2. ubi ſignum Electorum, *ſignum Dei vivi* dicitur; huc illud cap. 14. verſ. 1., ubi Electi comitantes *Agnum*, habebant in frontibus ſcriptum *nomen ejus*, *& nomen Patris ejus*: quae (ut ſcite obſervat Cl. Georgius) ſi cum Signo, de quo Ezechiel cap. 9. verſ. 4. 6., conferantur, apprime Chriſti Monogrammati accomodari dicemus. Viſitur hoc Monogramma ante Conſtantini tempora in ſepulcrali lapide *Marii Militis* paſſi ſub Hadriano Imperatore, & *Alexandri Martyris* ſub Antonino Pio, quorum epitaphia exhibentur in noſtra Tab. I. Saec.II. num. 1. & 3. Scalptum quoque fuit in tumulo *S. Caji Papae*, martyrio functi ſub Diocletiano, ut viſum fuit, & repertum, cum ejus reliquiae inventae ſunt in Coemeterio Calliſti anno Domini 1622. die 21. Aprilis, cujus Inventionis memoriam erudito Commentario illuſtravit Caeſar Becillus noſtrae Congregationis Oratorii Presbyter, & perſtrinxit breviter noſter item Aringhius lib. 3. cap. 11. pag. 454. & lib. 6. cap. 43. pag. 642. Appoſitum etiam fuit Epitaphio *S. Primitii*, a nobis Tab. I. Saec. I. n. 20, & ab eodem Aringhio lib. 3. c. 22. alla-

allato, ubi *fortiſſimus Martyr* appellatur; & Vaſculum cum ſanguine reconditum, elogiumque Martyris, *Primitium* inter Perſecutionum procellas caeſum fuiſſe, dubitare non ſinunt. Duo alia quoque inſignia monumenta Fabrettus *Inſcriptionum* cap. 10. pag. 738. 739. profert, in quorum altero *Ermetis Martyris nomen*, interjecto Monogrammate, exhibetur; in altero vero ex ſchedis Barberinis exſcripto, & Martyris nomen legitur, & Monogramma inter literas A, & Ω medium eſt. His addatur alter ſepulcralis lapis, hoc ſacratiſſimo ſymbolo praefulgens, e Coemeterio Priſcillae, dum in vivis ageret Marcus Antonius Boldettus, effoſſus, & ab eodem editus *Obſervat. ad Coemeteria Sacra* lib. 2. cap. 4. pag. 370. In loculo autem erant oſſa cujuſdam *Laurentii Martyris*, incluſa pariter in ejus urnula, ampulla cum ſanguine, quo, vel ipſis haereticis fatentibus, tanquam firmiſſimo argumento, martyrium deſignatur. In quo quidem lapide, (ut animadvertit idem Praeſul Dominicus Georgius in Opere mox laudato, a quo iſthaec mutuati ſumus) monogramma conſpicitur, & ad latus malleolus, cum cultro, quae inſtrumenta (inquit) ideo videntur impreſſa, ut ſignificaretur, *Laurentium* veluti Chriſti

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

 victi-

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

victimam, Deo fuiſſe mactatum; & hoc pacto deriderentur Gentiles, qui malleo, & cultro in mactandis victimis utebantur. Ego tamen Martyrem iſtum Sanctiſſimum, unum ex Foſſoribus fuiſſe puto, quos ſaepe rabies Perſecutorum occidit, quoſque videre licet apud Boſium, Aringhium, & Boldettum.

5. Vas vitreum Coemetriale, cum imaginibus Simonis, & Joannis. Fabrettus *Inſcript.* cap. 8. pag. 594. meminit hujus vitri; in quo, cum SIMON dextram, & JOANNES ſiniſtram occupent; in eam ivit ſententiam, ut Petrum, qui antea vocabatur Simon Jonae, ſeu Joannis filius, vitrum repraeſentet. Ego vero Simonem Apoſtolum exhibere potius credam, quem Matthaeus, & Marcus Cananaeum appellant, Lucas vero Zelotem. Hic autem alius ne ſit ab Simone, qui proximus poſt Sanctum Jacobum Hieroſolymorum Epiſcopus extitit, atque ab Simone fratre Domini, ex Sacra Scriptura quidem id non liquet. Satis tamen argumenti Euſebius praebet, ut Simonem Apoſtolum credamus, ab utroque fuiſſe diverſum. Etenim cap. 31. libri 3. *Hiſt. Eccleſ.* narrat mortem Joannis, qui Apoſtolorum omnium poſtremus, Epiphanio teſte, deceſſit; & cap. 32. de Simone (ſeu Simeone) Epiſcopo Hieroſolymorum narrare inci-

cipit, eumque Chriſti diſcipulum tantum fuiſſe probat, tum ex longinquitate aetatis ejus, tum ex eo, quod in Euangelio legitur de Maria Cleophae, ejus fuiſſe filium. Si autem alius eſt a Simone Antiſtite Hieroſolymorum, neceſſe eſt, ut alius etiam ſit a Simone, qui a Matthaeo cap. 13. verſ. 55., & a Marco cap. 6. verſ. 3. dicitur fratrer Domini; cum unus & idem ſit Simon frater Domini, ac Simon Antiſtes Hieroſolymorum. Nam Euſebius lib. 3. cap. 11., & Hegeſippus apud eundem lib. 4. cap. 22. teſtantur, Simonem filium Cleophae, & conſobrinum ac proinde fratrem Domini Salvatoris, Eccleſiae Hieroſolymitanae in locum Jacobi praepoſitum fuiſſe. Adde his Theodoretum, qui in Pſal. 66. verſ. 28. docet, fratres Domini fuiſſe ex Tribu Juda, Simonem vero Apoſtolum ex Tribu Zabulon, aut Nephthali. Adde etiam Bedam, qui *Retract. in Act.* cap. 1. id revocat, quod poſuerat pro certo, eundem fuiſſe, Simonem Apoſtolum, & Simonem, qui Epiſcopus in locum S. Jacobi ſuffectus eſt, ut ſcribit Sandinus *Hiſtoriae Apoſtolicae* pag. 208. & ſeqq. Sed ut nihil intactum reliquamus, notandum, quod Cl. Bonarrotius Tab. 14. fig. 3. *de iſto Simone*, qui, ſit dubitet; quoniam nullum invenit in Martyrologiis hoc

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

hoc nomine appellatum Romanum Martyrem. At, ut animadvertit P. Mamachius *Originum & Antiquitatum Chriſtianarum* Tomo 3. pag. 88. ſi Stephanum pinxerunt in vitris Romani (ut videre licet apud eundem Bonarrotium Tab. 17. fig. 1.), quid impediebat, quominus etiam Simonem Apoſtolum, aut Simonem, cui *Niger* cognomen erat, manuſque Paulo impoſuit (*Actor. cap. 12. verſ. 1. & ſeqq.*) pingerent? Sed non vult ipſe conjecturis indulgere. Itaque de Simone nihil ſtatuit. Ego vero Apoſtolum fuiſſe puto. Exſtat enim in alio vitro apud Boldettum idem Simon, una cum Philippo, Dama, & Petro, pag. 201. Fig. 18. Mihi quoque ea ſententia videtur ad veritatem propenſior, quae ſtatuit, Joannem Apoſtolum & Euangeliſtam (qui Romae verſatus eſt, & in ferventis olei dolio bibit calicem confeſſionis), eum ipſum eſſe, quem vitrum iſtud exhibet. Inſcriptio acclamationis convivalis, quae in ejus peripheria legitur, & habet, DIGNITAS AMICORVM PIE ZESES, extat etiam in fundo vitrei ſcyphi, Adamum & Evam exhibentis, apud Bonarrotium Tab. 1. num. 2., & in alio, de quo ſupra in Indiculo num. 3. Quam acclamationem cum diligenter inquiſiſſem, tandem reperi id, quod ad for-

formulam explicandam magis opportunum eſſe videbatur. Legeſis eundem numerum tertium hujus Indiculi. Indiculus Tabulae III Saeculi I.

6. Ecce aliud vitrum Coemeteriale, in quo, ni fallor, exprimitur S. Felicitas cum ſeptem filiis ſuis. De ea S. Gregorius Magnus in Homilia 3. ſuper Euangelia haec literis commendavit: *Adeſt Beata Felicitas, cujus hodie Natalitia celebramus, quae credendo, exſtitit Ancilla Chriſti; & praedicando, facta eſt Mater Chriſti. Septem quippe filios, ſicut in Geſtis ejus emendatioribus legitur, ſic poſt ſe timuit vivos in carne relinquere; ſicut carnales parentes ſolent metuere, ne mortuos praemittant*. Et infra, *in perſecutionis enim labore deprehenſa, filiorum corda in amore ſupernae Patriae praedicando roboravit..... ſeptem pignoribus ad Regnum praemiſſis, toties ante ſe mortua: ad poenas prima venit, ſed pervenit octava*. Hanc autem Beatae Felicitatis conſtantiam multis laudibus extollit in eadem Homilia Sanctiſſimus Pontifex, ubi eam non modo Martyrem, ſed *pluſquam Martyrem*, & *ultra Martyrem* appellari debere probat; utpote quae in filiis ſuis multiplex martyrium ſuſtulerit. Eadem fere antea dixerat S. Petrus cognomento Chryſologus, Epiſcopus Ravennas Sermone 134. *Di-*

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

134. *Diſcurrebat*, inquit, *laetior inter conſſa cadavera, quam inter cunabula cara filiorum; quia internis oculis tot cernebat bravia, quot vulnera, quot tormenta, tot praemia, quot victimas, tot coronas*. Olim Romae ſub ipſius Titulo (ex quo forte hoc vitrum erutum eſt) Coemeterium exſtitiſſe ait noſter Venerabilis Dei Servus Caeſar Card. Baronius in notis ad Martyrologium Romanum; de quo Coemeterio ſcribunt Boſius, Aringhius, & Boldettus lib. 2. cap. 18. pag. 570 *delle Oſſervazioni ſopra i Cimiterj de' SS. Martiri*. Feſtum S. Felicitatis, cum antiqua Martyrologia, tum etiam B. Gregorii Sacramentarium ab ejus filiorum Feſto diſtinguunt; quae Matris memoriam ad diem 23. Novembris, filiorum vero ad Julii decimum referunt: quo die eorundem memoria in antiquiſſimo Kalendario Bucheriano adnotatur. Ejus verba, cum loca, ubi ſingulorum Feſta dies celebrabatur, deſignent, huc referre viſum eſt: *Sexto Idus Julii: Felicis, & Philippi in Priſcillae; & in Jordanorum Martialis, Vitalis, Alexandri; & in Maximi, Silani (hunc Silanum Martyrem Novati furati ſunt); & in Praetextati Januarii*. In Sacramentario quoque Leoniano, quod ego primus omnium publici juris feci

in

in Prolegomenis Tomi IV. Anaſtaſii Bibliothecarii pag. xxv. titulus idem legitur: VI. IDUUM JULIARUM, NATALE SANCTORUM MARTYRUM FELICIS, FILIPPI IN COEMETERIO PRISCILLAE; VITALIS, ET MARTIALIS, ET ALEXANDRI IN COEMETERIO JORDANORUM; ET SILANI IN COEMETERIO MAXIMI VIA SALARIA; ET JANUARII IN COEMETERIO PRAETEXATI VIA APPIA. In Capitularibus Euangeliorum vetuſtiſſimis editis a Ven. Card. Thomaſio, & a Praeſule Dominico Georgio Tomo *3. de Liturgia Romani Pontificis* pag. 268. tria Euangelia (ſi excipias Capitulare Martenii, in quo unum tantum Euangelium), ac item tres Miſſae in horum Martyrum Natali die deſignantur, & quidem *via Appia*, ac *via Salaria*. Prima Miſſa, *ad Aquilonem via Salaria* dicebatur: ſecunda, *ad S. Alexandrum*: tertia, *ad S. Felicitatem*. Notitiae vetuſtae de ſacris extra Urbem locis, ut inquit laudatus Georgius in Notis ad Martyrologium Adonis ſub die x. Julii, viam nobis ad haec illuſtranda ſternent. Deſcriptio Regionum Urbis apud Mabillonium *Analect.* Tom. 4. pag. 502. num. 7. in *via Appia*, inter illos Martyres qui ibi colebantur, *Janua-*

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

rium recenſet; ac item pag. 513. Apertius vero Notitia ab Eccardo edita, in qua legitur: *juxta eandem viam* (Appiam) *Eccleſia eſt multorum Sanctorum, ideſt Januarii, qui fuit de ſeptem filiis Felicitatis major natu, Urbani, Agapiti &c.* & paullo inferius: *juxta viam Salariam Eccleſia eſt Sanctae Felicitatis, ubi ipſa corpore jacet: ibi & Silanus filius ejus, unus de ſeptem, eſt ſepultus; & Bonifacius cum multis Sanctis ibi dormiunt. Juxta eandem viam S. Saturninus cum multis Martyribus dormit, propeque ibi Sanctus Alexander, & S. Vitalis, Sanctuſque Martialis, qui ſunt tres de ſeptem filiis Felicitatis, cum multis Martyribus jacent.* Conſonat Willelmus Malmesburienſis. *De Coemeterio S. Felicitatis via Salaria*, & de Oratorio a Bonifacio Papa I. in eodem Coemeterio extructo, deque ſepulcro ejuſdem *Felicitatis, & S. Silvani* exornato, deque ſepultura ejuſdem Pontificis *via Salaria juxta corpus S. Felicitatis Martyris* liber Pontificalis in Vita ejuſdem Bonifacii Papae: ac item *de Coemeterio S. Felicitatis, & Jordanorum, videlicet Sanctorum Alexandri, & Vitalis, & Martialis Martyrum* ab Hadriano I. reſtitutis idem Pontificalis liber in Vita ejuſdem Hadriani. In *Symmacho* Papa, idem Li-

ber *Baſilicae S. Felicitatis* ab eodem Symmacho reſtitutae meminit. Idem *Simmachus*, eodem libro Pontificali teſtante, *fecit Coemeterium Jordanorum in melius, propter corpus S. Alexandri*. Nunc intelligimus, ubi hi Martyres ſepulti eſſent, & ubi Sacra Statione hac die a Romano Clero colerentur. Jo: Fronto in notis ad Kalendarium pag. 103. tres Miſſas in Capitularibus hac die praefigi admonet, unam ad *S. Felicitatem*, propter *S. Silvanum* cum ea ſepultum; aliam ad *S. Alexandrum*, propter tres alios filios ſimul conditos; aliam *ad Aquilonem*, propter alios *Via Salaria* ſcpultos. Ven. Card. Thomaſius item in notis ad Capitularia Euangeliorum pag. 183. nos docet, priorem Stationem deſignari *Via Salaria*, propterea quia Capitularia primam Miſſam *ad Aquilonem* indicant. Horum SS. Acta genuina edidit Ruinartius pag. 21. Paſſi ſunt ſub Antonino Pio anno Aerae Chriſti Vulgaris 150. Cl. Bonarrotius in Opere de antiquis Vaſorum vitreorum fragmentis, hoc, de quo ſcribimus, edidit Tabul. 20. num. 1., ac de Sancta Felicitate interpretatur, & filiis ejus; vel de ſeptem Martyribus Machabaeis.

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

7. Vitrum in Romanis Coemeteriis effoſſum, cum acclamatione convivali SALVTI

Yyyyy 2 PIE

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

PIE ZESES CVM DONATA *Saluti bibe, vivas cum Donata*. In Actis Proconſularibus Martyrum Scillitanorum editis a Ruinartio pag. 77. mentio habetur cujuſdam invictiſſimae Martyris Donatae quae dixit Proconſuli: *honorem quidem Caeſari tamquam Caeſari; Deo autem noſtro honorem, & orationem offerimus*, & capite truncata eſt. Sed nihil heic cum Donata noſtra Nobiliſſima Femina Romana, Salutii uxore, de cujus indumentis loquitur Bonarrotius Senator Florentinus in libro *delle Oſſervazioni ſopra alcuni frammenti di vaſi antichi di vetro* Tab. 21. num. 2. pag. 152. *Saluti* in vocativo caſu legitur etiam in antiquiſſimo lapide apud Fabrettum *Inſcript.* cap. 4. pag. 263. SALVTI PRISTIVE. De Familia vero *Salutia* adeundus idem Fabrettus cap. 9. Quaedam *Salutia* femina memoratur (apud Severanum noſtrum lib. 3. cap. 61. pag. 495. itemque apud Aringhium lib. 4. cap. 37. p. 287. *Rom. Subter.*) in quodam marmore eruto ex Coemeterio Priſcillae. In Novo Theſ. Vet. Inſcript. Muratorii

pag. 1337. num. 14.

Florentiae, ex Gorio.

D. M.

DONATA. H. S.

EST.

EST. VIXIT. AN
NIS. XVI. SAL
VIVS CONIVGI PI
ISSIM. FECIT.

Item pag. 1579. 13.

Romae olim apud
Franciſcum Cencium
Ex Ligorio,
Nunc Florentiae apud
Nobiles Guicciardinos
Ex Gorio.

T. CVTIO CILLI. L
NERITO
DONATA. L.
CONIVGI KARISSIMO

Quamplures aliae Donatae viſuntur in Grutero, quas heic non vocat indicare.

8. Vitrum in Romanis Arenariis repertum, cum acclamatione convivii nuptialis MARTVRA EPECTETE VIVATIS, & Chriſti Monogrammate ☧ Etiam in annulis pronubis e ruderibus Coemeteriorum effoſſis Chriſti Monogramma non ſemel obſervavi. Conſulantur Baronius in *Annal.* ad an. 57. n. 17. Aringhius *Rom. Subter.* lib. 6. cap. 50. pag. 705. & 708., atque Commendator Franciſcus

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

ſcus Victorius *in Commentario aurei Nummi Veterum Chriſtianorum* pag. 52. His autem annulis pronubis, praeter Chriſti Monogrammma, etiam quaedam lemmata, ſacrum acclamandi modum denotantia incidebantur (ut vides in noſtro Vitro, conjugium exhibente Chriſtianum), puta VIVAS, aut VIVAS IN DEO, & his ſimilia. De annulo pronubo, cum epigraphe, TECLA VIVAT DEO CVM MARITO SEO, fidem facit Petrus Gaſſendus in Vita Nicolai Claudii Fabricii Peireſckii Senatoris Aquiſextienſis lib. 4. pag. 303. In Muſeo quoque M. Antonii Anſidei S. R. E. Cardinalis, an. 1730. vita functi, exſtabat inſignis annulus pronubus ex aere, in quo Chriſti Monogramma delineatum erat, & in ejus Orbe legebatur formula, SPES IN DEO VIVAS. Hujus iconem dedit in Commentario de S. Columba pag. 78. V. C. Juſtus Fontaninus Archiepiſcopus Ancyranus. *Martura* uxor *Epicteti* heic non comparet velato capite, & dextram conjugis tenet, ut animadvertit Doctiſſimus Bonarrotius in ſaepe laudato Opere *delle Oſſervazioni ſopra alcuni frammenti di vaſi antichi di vetro* Tab. 21. fig. 3. pag. 146. & ſeqq. Volumen, quod in area prope Marturam viſitur, continet, niſi fallor, tabulas nuptiales,

ſes, de quibus Tertullianus libro 2. *ad Uxorem* ait cap. 3. *Aut numquid tabulas nuptiales die illo apud Tribunal Domini proferemus*. Qui cap. 8. ejuſdem libri ritus Matrimonii deſcribens, inquit, *unde ſufficiamus ad enarrandam felicitatem ejus matrimonii, quod Eccleſia conciliat, & confirmat oblatio, & obſignat benedictio, Angeli renunciant, Pater rato habet: nam nec in terris filii ſine conſenſu patrum recte & jure nubunt*.

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

9.) Vaſa vitrea ſanguinis plena, ad Se-
10.) pulcra Sanctorum Martyrum in-
11.) Coemeteriis Romanis appoſita, cum
12.) maximo numero reperta ſint, ma-
13.) ximam item fuiſſe SS. Martyrum
14.) multitudinem plane demonſtrant.
15.) His vaſculis in loculi externa ſu-
16.) perficie poſitis inſcriptionem in-
17.) terdum majores noſtri adjiciebant,

qua eis contineri ſanguinem Martyris, qui ibi depoſitus eſſet, ſerae poſteritati commendaretur. Vide Boldettum lib. 1. cap. 37. pag. 187. *Oſſervazioni ſopra i Cemeterj*, & Mamachium *Originum & Antiquit. Chriſtianarum* Tom. 1. lib. 2. §. 3. pag. 459. & ſeqq. Hodieque vel ipſi Haeretici non diffitentur, vaſa illa ſanguinem Sanctorum Martyrum continuiſſe. De ea namque re (ut narrat idem

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

idem Mamachius loco citato)cum vehementer Leibnitius, vir eruditus & ſumma laude Philoſophiae apud ſuos homines celeberrimus, dubitaret, ubi Romam venit, quaerendum ſibi eſſe exiſtimavit. Itaque experiri voluit, ſanguis ne illud eſſet,quod rubrum colorem praeſeferebat, an alius generis corpus. Id autem cum artis chimicae praeſidio ſolviſſet, facile cognovit, ſanguinem eſſe; idque jam non oratione ſolum, ſed ſcriptis etiam literis confeſſus eſt: quod & P. Alexandro Mazzolenio Conſobrino ſuo, noſtraeque Congregationis Oratorii Romani Presbytero rerum Philoſophicarum conſultiſſimo, Praeſul Franciſcus Blanchinus Patruus meus ſaepe narravit; quoniam & ipſe, una cum Fabretto, Leibnitiano experimento oculis bene fidis interfuit. Vide Indiculum noſtrae Tabulae I. num. 8. Vindicandorum Martyrum curam ut promoverent Romani Pontifices in Coemeteriis, providenter praeceperunt, ut adderentur indicia certa Martyrii in eorum depoſitione. Hinc conſuevere Chriſtiani (ut ſcribit laudatus Franciſcus Blanchinus in Notis ad Anaſtaſium BibliothecariumTom.2. pag. 243.) Sacra Martyrum Corpora ſepelire cum linteis ipſorum ſanguine reſperſis, quae data opera apponebantur, dum torque-

re-

retur Martyr, ut ſanguis in ea deflueret, quemadmodum in Actis Martyrii S. Cypriani Pontius Diaconus diligenter deſcripſit; ſive etiam cum ſpongiis, quae adhibebantur ad ſparſum ſanguinem e ſolo exugendum, ut nota Prudentii carmina oſtendunt in Martyrio S. Hippolyti verſ. 141. Indiculus Tabulae III Saeculi I.

Palliolis etiam bibulae ſiccantur arenae,
Ne quis in infecto pulvere ros maneat.
Si quis & in ſudibus recalenti aſpergine ſanguis
Inſidet, hunc omnem ſpongia preſſa rapit.

Et in Hymno S. Vincentii:

Plerique veſtem linteam
Stillante tingunt ſanguine;
Tutamen ut ſacrum ſuis
Domi reſervent poſteris.

Pars attamen linteorum in ipſo Martyris ſepulcro ut plurimum recondebatur, ut oſtendunt quamplura exempla, legenda apud ſaepe laudatum Can. Boldettum *in Obſervationibus ad Coemet.* lib. 1. cap. 37; praeſertim vero S. Caeciliae, repertae a Paſchali Papa I. cum veſtibus ſanguine reſperſis, de quibus idem Pontifex ita loquitur: *Ubi etiam linteamina, cum quibus Sacratiſſimum Corpus ejus abſterſum eſt de plagis, quas ſpiculator trina percuſſione crudeliter ingeſſerat, in*

unum revoluta, plenaque cruore invenimus. Memorandum eſt etiam involucrum linteorum ſanguine imbutorum, quod a ſe repertum deſcribit pag. 183. circa caput Martyris, in ejus loculamento depoſitum; in quo etiam phyala vitrea grandior reperta eſt, unde ſanguis effluxerat in recluſione loculi; & cum deci diſſet ſupra Martyris pedes, ibidem concreverat in cruſtas evidentes; licet aliud vaſculum ſanguinis fuiſſet de more poſitum externa in parte loculamenti, ad oſtendendum (ut arbitror) Martyrem vindicatum. Subeſt etiam alia cauſa, cur externa in parte loculamenti apertum vas ſanguine Martyris plenum apponeretur (idque frequentius, quam interiori in conceptaculo, in topho ut plurimum excavato) hiſce in Coemeteriis Romanis. Cauſam illam mihi ſuggerunt carmina Prudentii paullo ante prolata:

Plerique veſtem linteam
Stillante tingunt ſanguine;
Tutamen ut ſacrum ſuis,
Domi reſervent poſteris.

Conquirebant jam tum Fideles Reliquias Martyrum, tanquam tutamen ſacrum, & pignus eorundem interceſſionis ad Deum, apud quem noverant revelatum Johanni in Apocalypſi cap. 8. 9. quantum valerent voces inter-

terfectorum propter verbum Dei, vindicias ſanguinis pro Deo fuſi expectantium, ac depoſcentium tum ſibi, tum fratribus, merito Sanguinis Chriſti, per quem redemptos ſe fatebantur. Noverant illis reſponſum fuiſſe, ut requieſcerent modicum tempus, donec impleretur numerus fratrum, qui interficiendi erant, ſicut & illi. Tum vero adnumerandos & hos, cum ſuperioribus, qui laverunt ſtolas ſuas in ſanguine Agni, & ab eodem Agno regendos, & in aeternae vitae gloria circa ſuum thronum collocandos. In Reliquiis. Martyrum ita conquirendis accendebatur eorum fides, ac ſpes in Deum, conſpectu exempli, ac pignore interceſſionis fratrum, qui ſanguinem pro Chriſto fuderant. Spes attamen glorioſae Reſurrectionis per Sanguinem Chriſti obtinendae, tum animabus, tum corporibus iterum ſociandis fovebatur, & declarabatur apud eoſdem Fideles diligenti cura humandorum corporum, & ſub cuſtodia clauſi loculamenti retinendorum. Quae igitur ratio excogitari poterat colligendi Martyrum Corpora, & conſervandi (cauſa teſtandae reſurrectionis, quam Divina ſpe freti expectamus) & inſimul dividendi inter Fideles ea tutamina ac pignora interceſſionum, quae conſpectus ac vene-

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

ratio Martyrum ſuis in reliquiis nobis miniſtrat? non alia profecto paratior futura erat, quam ea ipſa ingenioſe a fidelibus excogitata; collocando ſcilicet externa in parte loculamenti (in quo condita fuerant corpora Martyrum Vindicatorum per Epiſcopum ope Miniſtrorum, quos ad haec agenda delegiſſet praefectos fidelibus Notariis) vaſculum ſanguine Martyrum plenum. Citra imminutionem Reliquiarum ſolidarum, in loculamento quieſcentium, in aperto externo vaſculo poterant Fideles ſubmittere lintea, ſeu brandea, quae poſtmodum dicta ſunt, eaque ſanguine Martyris ita imbuta domum referre, & tutamen ſibi, ac poſteris praeſervare, ut in eo carmine affirmat Prudentius. Videnda etiam ejuſmodi conſuetudo in Actis SS. Suſannae Virg. & Martyris, & Caji PP. & Martyris, quae afferuntur a P. Caeſare Becillo noſtrae Congr. Orat. Rom. Presb. in Hiſtoria Inventionis Corporis ejuſdem S. Caji effoſſi an. 1622. die 21. Aprilis in Coemeterio Calliſti. Expediebat vero ita conſulere pietati ſimul, ac ſecuritati Fidelium, quos cum viderent Epiſcopi nimium quandoque ſe exponere periculo certaminis non laceſſitos, quando in ipſo cruciatu Martyrum lintea apponebant, quae reſperſa ſanguine retrhaerent,

rent, atque adſportarent; hoc tutiori genere ſtudii ad conſequendum optatum ſanguinem juvandos eſſe judicarunt.. Ita enim poterant in cryptis inobſervati ſanguinem pro Chriſto fuſum linteis haurire e vaſculo exterius appoſito ac patenti devotioni confratrum ſuorum. Colligitur haec rerum ſeries ex aliis quoque Prudentii verſibus, nec non ex veteri conſuetudine per S. Gregorium Magnum aſſerta, dum reſcriberet ad Conſtantinam Auguſtam, eique negaret Reliquias Corporum SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli traſmittere, brandea non negaturus. Prudentii carmina, quae teſtantur cauſas a nobis indicatas fidem, ac ſpem Chriſtianam excitandi conſpectu Reliquiarum SS. Martyrum, indulgentiam implorando per illorum interceſſionem, quos tanquam Dei Servos in Reliquiis venerabantur velut inſtrumentis ab eorum animabus adhibitis ad fortiter tolerandas pro Chriſto Paſſiones, ſunt ea praeſertim, quibus concludit Hymnum in laudem S. Vincentii Martyris. En igitur operae praetium occludendi Reliquias, & obſignandi, ad ſpem reſurrectionis aſſerendam, eodemque tempore apponendi ſanguinis in vaſe externo, ac patente, ad irroranda lintea, quae tanquam pignora tutelae noſtrarum precum forent deferenda.

a de-

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

a devotis orationibus Domum. Quae conſuetudo brandeorum dimittendorum ad contactum Confeſſionis Beati Petri, & aliorum Martyrum, ſervata eſt aetate Gregorii Magni, ac ſequentibus Saeculis ita, ut noſtro etiam hoc tempore ſervetur in Aede S. Caeciliae, ubi vela, contactu ejuſdem Sacri Tumuli ita praeparata, diſtribuuntur, ad elevandas in Deum mentes, & fidem Reſurrectionis, ſpem gloriae, interceſſionis Martyrum, & indulgentiae conſequendae per Chriſtum Dominum, ex eorundem veneratione, qui ejus myſtici corporis dignas ſe partes ita comprobaverunt, ut nobis inſinuent parem eventum nobis quoque oppigneratum, ſi eos imitemur, quos colimus. Conſequitur ex dictis, ut quaedam vaſcula cruſtam ſanguinis evidentem adhuc retineant, a quibus ſcilicet non ita cito linteis ſuis fideles exſuxerunt ſanguinem totum, ſed ſpatium temporis reliquerunt ad cruſtam exſiccandam, vitro pertinaciter adhaeſuram. Alia vero vaſcula, quae ſollicito fidelium accurſu exſugi contigit, vel tenue, vel nullum ſanguinis veſtigium praeſervare poſteris potuerunt. Conſumpta vero liquida ſanguinis parte linteis excepta, contactus brandeorum, licet humorem non attrhaeret, pietatis tamen ſenſum, ac devotionis

non

non abſimilem excitabat. Quare B.Gregorius M. in memoratis literis ad Conſtantinam Auguſtam datis (lib.3.ep.30.) merito teſtabatur hanc eſſe conſuetudinem Romanorum, ut poſcentibus Reliquias Martyrum, brandea largirentur; quae in pyxide poſita apud loculos occludentes Martyrum Corpora (calices vero iſti ſanguinei, ut diximus loculamentis adhaerebant) intacto Martyris Corpore pro Sanctuariis tranſmittebantur. *Cognoſcat autem* (inquit) *tranquilliſſima Domina, quia Romanis conſuetudo non eſt, quando Sanctorum Reliquias dant, ut quidquam tangere praeſumant de corpore: ſed tantummodo in pyxide brandeum mittitur, atque ad Sacratiſſima Corpora Sanctorum ponitur. Quod levatum in Eccleſia, quae eſt dedicanda, debita cum veneratione reconditur.* Graecis affirmat maturius receptum morem dividendi partes corporis ejuſdem Martyris; atque eum morem ſerius invectum in Romanam Eccleſiam, quæ translationes Reliquiarum Corporis fieri admodum ægre ferebat ſub Mag. Gregorio; licet poſtmodum ejuſdem S. Gregorii Succeſſores liberalius Tranſlationes ejuſmodi admiſerint, tum ad praeſervanda a Saracenorum, & Haereticorum injuriis lipſana Martyrum, tum ad decorandas novas Aedes Deo ſacras, (quarum nume-

rus,

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

rus in dies augebatur) tutela Martyrum, hiſce arrhis oppignerata. Brandea vero, linteique panni hiſce in calicibus ſanguinea cruſta obductis demerſi, & ſubinde extracti, aut applicati conditorio Martyris adhaerenti, dividebantur Fidelibus, tanquam teſſerae communis fidei, ac ſpei Reſurrectionis, & communionis Militantis Eccleſiae cum Triumphante, diu ante Gregorium, & Leonem Magnum, ut ex Actis S. Cypriani, atque aliorum Martyrum conſtat, & evincitur hiſce ex vaſculis, vicario veluti jure ſubſtitutis Reliquiarum partitioni, cum ſanguis adhuc recens ab effuſione linteis exugi potuit; &, cum in cruſtam concreviſſet, ex contactu ſanguinis pro Chriſto fuſi, Reliquiarum naturam quodammodo reportantibus iiſdem brandeis; quae ita ſanguini, & corpori admovebantur, ac diſtribuebantur petentibus, oſcula religioſa iiſdem libaturis, & veluti ſacrum phylacterium, ac tutamen ſibi, ſuiſque reſervaturis. Haec habuit Patruus meus, quae adnotaret ad elucidandam conſuetudinem Romanae Eccleſiae apponendi ſanguinem pro Chriſto fuſum a Martyribus vindicatis. Vindicatos autem cum aſſero beatos Martyres, cognitione Epiſcopi id factum intelligo ex ipſis Pontificum Summorum Decretis, ſtatuentibus appoſitionem

nem vaſis, aut brandeorum, quibus diſtinguerentur veri Martyres, a ſuppoſitis, & a fidelibus ceteris Martyrii gloriam non conſecutis. Quod autem addiderint praecedenti conſuetudini ſanguinem apponendi loculis Martyrum, etiam legem adhibendi purpurei colobii ad conveſtienda Martyrum Corpora, dum efferrentur, ac ſepelirentur, id (inquit idem Franciſcus Blanchinus Patruus meus Tom.2. *Anaſtaſii Bibliothecarii*, pag.245.) neque ſupervacaneum cenſendum eſt, neque alienum a cauſa vindicationis. Cum enim Beatis Martyribus mortem inferrent Tyranni variis ſuppliciis, nec ſemper illi effuſione ſanguinis necarentur, puta cum mergerentur in flumine, aut in mari, cum incendio abſumerentur, aut inedia, aut frigore, aut laqueo, veneno, & his ſimilibus generibus mortis; tunc ſanguinis judicium adhiberi minime poterat ad oſtendendam vindicationem eorumdem Martyrii. Praecepit igitur Eutychianus, teſte eodem Anaſtaſio Biblioth. in ejus Vita, ut colobio purpureo, ſive dalmatica ejuſdem coloris conveſtirentur Corpora Martyrum, delata prius ad Tribunal Epiſcopi cognitione rei geſtae in conſummatione Martyrii, & rei gerendae in depoſitione Martyris. Peracta cauſae cognitione, ſi Martyr fuiſſe comprobaretur

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

tur Martyrii ſigna apponenda erant communia univerſis pro Chriſto occiſis, nempe Dalmatica, ſeu colobium purpureum. Id obſervatum etiam in Provinciis Occidentalibus ab Urbe longe remotis. Teſtatur enim Rodulphus Abbas de Corpore S. Gereonis Ducis in Legione Thebaeorum, ſuper ejus clamydem additum fuiſſe colobium, ſive Dalmaticam purpuream: hanc enim ex deſcriptione recognoſcimus, Rodulphi verbis relata per Surium ad diem 24. Novembris, & in Boldetti obſervationibus ad Coemeteria redditam pag. 301. *poſt octingentos* (inquit) *& aliquot plures annos Martyrii Thebaeorum* (quod contigit ſub Diocletiano, & Maximiano paucis annis poſt decretum Eutychiani Papae, de quo loquimur) *inventum eſt corpus magnum, indutum clamyde militari coloris purpurei: quae propriu utrimque veſtis appendebat uſque ſubter genua ejus quaſi tribus digitis, genus pallae non ignobilis. Super eam, aliam habebat veſtem breviorem, ignotam quidem nomine, ſed cognitam filo ſerico, & coloris nobilis purpurae*. Cum chlamys, ſit militum amictus extimus, & ceteris omnibus ſuperjectus; veſtis iſta, quae chlamydem contegebat, & chlamyde brevior deſcribitur, vel colobium fuit, vel Dalmatica, ut videtur, adhi-

adhibita ſcilicet ad contegendum Martyrem, juxta recentes leges ab Eutychiano Papa conſtitutas. Quare & aſſutum illi, vel ſupertextum deſcribitur ex auriphrygio Dominicae Crucis ſignum: *Supra pectus illius ſignum Dominicae Crucis inventum eſt de aurifrygio factum, ſicut conſiderari potuit, ſubmicantibus in eo auri metalli ſcintillis*. Veſtes autem Martyris propriae, narrantur repertae concreto ſanguine cruſtatim ſuper eas exſiccato infectae. Collectae igitur ſunt diligenter omnes ejus veſtes, craſſo ſanguine, ſed ſicco graves. Haec omnia comprobant curam diligentem a Romanis Pontificibus ſuſceptam de Martyrum vindicatione, dum eorum Actis conſcribendis Notarios, colligendis Subdiaconos deputarunt, praeter Diaconos Regionarios, & Presbyteros Martyrum, certis officiis erga illos exercendis deſtinatos: ad haec etiam veſtium, ne dum reliquiarum corporis ſtudium commendarunt; genus certum indumenti ſtatuentes illis circumdari, dum ſepelirentur, utque Notarii in Commentarios referrent certas notas eorundem Martyrii tot Eccleſiae teſtimoniis comprobati. His vero ad Epiſcopi conſcientiam productis, apponi exterius vaſcula ſanguine Martyris plena conceſſum fuit a Miniſtris ſepulturae curam ge-

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

gerentibus, quibus Presbyteros, & Diaconos praepoſitos fuiſſe conſtat, ut omnia ex ordine gererentur. Ad haec autem vaſcula ita vindicati Martyris poterant pro lubitu ſuo Fideles brandea devote applicare, ſive ut ſanguine adhuc non exſiccato tingerentur, ſive ut contactu cruſtae ſanguineae eam vim contraherent fidem, ac ſpem credentium excitandi in Deum; ut per ejuſdem Martyris interceſſionem id a Chriſto Domino conſequi poſſent, quod merito fidei (Marci 5.) per contactum veſtis Dominicae mulier Euangelica obtinuit, & quod umbra praetereuntis Petri languidis afferebat (Actor. 5.); & , quod praeſtanti us eſt, exemplum Chriſtianae fortitudinis a cuſtoditis brandeis, tanquam a domeſtico monitore,ſibi memorari intelligerent, dum ea devote oſculantur. Hac enim conſolatione fraudandos non eſſe judicarunt confratres Martyrum Summi Pontifices, qui ſacra eorum Corpora ſtudioſe recondi, ſanguinem colligi ſpongiis, ac linteis, loculamenta coemento occludi, & indiciis Martyrii decorari curarunt, per Notarios in Acta referendis: quemadmodum planum fit ex collatis teſtimoniis Cypriani, & Prudentii, quibus addi poſſunt Ambroſius, Auguſtinus, & Hieronymus, aliique, nec non

non memorata epiſtola Gregorii Magni, quae teſtatur conſuetudinem, in Reliquiis Martyrum non temere aut ſine delectu diſtribuendis, ab Eccleſia Romana cuſtoditam: cujus illuſtrandae occaſionem obtulit Patruo meo Eutychiani Decretum, a Bibliothecario memoratum. Fraudarem (inquit idem amantiſſimus Patruus in notis ad Tomum II. Anaſt. Bibl. pag. 246.) illuſtri teſtimonio hiſtoriam Martyrum vindicatorum, niſi proferrem hoc loco inſigne documentum rerum hactenus memoratarum, praeſertim vero de conſuetudine, & cauſis apponendi ſanguinem Martyrum in vaſculis patentibus, ad eorum loculamenta exterius aptatis per coementarios: quod me praeſtiturum eſſe promiſeram in fine Notarum Hiſtoricarum ad Sectionem B. Sixti II. Dum illae Notae in B. Sixtum II. praelo ſubderentur, feliciter contigit, ut ad Coemeterium Calliſti, & Praetextati Via Appia perluſtrandum in comitatu Sereniſſimi Principis Bavarici Theodori electi Epiſcopi Ratisbonenſis perduceremur a ſaepe commendato V. Cl. Marco Antonio Canonico Boldetto Sacrarum Reliquiarum Cuſtode; & vitream patenam in illo reperiremus aureis figuris de more pictam (graphio delineatis in auri folio inter utramque lamel-

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

lamellam vitream, qua fundus vaſis conſtat), & Martyrum ſanguine liberaliter inſperſam, ut cruſtae adhaerentes,& ſanguineam rubedinem admoto lumine perſpicue exhibentes, luculenter oſtendunt. Auſpice pietate tanti Principis, qui auguſta per veſtigia Sereniſſimae Domus Electoralis (firmiſſimi ſcilicet propugnaculi Catholicae Religionis in Germania) ad ceteras virtutes tanta vocatione dignas connititur, datum nobis fuit hoc monimentum nanciſci. Nam inter cetera Urbis decora, quae is cupiebat ſibi ad contemplandum proponi hac in Eccleſia ceterarum Matre ac Magiſtra, fuit conſpectus Cryptarum SS. Martyrum, quem Sereniſſimis Principibus fratribus ſuis, ejuſdem rei perinde ſtudioſis dum Romam inviſerent, acceperat gratum admodum contigiſſe, atque utilem, ad confovendam pietatem. Dum igitur die 27. Aprilis anni 1723. indicatum Coemeterium Calliſti, & Praetextati devote ingrederemur, contigit nobis, fragmenta vitreae paterae, a foſſoribus ibidem detecta prope loculamentum Martyris, ut ſolet, conſpicere: quae invicem juncta, figuras, ac literas oſtendebant, in aeneo iconiſmo p. 247. Tomi II. Editionis Anaſtaſianae redditas, in quo & fragmentum deperditum punctuatim exprimi Patruus cura-

ra-

ravit, & ſanguineam cruſtam, partem figuratam obtegentem repraeſentari, quae obverſa Solis radiis, aut candelae, nativum ruborem prodit. *Imago boni Paſtoris Euangelici*, quam Tertullianus in Lib. *de Pudicitia* cap. 10. affirmat pingi conſueviſſe in calicibus Chriſtianorum, ſuperne viſitur, collo ſuſtinens ovem; utrinque adſtante ad pedes Paſtoris ovicula, ſive agno, qui eumdem reſpicit; nec non conſidentibus in ſellis hinc inde poſitis SS. Apoſtolis Petro, & Paulo, cujus ſecundi figura integra, & nomen diſtincte recognoſcitur PAVLVS. Effigies boni Paſtoris, in fragmentis quae ſuperſunt ſatis conſpicua, ſimilis eſt jam editis per viros Clariſſ. Senatorem Bonarrotium in Obſer. ad vitreas lamellas Coemeteriorum Tab. 1. num. 1. Tab. 4. nu. 2. & Tab. VI. nu. 2., & Can. Boldettum pag. 200. Tab. I. num. 10. & 11.; nec non picturis hoc ipſo in Coemeterio adhuc videndis, quas pridem Aringhius delineavit in Cubiculo I. hujus Coemeterii Tab. 2. pag. 531., & in alio Tab. 3. pag. 573: quemadmodum & imagines SS. Apoſtolorum, & ſellae utriuſque in quibus adſident, perſimiles ſunt ita repraeſentatis hoc ipſo in Coemeterio ab Aringhio Tab. 1. Cubiculi primi. Paulus conſidet ad ſiniſtram boni Paſtoris: Petrum ad dexteram col-

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

collocatum fuiſſe intelligimus; licet fragmentum paterae hujus vitreae, in quo repraeſentabatur, exciderit, fortaſſe diffractum a foſſoribus improvide, inter effodiendum. Infra tres illas ſacras Imagines, quaſi ſub earum tutela, duae aliae majores apparent, viri, ac mulieris, pectore tenus expreſſae, & nobilitatem generis indicantes, in Viro quidem per laticlavum ſupra togam & pectus excurrens, in Muliere vero per ſtolæ limbos elaboratos, & veluti phrygiatos, qua conveſtitur. Virum illum ROMANUM nomine fuiſſe appellatum, dubitare non ſinunt literae illud exprimentes, cum acclamatione convivali, ſeu Agapes Chriſtianae, quae in ſimilibus vaſculis frequenter occurrit, & erudite explicatur ab Ill. Senatore Bonarroti in Obſervat. ſupra laudatis ad Tab. XIV. num. 3. pag. 95, his concepta verbis DIGNITAS AMICORUM ROMANE PIE.ZESES.CUM.TUA....NE, fortaſſe *Eufroſine*, *Irene*, aut alio quovis nomine ſimilem in ſyllabam deſinente), ut plane perſpicuum ſit, hanc pateram fuiſſe donarium Agapes (fortaſſe etiam nuptialis) illius ROMANI, nobilis Viri Chriſtiani, cum ſponſa ibi repraeſentati. Non auſim affirmare, hunc eſſe *Romanum* illum celebrem Martyrem, & oſtiarium, quem Bibliothecarius affirmat

(Sect. 25.)

Digitized by Google

(Sect. 25.) cum B. Sixto Secundo, ejuſque Diaconibus Martyrii ſocium, & in hoc ipſo Praetextati Coemeterio ſepultum, in quo vitrum ſanguine conſperſum reperimus; cum & alii cognomines Chriſtiani ſub eodem Pontifice Sixto II. claruerint, quos inter ROMANUS miles a B. Laurentio baptizatus, & praemiſſus ad palmam pridie ejus Natalis, quando *Romani* Martyrium colitur; & cum id reſcire, non valde conferat rem noſtram. Valde autem conferet demonſtrare exemplum collecti ſanguinis, & appoſiti in vitreis hiſce pateris, Chriſtianorum ſymbolorum teſſera decoratis; cum ita oſtendatur, Primo, conſuetudinem hanc pertinere ad tempora Perſecutionum; Secundo, indicari cauſam, cur patentibus vaſis collectus ſanguis apponeretur externa in parte loculamenti, ubi conditus erat Martyr: ad hoc ſcilicet, ut Fidelium votis & conſuetudini ſatisfieret, qui lintea, & brandea ſanguine Martyris imbuta, aut ſaltem contactu ſanguinis dedicata ſecum deferrent, tanquam tutelam & pignus interceſſionis Martyrum (ut Prudentii carmina conteſtantur), nec non ut memoriam Fidei, Spei, & Charitatis per ipſum exercitae, atque ut incitamentum imitationis, conſtantiae firmamentum in poſteris evaſurum.

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

rum. Hanc de qua loquimur conſuetudinem comprobare juvat facto & dictis B. Saturi Martyris, legendis inter Geſta SS. Perpetuae & Felicitatis, edita primum Romae per Lucam Holſtenium, deinde Pariſiis per Lucam Dacherium inter Acta Martyrum ſincera & ſelecta. Cujus ſecundae Editionis numero XXI Saturus ad beſtias damnatus cum ſociis, leopardo objicitur, a quo morſu impetitus, tanto ſanguine perfunditur, ut a populo inſpectante acclamatum fuerit, *Salvum lotum, ſalvum lotum*. Pudenti militi traditur ſemivivus cuſtodiendus, ut in fine ſpectaculi jugulетur. Saturus ad Pudentem converſus, quem, conſtantia Martyrum permotum, inflecti videbat ad Fidem Chriſtianam ſecum profitendam, *memor eſto*, inquit, *fidei meae, & haec te non conturbent, ſed confirment*. Deinde anulum de digitis Pudentis eximi, ſibique contradi curat: quem vulneri ſuo non tantum admotum, ſed etiam immerſum, ut ſanguine affatim conſpergatur, Pudenti reddit ita cruentatum, *haereditatem pignoris relinquens illi, & memoriam ſanguinis*: deinde cum ſociis oſculo pacis Chriſtiano more conteſſeratus, pro Chriſto jugulatur. Res tota vividius exhibetur Actorum verbis, quae per ipſam Viviam perpetuam in Marty-

rio

rio ſociam conſcripta cum ſint, heic eſſe reddenda cenſeo, ad geſtorum, & conſuetudinis evidentiam: *Item Saturus in alia porta militem Pudentem exhortabatur, dicens: adſum certe, ſicut promiſi, & praedixi: nullam uſque adhuc beſtiam ſenſi. Et nunc de toto corde credas. Ecce prodeo illo, & ab uno morſu leopardi conſumor. Et ſtatim in fine ſpectaculi leopardo objectus, de uno morſu ejus tanto perfuſus eſt ſanguine, ut populus reverenti illi ſecundi baptiſmatis teſtimonium reclamaverit: Salvum lotum, ſalvum lotum. Plane utique ſalvus erat, qui hoc ſpectaculo claruerat. Tunc Pudenti militi: Vale*, inquit, *& memor eſto Fidei meae; & haec te non conturbent, ſed confirment. Simulque anſulam de digito ejus petiit, & vulneri ſuo merſam reddidit ei, haereditatem pignoris relinquens illi, & memoriam ſanguinis. Exinde jam exanimis proſternitur cum ceteris ad jugulationem ſolito loco*. R. P. Ruinartius in ſua Editione hanc notam opportune ſubjicit: *Quid igitur conqueruntur Haeretici, quod Sanctorum Reliquias religioſe aſſervamus? Numquid anulus ille, ſanguine Martyris tinctus, projiciendus erat?* Quicumque igitur haec geſta Martyrum & dicta contulerit cum Scriptis Prudentii, & cum repertis vaſculis,

& pateris ſanguinea cruſta refertis, & coemento firmiter affixis externa in parte undique clauſi loculamenti, corpus Martyris aſſervantis, intelliget, ad TESTIMONIUM FIDEI, ET MEMORIAM SANGUINIS pro Chriſto fuſi, nempe ad vindicationem, & comprobationem Martyrii per eundem Dei ſervum fortiter tolerati, & ad PIGNUS TUTELAE ejuſdem inde a fidelibus reportandum, immerſis in illo linteis, & brandeis, & anulis, aut hujuſmodi cimeliis domi ſervandis, & contradendis poſteris ſuis, fuiſſe appoſita ejuſmodi vaſcula, ſub conſcientia Epiſcopi, nempe legitima cognitione praemiſſa, & *vindicatione Martyrii*: cujus rei gratia Eutychianus in ſuo Decreto ab Anaſtaſio Bibliothecario memorato non modo praecipit ſepeliri Martyrem cum colobio purpurato, ſed etiam certiorem ſe fieri de ritu ita ſervato in ſingulorum Martyrum ſepultura, *quod tamen ad notitiam ſibi divulgaretur*. Aringhius noſter *Rom. Subter.* T. 1. p. 501. num. 1., loquens de vaſe ſanguinis S. Gerardi Mart. æri inciſo in hac Tabula num. 9. inquit, *alia vaſcula vitrea in Sancti Calliſti Coemeterio inter explorandum in lucem prolata ſunt, quae omni quidem titulo carebant, ſed palmis, & ſacro Crucis ſigno permunita erant.* Va-

Digitized by Google

Vaſculum hoc Sancti Gerardi ſanguinem terrae immixtum continuiſſe dicitur. Mox p.501. num. 3. de ſecundo vaſe poſito in haec eadem Tabula num. 10. , ſcribit: *Vaſculum hoc, Sancti Almachii ſanguinem & cineres continuiſſe dicitur; vel potius poſterior ejuſdem vaſculi pars, cui palma inſculpta viſitur.* Et ibidem num. 4. de tertio, quod nos exhibemus n.11.proxime ſequenti,ait:*Hoc Vaſculum in Coemeterio Sancti Calliſti repertum, anonymi cujuſdam ſanguinem cineribus admixtum habuit.* De 12. demum noſtrae Tabulae,idem Aringhius recitata p.501. n.5. inquit, *in Vaſculo hoc cujuſdam item anonymi ſanguis extitiſſe fertur.* Viſitur autem in eo Crux decuſſata ⋊, quam Baſnagius in Hiſtoria Judaica, ſe in Nummis quoque Ptolemaeorum oſtendiſſe putat: quare ſententiam ſuam his verbis concludit: *Socrates demum,& Sozomenus referunt, cum Delubrum Serapidis everſum eſt, Chriſti Monogramma ⋊ inter rudera fuiſſe repertum; quo evidenter oſtenditur, hoc ſigno uſos eſſe Gentiles longe antequam Conſtantinus illud in Labaro collocaſſet. Aegyptii contendebant, hanc litterulam ſignificare vitam aeternam. Quapropter nemo facile ſibi perſuadeat, quoties in veteribus ſepulcris ac monumentis haec littera invenitur, per eam Chriſtianiſmi notam*

notam in monumentis iiſdem agnoſci : id enim non evenit niſi poſt Gentilitatis interitum, ac poſt Conſtantini Imperium. Non inficior, duas lineas decuſſatas, & inter ſe implicitas, decuſſatae Crucis ✕ figuram efformantes, ad alias quoque res ſignificandas apud Ethnicos quandoque fuiſſe in uſu, ut teſtantur Viri Doctiſſimi, qui de baculis Iſidis, & Oſiridis, de menſa Iſiaca, de Obeliſcis, & ſimulacris Aegyptiorum Numinum ſcripſere : ipſi enim in his monumentis ſunt contemplati varias Crucis figuras, nimirum Cruces *anſatas, immiſſas, & decuſſatas*, ac literam T, ut videre licet apud Goropium Becanum Hieroglyphicorum lib. 16. pag. 261. apud Pignorium, ubi de Tabula prima menſae Iſiacae pag. 17., & apud Jacobum Boſium *de Cruce Triumphali* lib. 5. cap. 8. pag. 502, ubi, ex ſtatua Dei Canopi hieroplyphicis literis inſigni, ſex figuras Crucis exhibet. Alias hujus generis, Cruci Chriſti ſimiles ex Bembiana Tabula Boſius profert pag. 482. 488. 495. 502. & 528., & ex Obeliſco Conſtantii pag. 532., demum ex ſuo, aliorumque Muſeis p. 477. & 491. Quod ſi (inquit Doctiſſimus Georgius) lectores alia expetunt teſtimonia, conferant Jo. Baptiſtam Caſalium *de Veteribus Aegyptiorum ritibus* cap. 13. pag. 46, & in

& in libris de Sacris veterum Chriſtianorum ritibus : evolvant Commentarios Paulli Alexandri Maffei in antiquas gemmas To. 2. Tab. XII. XV. XVI. XCVIII ; & Cruces *anſatas*, *& decuſſatas* inter ſymbola Aegyptiorum ſpectabunt. Cum nempe Romani Deorum Aegyptiorum cultum amplexi ſunt, figuras Crucis in ſymbolis eorundem Numinum expreſſerunt. Id manifeſte apparet inter cetera ex Nummo Domitiani Iſiaco, quem ex Muſeo Eliae Brackenhofferi, Diſſertatione edita anno Dom. 1675 Ulricus Obrectus Argentoratenſis illuſtravit. In anteriore Nummi facie legitur CAES. DOMIT. AVG. GERM. P. M. TR. P. XV. in aversa autem *figura ſedens, coronae inſtar caput galero tecta, tunicam induta manicatam cinguloque correptam, & ad ima veſtigia defluentem; dexteram, inſtar cordis protendens; laevam, qua Crucem immiſſam lateri applicat, Lunae dimidiatae; pede autem ſiniſtro in puppim liburnae innixa*. Recte vero Obrectus animadvertit, ejuſmodi effigie ac ſymbolis Iſiacum ſacrigerulum denotari, ac figuram Crucis ad Aegyptiorum ſymbola eſſe referendam; quod quidem Veterum teſtimoniis adductis planum facit. Cur autem Domitianus Nummum cum his ſymbolis percuſſe-

INDICULI S TABULAE III SAECULI '.

ſerit, ex Suetonio in ejus Vita cap. 1., & ex Tacito *Hiſtor.* lib. 3. cap. 74. patet. Tradunt hi, bello Vitelliano Domitianum Iſiaco celatum habitu, delituiſſe, & caſus ſuos in marmore effinxiſſe. Sed quid cum Crucis figuris, quas in ſymbolis Aegyptiorum, atque in Romanorum Ethnicorum tropaeis, vexillis, ſimulacris Fortunae, & Deae Aſtartis intuemur, commune habent epitaphia, & vaſcula ſanguinis noſtrorum Martyrum invictorum, in quibus omnia Chriſtum praedicant, teſtantur, docent. In his ergo Crux decuſſata, noſtrae Religionis tropaeum eſt; ſecus ac in ſymbolis Aegyptiacis, ac Romanorum, qui per hujuſmodi figuras aliud prorſus toto caelo diverſum innuebant. Sed quoniam Baſnagius, Socratis, & Sozomeni teſtimoniis abutens, ad Hiſtoriam Serapidis Templi nos provocat, ut oſtendat Chriſti Monogrammate uſos eſſe Gentiles longe ante quam Conſtantinus illud in Labaro collocaret, iterum adeamus luculentiſſimam Cl. Georgii Diſſertationem *de Monogrammate Chriſti Domini* pag. 46. Hiſtoriam, inquit, de funditus everſo A. D. 391. Theodoſii Auguſti juſſu Serapidis Templo, totius Aegypti pulcherrimo, narrant, ut eruditi ſciunt, Rufinus, Socrates, Sozomenus, & Suidas. Rufinus

finus

finus narrationem accuratiorem inſtituit, Templum ipſum, & ſimulacrum deſcribens; quippe qui non ſemel utrumque vidiſſe potuit, quum Alexandriae una cum Melania diu verſatus eſſet. Itaque Rufinus lib. 2. *Hiſtor. Eccleſ.* cap. 22. ſitum & demolitionem Templi ob oculos ponit; capite vero 29. refert, quae poſt everſum Templum acciderunt. Urgente ſiquidem Theophilo Alexandrino Epiſcopo, etiam *thoraces Serapidis*, ait, *qui per ſingulas quaſque domos in parietibus, in ingreſſibus, in poſtibus etiam, ac feneſtris erant, ita abſciſſi ſunt omnes, & abraſi, ut ne veſtigium quidem uſquam, vel nominis appellatio, aut ipſius, aut cujuslibet alterius daemonis remaneret; ſed pro his* CRUCIS DOMINICAE SIGNUM *unuſquiſque in poſtibus, in ingreſſibus, in feneſtris, in parietibus, columniſque depingeret. Quod quum factum eſſe hi, qui ſuperfuerunt ex Paganis viderent, in recordationem rei magnae, ex traditione ſibimet antiquitus commendata, veniſſe perhibentur.* SIGNUM *hoc noſtrum Dominicae* CRUCIS *inter illas, quas dicunt* ἱερατικὰς, *ideſt ſacerdotales litteras, habere Aegyptii dicuntur, velut unum ex ceteris litterarum, quae apud illos ſunt, elementis: cujus literae, ſeu vocabuli hanc eſſe aſſerunt in-*

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

interpretationem, VITA VENTURA. *Dicebant ergo hi, qui tum admiratione rerum geſtarum convertebantur ad fidem, ita ſibi ab antiquis traditum, quod haec, quae nunc coluntur, tamdiu ſtarent, quamdiu viderent ſignum iſtud veniſſe, in quo eſſet vita. Unde accidit, ut magis hi, qui erant ex Sacerdotibus, vel Miniſtris Templorum, ad Fidem converterentur, quam illi, quos errorum praeſtigiae, & deceptionum machinae delectabant*. Haec Rufinus: cujus integrum teſtimonium, licet fortaſſe nimis Lectoribus longum, libuit afferre, ut intelligamus, in quibus conveniant, aut diſcrepent ceteri veteres Hiſtoriae Eccleſiaſticae Scriptores, qui ab eodem hujus rei ſeriem ſunt mutuati: tum ut videamus, quam inepte pro ſua ſententia horum loca & teſtimonia Baſnagius adduxerit. Quod vero ad Socratem attinet, is libro 5. cap. 17. paullo a Rufino abit: ſcribit enim, dum Templum Serapidis everteretur, inventas in eo litteras lapidibus inciſas, quas *hieroglyphicas* appellant: quae litterae CRUCIS FORMAM referebant. Gentiles, aeque ac Chriſtianos, ſuae eas Religioni adtribuiſſe. Chriſtiani dicebant, ſignum eſſe ſalutaris Paſſionis Chriſti, PROPRIAM RELIGIONIS SUAE NOTAM, nimirum CRUCEM.

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

CEM. Gentiles vero, commune quiddam *Chriſto, & Serapidi* eſſe affirmabant: ſiquidem CRUCIS EFFIGIES *aliud apud Chriſtianos, aliud apud Gentiles ſignificat*. Sozomenus autem lib. 7. cap. 15. de litteris repertis in Templo Serapidis haec tradit: *Ceterum, dum hoc Templum everteretur, ajunt, litteras quaſdam, quas* hieroglyphicas *appellant*, SIGNO CRUCIS SIMILES, *lapidibus inciſas apparuiſſe: quas quum viri earum rerum periti interpretarentur, ſignificare dixerunt* VITAM VENTURAM. *Atque ob hanc cauſſam multos Paganorum ad Chriſtianam Religionem converſos eſſe dicunt, quum aliae quoque literae ſignificarent, illud tunc deſtructum iri, quum haec nota* CRUCI SIMILIS *apparuiſſet*. Eadem prorſus habet Suidas, voce *Stauri*: „ *Theodoſio*, inquit, *imperante, quum Fana Gentilium diruerentur, inventae ſunt in Serapidis Templo literae habentes* CRUCIS FORMAM, *quam videntes Graeci, qui Chriſto addicti jam erant*, CRUCEM *apud peritos hieroglyphicarum notarum ajebant* ſignificare VITAM VENTURAM. Hucuſque de hac hiſtoria memorati Scriptores. At ubinam tradunt, in demolitione Templi, *Chriſti* Monogramma inventum eſſe? Rufinus teſtis hac in re omnium

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

praeſtantiſſimus, memoriae ac literis prodidit, everſo Serapidis Templo, ad hujus Numinis cultum penitus abolendum, in iis locis, in quibus ejuſdem Serapidis imagines collocatae erant, hortante ac jubente Theophilo Alexandrino Epiſcopo, *Crucis Dominicae ſignum* poſitum fuiſſe; quo viſo, Sacerdotes Aegyptiorum, qui per hujuſmodi ſignum, *vitam venturam* denotari putabant, ad fidem convertebantur; propterea quod in eorum traditionibus eſſet, cultum Deorum in Aegypto defuturum, quum hoc ſignum veniſſet, in quo eſſet vita. Ex quibus haec ſunt obſervanda, nimirum *ſignum Dominicae Crucis*, in aedes & in poſtes a Gentilibus ad fidem Chriſti tum accedentibus juſſu Alexandrini Epiſcopi inductum; dejectaque Serapidis ſimulacra. Videmus praeterea ſignum illud, a Rufino, *noſtrum Dominicae Crucis ſignum*, veluti peculiare ac proprium Chriſtianorum, non Aegyptiorum, appellari. Quod autem ad Socratem, Sozomenumque ſpectat, diverſa quidem ratione rem deſcripſerunt; at ea de cauſa male audiunt apud Henricum Valeſium, qui in Adnotationibus ad Socratis librum 5. cap. 17. & ad lib. 7. cap. 15. eoſdem carpit; neque Rufini (idemque de Suida dicendum) mentem eſſe aſſe-

aſſecutos, merito contendit; tametſi eorum uterque diſertis verbis affirmet, literas in ruinis Templi repertas, *ſigno Crucis ſimiles fuiſſe*. Et Sozomenus ſcribit, ejuſmodi literas, *a Chriſtianis pro Signo ſalutaris Paſſionis Chriſti, propria Religionis ſuae nota*, ſcilicet Cruce vivifica, uſurpatas: effigiemque Crucis, aliud apud Chriſtianos, aliud apud Gentiles ſignificare. Quis ergo non videt, falſiſſimam eſſe Baſnagii argumentationem ex iis Socratis, ac reliquorum teſtimoniis, qua perperam intellectis, qua temere explicatis, nempe ex his haberi, *Chriſti Monogramma* in Serapidis Templo inventum eſſe, eoque Paganos ante Conſtantinum uſos? Sed ad vaſcula ſanguinis redeamus. Illud poſitum in noſtra Tab. num. 13. teſte Aringhio To. I. p. 499. n. 3 S. Almachii ſanguinem continebat. Alia vero duo Vaſa, quae habentur in eadem Tab. n. 14. & 15. ex SS. Victoris & Nicaſii ſepulchris eruta fuere, quorum ſacra Corpora Summus Pontifex Gregorius XV. ad ſe deferri voluit. In eorum primo (ideſt 14.), quod S. Victoris ſanguinem continebat, hae legebantur notae SANG., in altero autem (ideſt 15) Tumuli S. Nicaſii, in quo & palmae ſignum exculptum exhibebatur, ſcriptum erat characteribus ſuperadditis, SA̅:

ſan-

INDICULUS TABULAE II SAECULI I.

ſanguis. Porro vas iſtud, quod Nicaſii Martyris invicti ſanguine illuſtratur, ut ſcribit idem Aringhius Tom.I.pag.499.apud Illuſtr. Portiam Lancellottam de Gabrielliis,pretioſiſſimi inſtar Theſauri, ſumma veneratione aſſervabatur, quae Lucinas, Cyriacas, Lucillas, & ceteras Romanas Matronas pietate conſpicuas aemulando, ſacra obire Coemeteria, Sanctorum Martyrum memorias, ac pignora excolere, eorundem obſequio ſtudium atque operam impendere, totiſque animi viribus eorum cultui deſervire in deliciis habebat. De alio vaſe ſanguinis, quod exhibemus num. 16. idem Aringhius Rom. Subter. Tom. 1. pag. 497. inquit: *Inter vaſcula vitrea Martyrum ſanguine illuſtria, unum praecipue, cujus ſimulacrum heic ſubjicimus, recenſendum nobis eſt, quod in marmoreo ſepulchri ipſius operculo, calce obſito, adinveniri contigit*, ubi palma, hujuſcemodi addito Inſcriptionis titulo, S Ā SATVRNINI, *praeferebatur, ut heic videre eſt. Quod quidem vas hodie apud Illuſtriſſimam Chriſtinam Marchioniſſam de Angelellis, veluti perenne pietatis Chriſtianae, ac fervoris haud aequiparandi monimentum, inter ceteras recolendae antiquitatis exuvias cuſtoditur*. Demum p.506. ejuſdem To.I. ſcribens de

de illo,quod exſtat in noſtra Tab.num.17.ait: *Vaſculum item, quod ſpectandum heic exhibetur, ſacroſancto Chriſti nomine duabus Graecis literis exarato, & calci impreſſo interdum praenotabatur, ut inſculptus martyrii titulus, triumphalem *Martyrum ſanguinem praemonſtraret; qui longa poſt ſaecula haud illibatus dumtaxat, ſed adeo vividus ac liqueſcens quandoque in tumulis adinventus eſt, ut qui millenos & eo amplius annos profuſus quondam fuiſſe comprobatur, recens tamen, & colore prorſus vivido fluidus appareat: quamobrem ſaepe ſaepius contigit, ut, in ſacris hiſce theſauris minus caute perſcrutandis, eruendiſque e loco, in quo includebantur, dum ferro tophus ad extrahendum, quod intus latebat, aperitur, vitrea iſthaec, aut figlina vaſcula caſu inciſa, liquentem protinus cruorem uberrime emiſerint; cujus rei quamplures oculati teſtes adſunt. Dum autem luto, ac calcis glutino vaſcula iſta figlina, quae aureo liquore referta ſunt, ſtudioſe inſerta, ac recondita intuemur, illud, paucis immutatis, Bernardi ore* in Apol. ad Gal. *prolatum probe meminimus*: In luto quid facit aurum? *Intuere interim pie lector, ac venerare pretioſum intra iſthaec lutea ac vitrea vaſcula liquorem, & admirabundis oculis, & piis pariter oſculis illa*

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

illa ſane verba tecum mente repete: Tanti vitrum, quanti margaritum. *Huc uſque noſter Aringhius.* Quare Cl. Muratorius To. V. *Antiquitatum Italicarum medii Aevi*, in Diſſertatione LVIII. *de Chriſtianorum veneratione erga Sanctos poſt declinationem Romani Imperii*, diligenter inquirens ſigna, quibus diſtinguantur Corpora Sanctorum Martyrum, a reliquis Chriſtianis olim tumulatis in admiranda ſtructura tot Coemeteriorum, prope Romanam Urbem exiſtentium, quae *Catacombe* appellantur, in eam ivit ſententiam, (quam ego quoque mordicus teneo), Martyrum nempe Corpora per palmam revera prodi, quum ei deprehenditur adjunctum vas aliquod, ſacrum eorumdem ſanguinem continens. Porro Doctiſſimus Raphael Fabrettus cap. VIII. pag. 555. *Inſcriptionum Antiquarum* editarum Romae an. 1699. literarum monumentis commendavit, ſe, dum pergeret ad dignoſcenda Martyrum Corpora, quorum glorioſam mortem nulla Inſcriptionum verba teſtabantur, ſcrutatum fuiſſe, an tumulis appoſitum deprehenderetur Vas, aut Ampulla, Sanguinem Sacrorum pignorum continens: *hodie*, inquit, *ſimiles ampullae vitreae, ſanguinea & purpurea cruſta obductae, frequentiſſime in ſacris Coemeteriis juxta*

juxta Martyrum loculos, qua capita recumbunt, reperiuntur, certiſſimo effuſi pro Chriſto ſanguinis argumento; quo praecipuo, IMMO ET UNICO, USUS SUM, *dum Sacrarum Reliquiarum extractioni & cuſtodiae praefui*. Quae fuerit eruditio Fabretti (& ante illum celeberrimi Danielis Papebrochii e Societate Jeſu *in Actis Sanctorum*, & Joannis Mabillonii Benedictini Ordinis in Gallia olim inſignis ornamenti, in ſecunda Epiſtola de cultu Sanctorum Ignotorum ad Franciſcum Blanchinum Patruum meum) nemini ignotum eſt in re Literaria paulalum progreſſo. Fabrettus enim a Summo Pontifice Praefectus, ac Judex (ut ita dicam) Reliquiarum Sacrarum, e Romanis Arenariis eductarum, electus, per triennium, quo illo functus eſt munere, palam omnibus faſſus eſt, *unicam* ſibi Martyrii certiſſimam notam fuiſſe Vas ſanguineo colore tinctum, ubi alia cruciatus inſtrumenta (de quibus infra), aut Inſcriptio certa Martyrii non ſuppetebant. Quare nemo arbitretur (poſt obitum Marci Antonii Boldetti Romanis Coemeteriis Praepoſiti) ob ſolam Palmam ſepulcrali lapidi appoſitam ullum fuiſſe Martyrem vindicatum, ut Sanctiſs. Pontifex Benedictus XIV. incredibili eruditionis apparatu mihi nuper vivae vocis

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

oraculo teſtari dignatus eſt. Quoniam ergo palmae ſunt ſymbola obſcurae atque incertae ſignificationis, hoc argumenti genus de vaſculis ſanguinis, laudati Muratorii verbis concludam. *Certiſſimum* (inquit in eadem Diſſertatione 58. pag. 46.) *cenſetur Martyrii indicium Vas ſanguinem continens, aut ſanguineo colore infectum, in Romanis, aliiſque Chriſtianorum Coemeteriis antiquiſſimis, eorum tumulis innexum, aut appoſitum:..nihil enim commune cum Ethnicorum ritibus habet. Verum quidem eſt, & in Gentilium ſepulcris occurrere vaſa lacrymatoria, vaſa unguentis aliiſque liquoribus olim deſtinata &c. Attamen vaſa, aut ſanguinem, aut colorem ſanguinis, illuc olim infuſi, adhuc retinentia, fruſtra in Gentilium ſepulcretis exquiras. Id proprium Chriſtianorum, & quidem Martyrum, quorum etiam ſanguinem novimus e coaevis teſtibus ſollicite collectum, ac religioſe adſervatum fuiſſe. Verum quod eſt ad Palmas, quis certos nos facit, per eas ſignificari potius* Martyres, *quam* Juſtos *quoque Chriſtianae Legi addictos? Hieroglyphicum,* Juſtos *omnes ſignificans,* Palmam *ſupra vidimus. Tu* Martyres *heic te videre opinaris: ego* Juſtos *Chriſti legem ſequutos.* Atque addo, vulgata fuiſſe ac celebrata apud Chriſtianos *Pſalmiſtae verba Pſalm. 91. verſ.* 13, Ju-

13, Juſtus ut Palma florebit: *& planc huc reſpexiſſe Chriſtianos; cum hocce ſymbolo mortuorum ſuorum memorias ornabant, quo aut Juſtitiam, aut fidem Reſurrectionis, Immortalitatis, ſeu Salutis perpetuae ſignificare voluerunt.*

18. Vaſorum vitreorum (quae in Romanis Coemeteriis, inter effodiendam humum, identidem reperiuntur, quaeque Chriſtifidelibus Primaevae Eccleſiae in hujuſmodi locis latitantibus inſerviebant, furentibus Perſecutionibus Caeſarum Auguſtorum, antiquitatem inquirens Cl. Bonarrotius pag. XII., animadvertit, fragmenta illa vitrea, quae ipſe illuſtrat, educta fuiſſe ex antris, ſeu cubiculis alta humo congeſtis: qui ſane terrae acervus, cum poſt pacem Eccleſiae redditam in eas ſpeluncas invectus eſſe non poſſit, quod Romani Pontifices magnam erga eoſdem obſervantiam geſſerint, propterea, ipſis Perſecutionibus adhuc ſaevientibus, ac Imperatorum juſſu, terra obrutas fuiſſe, ob inſitum in Chriſtianum nomen odium, merito idem Vir Clariſſimus arbitratur. Explorata res eſt, Imperatores ſaepe Chriſtianis, ne in Coemeteriis quidem ſecure habitare poſſent, interdixiſſe. Id monet Alexandri Martyris lapis ſub Antonino (quem vide in noſtra Tab. I. Saec. II. num. 3.), id Tertullianus *ad Scapulam*

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

cap. 3. de perſecutione Severi, id Euſebius *Hiſt. Eccl.* lib. 7. cap. XI. de Valeriano, & lib. 9. cap. 2. de Maximino, id denique S. Dionyſius Alexandrinus Epiſcopus, qui, ſcribens de Perſecutione Valeriani (in qua tentus ipſe, & in exilium actus fuit) adverſus Germanum quemdam Epiſcopum qui eum calumniis impetebat, in Epiſtola relata ab eodem Euſebio libro 7. Hiſtoriae Eccleſiaſticae, de Coemeteriis Chriſtianis interdictis haec poſterorum memoriae commendavit: *Veni ad Aemilianum non ſolus, ſed comitantibus me Maximo compresbytero, & Fauſto, Euſebio, ac Cheremone Diaconis. Quidam etiam ex fratribus Romanis, qui tum aderant, nobiſcum ingreſſus eſt. Porro Aemilianus non dixit mihi prima fronte: ne conventus agas. Id enim illi ſupervacuum erat, ac poſtremum, ad id quod primum ac praecipuum eſt recurrenti. Quippe haud quaquam curabat, ne alios congregarem: ſed id agebat, ne ipſi Chriſtiani eſſemus &c. Poſt haec abire nos juſſit in vicum quemdam ſolitudini proximum, cui nomen eſt Cephro. Sed verba ipſa, quae ab utroque noſtro dicta ſunt, ſicut Actis publicis inſerta leguntur, accipite &c. Aemilianus Praefectus dixit: video vos ingratos eſſe ſimul, ac ſtupidos, qui clementiam Auguſtorum minime ſentiatis.*

Qua-

Digitized by Google

Quamobrem non manebitis in hac Urbe, ſed mittemini in partes Libyae ad locum, qui dicitur Cephro. Hunc enim locum juſſu Auguſtorum noſtrorum elegi. Nullatenus autem licebit vobis, nec quibuſcumque aliis, conventus agere, aut ea quae vocantur Coemeteria adire. Quod ſi quis ad eum, quem juſſi, locum minime profectus deprehendetur, aut in conventu aliquo fuerit inventus; is ſibi ipſe periculum arceſſet. Non enim deerit congrua animadverſio. Abſcedite igitur quo juſſi eſtis. Et in Actis Proconſularibus S. Cypriani Epiſcopi & Martyris apud Ruinartium pag. 216. *Paternus Proconſul dixit: A me invenientur. Et adjecit: Praeceperunt etiam, ne in aliquibus locis conciliabula fiant, nec Coemeteria ingrediantur. Si quis itaque hoc tam ſalubre praeceptum non obſervaverit, capite plectetur. Cyprianus Epiſcopus reſpondit: Fac, quod tibi praeceptum eſt.* In Coemeterio quoque, in quo, contra legem Valeriani Imperatoris aditum Cœmeteriorum prohibentem, S. Sixtus I. Rom. Pontifex inventus eſt, teſtimonio S. Cypriani, ipſum occiſum fuiſſe conſtat. Venio nunc ad vitrum de quo agitur num. 18, in Romanis Arenariis effoſſum, atque editum a Cl. Bonarrotio in Opere mox laudato Ta. XXII. num. 2. In eo duo Nobiles Conjuges viſuntur,

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

cap. 3. de perſecutione Severi, id Euſebius *Hiſt. Eccl.* lib. 7. cap. XI. de Valeriano, & lib. 9. cap. 2. de Maximino, id denique S. Dionyſius Alexandrinus Epiſcopus, qui, ſcribens de Perſecutione Valeriani (in qua tentus ipſe, & in exilium actus fuit) adverſus Germanum quemdam Epiſcopum qui eum calumniis impetebat, in Epiſtola relata ab eodem Euſebio libro 7. Hiſtoriae Eccleſiaſticae, de Coemeteriis Chriſtianis interdictis haec poſterorum memoriae commendavit: *Veni ad Aemilianum non ſolus, ſed comitantibus me Maximo compresbytero, & Fauſto, Euſebio, ac Cheremone Diaconis. Quidam etiam ex fratribus Romanis, qui tum aderant, nobiſcum ingreſſus eſt. Porro Aemilianus non dixit mihi prima fronte: ne conventus agas. Id enim illi ſupervacuum erat, ac poſtremum, ad id quod primum ac praecipuum eſt recurrenti. Quippe haud quaquam curabat, ne alios congregarem: ſed id agebat, ne ipſi Chriſtiani eſſemus &c. Poſt haec abire nos juſſit in vicum quemdam ſolitudini proximum, cui nomen eſt Cephro. Sed verba ipſa, quae ab utroque noſtro dicta ſunt, ſicut Actis publicis inſerta leguntur, accipite &c. Aemilianus Praefectus dixit: video vos ingratos eſſe ſimul, ac ſtupidos, qui clementiam Auguſtorum minime ſentiatis.*

Qua-

Quamobrem non manebitis in hac Urbe, ſed mittemini in partes Libyae ad locum, qui dicitur Cephro. Hunc enim locum juſſu Auguſtorum noſtrorum elegi. Nullatenus autem licebit vobis, nec quibuſcumque aliis, conventus agere, aut ea quae vocantur Coemeteria adire. Quod ſi quis ad eum, quem juſſi, locum minime profectus deprehendetur, aut in conventu aliquo fuerit inventus; is ſibi ipſe periculum arceſſet. Non enim deerit congrua animadverſio. Abſcedite igitur quo juſſi eſtis. Et in Actis Proconſularibus S. Cypriani Epiſcopi & Martyris apud Ruinartium pag. 216. *Paternus Proconſul dixit: A me invenientur. Et adjecit: Praeceperunt etiam, ne in aliquibus locis conciliabula fiant, nec Coemeteria ingrediantur. Si quis itaque hoc tam ſalubre praeceptum non obſervaverit, capite plectetur. Cyprianus Epiſcopus reſpondit: Fac, quod tibi praeceptum eſt.* In Coemeterio quoque, in quo, contra legem Valeriani Imperatoris aditum Cœmeteriorum prohibentem, S. Sixtus I. Rom. Pontifex inventus eſt, teſtimonio S. Cypriani, ipſum occiſum fuiſſe conſtat. Venio nunc ad vitrum de quo agitur num. 18, in Romanis Arenariis effoſſum, atque editum a Cl. Bonarrotio in Opere mox laudato Ta. XXII. num. 2. In eo duo Nobiles Conjuges viſuntur,

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

tur, cum indumentis, & acclamatione convivali PIE ZESES, *bibe vivas*, de qua ſupra nu. 3. 5. & 7. Quamvis Majores noſtri iis veſtibus uterentur, quae nihil levitatis, luxus, faſtuſque praeſeferrent, quoniam indumenta indicia eſſe modeſtiae, caſtaeque mentis ſolent, ii tamen, qui dignitate praeſtabant, eas veſtes adhibuiſſe non dubium eſt, quas dignitas ipſa poſceret. Itaque Glabrionem, & Clementem, alioſque Conſules, aut Senatores Chriſtianos, & laticlavis, & iis ceteris ornamentis uſos fuiſſe, quae propria muneris eſſent, palam faciunt pictae ſcalptaeque imagines in parietibus Cubiculorum Coemeterialium, in Sarcophagis, vitreiſque Chriſtianorum ſcyphorum fragmentis, quorum ectypa referunt Boſius, Aringhius, Bonarrotius, Boldettus, Victorius, Bottarius, aliique doctiſſimi rerum Chriſtianarum veterum editores. De tunicis στενοσήμοις, ſive *anguſticlavis*, & πλατυσήμοις, ſive *laticlavis*, quarum illae duobus anguſtioribus ſegmentis purpureis per utrumque humerum ad infimam tunicae oram productis, hae latiore ſegmento uno per pectus ad imam tunicam deſcendente, inſignes erant, agunt Albertus Rubenius *de Re Veſtiaria* lib. 1. cap. 8 (cujus ſententiam contra Ferrarium tuetur Graevius

in

in Praef. ad Tomum VI. *Theſauri Antiquit. Rom.*), Petronius Burmanni pag. 126, Boſius lib. *de Senatorum laticlavo* (qui itidem purpureus erat, ut aureus Triumphantium), idem Bonarrotius *Oſſervazioni ſopra alcuni frammenti di vaſi antichi di vetro* Tab. 14. p. 88. & ſeq., Boldettus lib. 1. cap. 39. p. 197. *delle Oſſervazioni ſopra i Cimiterj*, Marangonius Vir Cl. eidem ſucceſſor datus lib. *delle coſe Gentileſche a uſo delle Chieſe* cap. 34. pag. 139. aliique. De cultu vero feminarum vide Tertullianum lib. 2. cap. 4. pag. 151. & ſeq. Edit. 1745., qui de eodem agit argumento, Clementem Alexandrinum lib. 2. *Paedagogi* cap. X. pag. 200, & ex recentioribus Octavium Ferrarium lib. 3. *de Re Veſtiaria* cap. X. p. 238. alioſque apud Pitiſcum in Lexico, & Mamachium Tom. III. *Originum & Antiquitatum Chriſtianarum* lib. 3. cap. 7. §. 2. *de moderato veſtitu veterum Chriſtianorum*.

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

19. Vitrum in Coemeterio Priſcillae repertum, cum protome Viri togati detectique capite. In orbe legitur ſolemnis acclamatio convivalis PIE ZESES CUM TUIS, *bibe, vivas cum tuis*. Satis conſtat, pleroſque noſtrum ſine ullo integumento capitis proceſſiſſe, ex picturis, ſculpturiſque, quas exhibent in Roma Subterranea Boſius, Severanus, Aringhius,

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

ghius, Boldettus, & Bottarius; in vitris Bonarrotius; in monumento S. Severae Lupius; in lucernis Licetus, Sanctes Bartholus, & Joannes Baptiſta Caſalius; in Inſcriptionibus Fabrettus, & Muratorius; in *Commentar.* de *Biblioth. Vindobonenſi* Lambecius, aliique Cl. Scriptores, qui nonnulla vetera monumenta primaevae Eccleſiae aut primi omnium ediderunt, aut ab aliis edita illuſtrarunt. Vide noſtros orbiculos vitreos hujus Tabulae, & Mamachium Tom. III. *Orig. & Antiq. Chriſt.* lib. 3. pag. 383. Falluntur vero, qui Chriſtianos omnes uſos Pallio fuiſſe putant. Eo enim utebantur: qui vitae auſterioris diſciplinam colebant; id quod, poſt magnum Baronium ad an. 197. num. 8. & ſeq., & poſt Salmaſium *in lib. Tertul. de Pallio, & Reſponſ.* ad Antonium Cercoetium, hoc eſt ad Dionyſium Petavium, probarunt Rigaltius in eundem Tertulliani librum pag. 111. Edit. 1744., Alixius *de Tertull. Vita, & Scriptis,* pag. 59, Caveus *Relig. des Anciens* Tom. 2. pag. 46. Edit. an. 1711, Heineccius *Exercit. de habitu Apoſt. Sacerd.* cap. 1. §. 2, Joannes Lamius lib. *de erudit. Apoſtolorum* cap. 3. pag. 57. aliique permulti. Si enim, inquit laudatus Mamachius, pallium Romae adhibuiſſent Chriſtiani univerſi, queis tandem in

XLII.

XLII. Apologetici capite dixiſſet Tertullianus, ejuſdem nos eſſe, atque Ethnicos habitus? Conſule Euſebium lib.4. cap.XI. *Hiſt. Eccleſ.* ubi de Juſtino, lib. VI. cap. 9. ubi de Heracla, & lib.VIII. *de Martyr. Palaeſt.* c.11. ubi de Porphyrio Martyre agit; Hieronymum *de Viris Illuſtribus* cap. 20.; & Ven. Baronium. De Toga vero, quae viſitur in his vitris, adeundus Turrigius Tomo XII. *Theſauri Graevii* edit. Batav. pag. 395., Valerius Andreas *de Togâ & Sago* edit. Lovan. an. 1625, Hieronymus Boſius *de Toga Rom.* edit. Ticin. an. 1614, Albertus Rubenius lib. 2. cap.8. *de Re Veſtiaria* (ubi & iconiſmus exhibetur ſtatuae togatae) Tom. 6. Graevii, Octavius Ferrarius Diſſert. de modo geſtandi Togam, Philippus Rubenius lib. I. electorum cap. 17. ubi de ſinu Togae, & Cl. Bonarrotius in laudato Opere pag. 157. & ſeq. De trabea, ſive breviore Toga, ex purpura & cocco, necnon de chlamyde, Rubenius iterum videndus; a quo tamen, quoad formam chlamydis attinet, diverſus abit doctus Cuperus in Diſſertatione ſubjecta Commentario de Apotheoſi Homeri p. 137. Hoc vitrum Coemeteriale, de quo loquimur, profertur ab Aringhio *Rom. Subt.* To. II. pag. 265. num. 2. ubi ait: *Fragmentum vitreum deauratum, in ſepulcro Coemeterii Pri-*

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

ſcillae via Salaria repertum, cum imagine, *&* *notis* CUM TUIS PIE ZESES. *Quas notas Boſius, aliis ſecum, ad ferendam obſcura ſuper re ſententiam, adhibitis, hoc plane modo legendas explanandaſque duxit* PIE IESVS. Sed vide, quae nos ſcripſimus ſupra n. 3.

20. Vitrum Coemeteriale cum epigraphe, CHRISTUS. LUCIFER VIVAS CUM TUIS FELICITER ZESES SIRTCA. Aringhius *Rom. Subter.* Tom. 2. pag. 265. num. 3. de eodem inquit: *Vitrum antiquum, e nobili ac celebri Equitis Franciſci Gualdi Ariminenſis Muſeo, quod nunc praeclarius, mutato nomine & ſede, Regium in Monte Pincio Muſeum vulgo nuncupatur; ex quo videlicet idem Gualdus illud Ludovico XIV. Galliarum Regi dono dedit, atque in Coenobium PP. Minimorum Nationis Gallicanae in vertice Montis Pincii ſitum tranſferre fecit. Vitrum autem, ut vides, Chriſtiana bene precandi formula circumſcriptum eſt. At ſi quaeris, quid ſit iſtud* SIRTCA, *ſi ordine inverſo legeris, & ſecunda litera pro Graeco ſigmate acceperis, ſcies. Igitur* LVCIFER ZESES *eſt Jeſus Chriſtus: capita, quae coronantur, ſunt ejus Aſtra*. Ego amen Doctiſſimo Aringhio aſſentiri non potui num. 3. hujus Tabulae pag. 311. col. 1., ubi

ubi nacta occaſione hoc vitrum illuſtrandi, diſſentientibus quidem ſententiis, amicis tamen animis, meam mentem expoſui, incenſus ſtudio veritatis. De coronis nuptialibus ſingularis liber Maderi extat; atque idem argumentum attingit Paſchalius in Opere luculento *de coronis*. In tutelam & patrocinium a Chriſto, Lucifero, & Sirtca conjugibus, ſuſceptis, fauſta omnia ſcyphi conflator adprecatur in acclamatione convivii nuptialis. De eorum martyrio nihil antiquior tulit aetas, aut firmavit auctoritas traditionis. Quare nihil de iis loquar, ne incerta loquar, & vana.

21. Vitrum Coemeteriale editum ab Aringhio Tom. II. *Romae Subter.* pag. 265. num. 4. in quo duo Conjuges anonymi, cum acclamatione convivali PIE ZESES, *bibe, vivas*. Utebantur mulieres Chriſtianae tunica, quae propria ſexus eſſet, ſtola, atque palla, ut recte eſt ab Octavio Ferrario *De Re Veſtiaria* lib. 3. cap. 20. pag. 238., a Bayſio item *De Re Veſtiar.* pag. 587., & ab aliis Scriptoribus adnotatum. Sponſarum Nobilium veſtes, ſtolaſque imprimis, pretioſas quandoque fuiſſe etiam apud Chriſtianos, colligi facile ex Tertulliano poteſt lib. 2. *de cultu Feminarum* cap. 9. pag. 158.

 edit.

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

edit. 1744., atque ex Cl. Bonarrotio *Oſſerv. ſopra alcuni frammenti di vaſi antichi di vetro* pag. 152. Tab. 21. fig. 3. Viri iſtius caput cingitur nimbo, ut & Luciferi in praecedenti Vitro. Servius ad lib. 2. Aeneid. num. 57. *Nimbo effulgens, nube divina; eſt enim fulgidum lumen, quo Deorum capita cinguntur: ſic etiam pingi ſolent.* Et ad lib. 3. num. 55. *Proprie nimbus eſt, qui Deorum, vel Imperatorum capita, quaſi clara nebula, ambire fingitur.* Verum majores noſtri, qui mores, ſuperſtitionemque Ethnicorum execrabantur, alia prorſus ratione commiſerunt, ut Sanctis nimbus adjiceretur. Erant enim ita affecti animis, teſte Honorio Auguſtodunenſi lib. 1. cap. 133. ut *lumina, quae circa capita Sanctorum in modum circuli depinguntur, deſignarent, quod lumine aeterni ſplendoris coronati fuerunt. Idcirco vero ſecundum formam rotundi ſcuti pinguntur, quia divina protectione, ut ſcuto, nunc muniuntur.* Ex his ergo vitreis orbiculis ſatis conſtat, fuiſſe perſuaſum noſtris vel ab ipſo Eccleſiae naſcentis exordio, Sanctis Viris ad regnum Dei ſtatim aditum patere, beatitudine non dilata uſque ad conſummationem Saeculi.

22. Aringhius *Romae Subter.* Tom. 2. pag. 265. num. v. inquit: *Vitrum hoc antiquum*

quum ex Coemeterio Priſcillae erutum, cui effigies, & nomina eorum, quos inibi ſepultos (ſeu verius cultos) *credimus, inſcripta leguntur, videlicet* PETRUS, PAULUS, & PEREGRINA. Edidit hoc ipſum vitrum etiam P. Mamachius *Originum & Antiquitatum Chriſtianarum* Tom. III. lib. 3. p. 73. ubi ait *in figura 5. exhibetur vitrum, in quo ſunt pictae imagines* Petri, & Pauli, & Peregrinae *neſcio cujus*. Curabant veteres, ne quis habitu corporis oraret, qui minus precantem decere videretur. Quamobrem, ut plurimum, expanſis brachiis orabant. Hujus autem ritus cum in Patribus primitivis permulta ſint, tum hujus Peregrinae, mediae inter Principes Apoſtolorum Petrum, & Paulum, illuſtre erit exemplum.

23. Vitrum in Romanis Arenariis effoſſum, quod exſtat apud Bonarrotium in laudato Opere Tab. XXIV. num. 1. Legitur in peripheria MAXIMA VIVAS CUM DEXTRO. De hac acclamatione nuptiali multa jam diximus in Indiculo hujus Tabulae nu. 8. Maxima Dextri conjux primas tenet. Dexteram item occupant uxores, quae paullo ſupra viſuntur in orbiculis poſitis numeris 8. 18. 20. 21. Neque id factum credas ex chalcographi deſcribentis incuria, quod, cum iſtae

iſtae imagines hinc inde pellucidae ſint, non earum faciem, ſed averſam partem excoeperit. Verius etenim ex ipſis archetypis conſtat, uxores ad dexteram, & viros ad ſiniſtram conſpici. De cujus ritus ſignificatione erudite ſcribit ſupra laudatus Senator Bonarrotius pag. 160. Trimaclion apud Petronium, ſepulcrum ſibi vivens poſuit, atque architecto, qui operi praeerat, juſſit, *ad dexteram meam ponas ſtatuam* FORTUNATAE *meae*. In Cenotaphiis Ethnicorum, atque in Sarcophagis Chriſtianis editis ab Aringhio &c. alia quamplura extant mulierum, ad dexteram virorum ſuorum, vetera exempla. Vide Gruterum pag. 609. num. 5. 768. num. 2. & 779. num. 4.

24. Vitrum in Romanis Arenariis effoſſum, in quo PETRUS, PAULUS, LAURENTIUS, SUSTUS, CIPRIANUS, EPOLITUS exhibentur. In medio ejuſdem ſinu duae aliae imagines extant, quarum capitibus Chriſtus totidem coronas imponit: juxta illud, *Poſuiſti Domine ſuper caput ejus coronam de lapide pretioſo*: & illud, *corona aurea ſuper caput ejus expreſſa ſigno ſanctitatis, gloria honoris, & opus fortitudinis*: quo videlicet intuentibus Apoſtolicum jugiter oraculum ingeratur, *non coronabitur, niſi qui legiti-*

giti-

gitime certaverit. Vide Aringhium Tom. 2. *Rom. Subter.* pag. 265. num. 7., & noſtrum Indiculum hujus Tabulae num. 20. & 60. Alia horum vetuſtiſſimorum calicum Divinis Myſteriis inſervientium vitrea fragmenta in ſuburbanis Coemeteriis reperta, atque ornata ſacris imaginibus Sanctorum, quorum nomina leguntur in hoc vitro, vulgarunt, praeter Boſium, Severanum, & Aringhium in *Roma Subterranea*, Fabrettus in libro *Inſcriptionum* fol. 539., & omnium luculentiſſime Senator Bonarrotius, & Canonicus Boldettus ſaepe a nobis cum laude memorati. In his autem, ut plurimum, exhibentur Chriſtus Dominus, Virgo Deipara (ut apud Aringhium pag. 589. Tom. 2. & Boldettum pag. 202.), ac SS. Apoſtoli, & Martyres, quorum nomina recitabantur in Canone Miſſae, vel Feſta dies agebatur in Cubiculis Coemeteriorum. Hinc in hujuſmodi vitreis patenarum, ſeu veterum calicum, fruſtis ad ſacrum miniſterium paratis, habentur expreſſi PETRUS, PAULUS, ANDREAS, PHILIPPUS, JOANNES, & SIMON, ut videre licet apud Boſium, Severanum, & Bonarrotium Tab. 14. nu. 3. & 19. nu. 3; THOMAS, & PHILIPPUS, ut apud Boldettum pag. 201; STEPHANUS, LAU-

INDICULUS TABULAE III SAECULI I. LAURENTIUS, CORNELIUS, CYPRIANUS, & AGNES ut apud eumdem Bonarrotium Tab. X. XI. XII. XIII. XIV. XV. XVI. XVII. XVIII. XIX. XX. & XXI., item alii SS. Pontifices, & Martyres, ſeu Confeſſores, quorum nomina in Arenariis celebrabantur aut depoſitione, aut fundatione, ut CALLISTUS, VICTOR, JULIUS, DAMASUS, SIXTUS, TIMOTHEUS, HIPPOLYTUS, VINCENTIUS &c. qui videri poſſunt cum ſuis imaginibus apud Auctores indicatos. SUSTUS legitur in hoc vitro, uti etiam in aliis duobus poſitis in hac Tab. numeris 58. & 60, necnon in illo, quod eſt apud Illuſtriſſimum Praeſulem Joannem Lercarium Canonicum Sacroſanctae Baſilicae Liberianae. Et quoniam in horum ſecundo, *Suſtus* cernitur ſedens in ſella ad dexteram Sancti Timothei, & coronatus a Chriſto, mihi ea ſententia videtur ad veritatem propenſior, quae ait, S. Sixtum II. Romanum Pontificem, & Timotheum Epheſiorum Epiſcopum, ad quem Gentium Apoſtolus ſcripſit, in iiſdem vitris repraeſentari; ſubſtituta litera U Latina, pro Y Graeca, ſcriptoque SUSTUS, pro SYSTUS; quemadmodum in Inſcriptione Auguſti poſita in baſi Obeliſci ad Portam Flaminiam, in qua legi-

tur-

tur, AIGUPTO, pro AIGYPTO. SULLA quoque pro SYLLA, & SURIA pro SYRIA ſaepe in marmoribus occurrit, ut eruditi orthographiae Lapidariae Scriptores jam adnotarunt. Vide Boldettum Tom. I. p. 63. In Epigrammate quoque Sergii Papae II. in Baſilica Vaticana apud Baronium ad annum Chriſti 847. habetur,

NECTITVR ECCE PIIS FABIANO ET
COMPARE XVSTO
PRAESVLIBVS QVORVM SPIRITVS
ASTRA TENET.

Et in veteri Inſcriptione primum edita a Cl. Boſio in ſua *Roma Subterranea*, deinde mendoſe a Grutero pag. 1057. num. 9. (quae utrinque ſcripta eſt, nempe a Gentilibus parte una, parte vero altera a Chriſtianis, a quibus in Cœmeterium ſuburbanum pro operiendo PRINCIPALIS in pace defuncti tumulo fuit illata), haec habentur,

PRINCIPALIS
QVI BIXIT ANNIS
XLV. MESIS II. DEPO
SITVS NATALE SVSTI
BENEMERENTI CESQVET IN PACE.

S. Sixti II. Pont. & Martyris exſtat memoria

Ffffff. in

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

in vetuſtiſſimo Kalendario Bucheriano exhibito in noſtra Tab. II. Saec. I. nu. 31. & 32, atque vulgato a Ruinartio *Act. SS. Mart. ſincer.* pag. 731. Edit. Veron. in quo legitur, *VIII. Id. Aug. Syſti in Calliſti*. *Plane* (inquit Franc. Commendator Victorius in *Diſſertatione Philologica de monumentis ſacrae vetuſtatis* p. 38.) *plane* NATALE SUSTI, *ſextam diem indicare arbitramur menſis Auguſti, in quam diem incidit* NATALE S. SIXTI *hujus nominis II. Papae & Martyris praeclariſſimi, qui Saeculo III. vix ultra dimidium excurrente, ut Martyrologium Romanum habet; in Perſecutione Valeriani gladio animadverſus, Martyrii coronam accepit. Heinc probe ejuſdem* Natali, *ad epocham depoſitionis* PRINCIPALIS *firmandam, eamque poſteritati demonſtrandam uſi ſunt, qui memorato* PRINCIPALI *epitaphium inſcripſerunt*. SUSTUS, *ideſt* SIXTUS, *legendum eſſe in duabus antiquis pateris vitreis, non autem* JUSTUS, *ut Paulus Aringhius perperam interpretatur; ſolidis argumentis oſtendit laudatus Bonarrotius in adnotationibus ad vitrea fragmenta pag. 53. & 54.* Illa vero eadem patera vitrea, exhibita ad hunc numerum in noſtra Tab. III. (in qua SYSTUS ac TIMOTHEUS ſedentes expreſſi ſunt, qui-

bus

bus JESUS CHRISTUS coronam praebet), ſive alia illi ſimilis, in ejuſdem Muſeo Victorio ſervatur; quam, ut Lectori ſatisfaceret, Franciſcus Commendator, qui tantam gazam poſſidet, non imminutam modulo, ſed in ſua vera magnitudine delineatam, caelatamque, in laudato Opere exhibet, additque: *Aliud vitrum antiquum, in quo, circa duas ſtantes imagines ſacrum volumen manu gerentes, eodem modo legitur, heinc* TIMOTHEUS, *inde vero* SUSTUS (*ut in aliis hujuſmodi vetuſtiſſimis ſacris monimentis ſupra recenſitis animadvertimus*), *edidit Boldettus. Hanc eamdem nonnullorum veterum Chriſtianorum vere piam conſuetudinem indicandi defunctorum ſuorum diem emortualem, aut depoſitionis, annua recurrente aliqua Sanctorum celeberrima ſollemnitate illa ipſa die, nobis videmur agnoſcere in lapide* PECORII,*vaſe ſanguinis a Chriſtifidelibus praeſignato. Edidere lapidem Lupius, Marangonius, Muratorius, Corſinius, & alii. Porro lapis* (relatus item in noſtra Tabula I. Saeculi I. numero 58.) *eſt hujuſmodi:* PECORI DVLCIS ANIMA BENIT IN CIMITERO VII. IDVS IVL. D. P. POSTERA DIE MARTVRORV. „ Huc uſque laudatus Victorius. Sunt tamen hodie-

que qui legunt in vitreis pateris, de quibus heic agitur, non SUSTUS, ſed JUSTUS: ac nomen interpretantur de JUSTO illo Pauli diſcipulo, cujus mentio fit in Epiſtola ad Coloſſenſes cap. 4. v: 1. Item, quod ad Timotheum attinet, Franciſcus Blanchinus Patruus meus in notis ad *Anaſt.Bibl.*Tom.II. pag. 90. ſcribit: *Fortaſſe Timotheus ille* (*in vitro apud Aringh.* Rom. ſubter. *lib.*4. *c.* 47. *pag.* 405.) , *eſt Presbyter ac germanus frater Novati, Pudentianae, atque Praxedis; cujus, & Paſtoris conpresbyteri datas ultro citroque Epiſtolas recitat Baronius ad annum* 162. *occaſione dedicationis* TITULI PASTORIS, *ſeu Sanctae Pudentianae, a Pio I. Pontifice peractae in Thermis Novati* ,, . Haec de imaginibus: nunc de origine patenarum, calicumque ſacrorum ex vitro, quos Optatus lib. VI. cap.2. *Chriſti ſanguinis portatores* eſſe dixit, & Eccleſia Catholica, exemplo Redemptoris edocta, ad ipſum Chriſti Domini vivificum ſanguinem conſecrandum, diſtribuendumque Fidelibus primum eſt uſa. Principio enim *vitreos calices* fuiſſe, rerum ſacrarum Scriptores praeſtantiſſimi tradiderunt. Et inter ceteros Ven. Card. Baronius ad An. 216. §. 13. ac in Notis ad Martyrologium Romanum die VII. Auguſti, id moribus obtinuiſ-

tinuiſſe ſecundo tertiove Saeculo colligit ex Tertulliano, qui in Libro *de Pudicitia* capitibus VII. & X. picturas calicum, Paſtoremque humeris ovem geſtantem in iiſdem expreſſum, luculenter commemorat. Cui addit vulgatum ex Pontificali libro Zephyrini Papae Conſtitutum circa annum Chriſti 214. *de vitrea patena*. Vide etiam Andream Sauſſajum, qui abunde rem totam de uſu *vitrei calicis* illuſtravit in Panoplia Sacerdotali Parte I. lib.8. cap.4. 5. &.6. Quamvis autem in ipſis Chriſtianae Religionis primordiis vaſa etiam argentea, vel aurea, in uſu eſſent, vitrea tamen frequentius adhibebantur, atque in nonnullis Eccleſiis *calix vitreus* retentus eſt uſque ad Saeculum XI., licet in Synodali admonitione Leoni IV. adſcripta, quam ſub Aevum S.Bonifacii Moguntini conditam putat Baluzius in notis ad Reginonem p. 534. atque in Synodo Remenſi, quae, ut ſcribit Baronius, Durcortori Remorum ſub Carolo Magno celebrata eſt, fuerit interdictus. Apertiſſimum hujus rei teſtimonium extat in Vita S. Winnoci Abbatis Woromholtenſis ſcripta ad Auctore anonymo Saeculi XI, quod habetur cap. 12. Saeculi III. Benedictini, Part. I. pag. 309. S. Benedictus quoque Abbas Anianenſis, ut habetur ad An. 821. Saec. IV. Be-

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

IV. Benedictini Parte I. pag. 198. *vaſa ad Chriſti conficiendum corpus nolebat ſibi eſſe argentea: ſiquidem primum ei fuerunt lignea, deinceps vitrea & tandem conſcendit ad ſtannea*. Id tamen eximiae S. Benedicti paupertati eſt certe tribuendum, quippe *vaſa pretioſa* poſtea admiſit, & ſedulo conquiſivit. Quare Mabillonius in memoratis Annalibus notat ad allata SS. Winnoci, & Benedicti teſtimonia, uſum *calicis vitrei*, licet a Concilio Triburienſi An. Domini 895. abrogatus fuiſſet, perſeveraſſe uſque ad Saeculum XI, quo Henricus Germaniae Rex Richardo Virudunenſi S. Vitoni Abbati calicem unum de onychino, & alium cryſtallinum donaſſe dicitur: ſubjicit tamen, calices etiam ex ſapphiro, vitreos appellatos, ut patet ex charta quinta Patriciacenſi apud Perardum, in qua *Heccardus Comes Rotardo* cuidam legat *calicem vitreum de ſapphiro*. Sed ad priora Chriſti ſaecula regrediendum eſt, ad quae vitreorum calicum fragmenta, de quibus impraeſentiarum agitur, pertinent, atque illuſtrandae magis iconae eorundem calicum heic exhibitae, atque e ſacris Almae Urbis Coemeteriis extractae, in quibus leguntur nomina illorum Sanctorum, qui Romae praecipuo cultu inter Miſſarum ſolemnia recole-

ban-

bantur. Agamus igitur fuſiori calamo de uſu hujuſmodi vitrearum patenarum, ejuſque delectus cauſa. S. Zephirinus Papa, teſte Anaſtaſio Bibliothecario in Libro Pontificali, *fecit Conſtitutum, ut patenas vitreas ante Sacerdotes in Eccleſia miniſtri portarent.* Miniſtrorum nomine (inquit Bencinus in notis ad eundem librum Tom. II. pag. 168) plerumque veniunt Subdiaconi, qui, cum vel Presbyteris, vel Diaconis in miniſterio praeſto eſſe deberent, *ſequentes* dicuntur ſaepius in Ordine Romano. Et Amalarius lib.2. *de Offic.Eccl.* cap. 11., ſubſequentes vocat, ut etiam Alcuinus, & alii paſſim. Pontifex itaque decrevit, ut Subdiaconi ante Sacerdotes gererent *vitreas patenas*, dum, peracto Sacrificio a Pontifice Presbyteri deberent conſecratum panem ſuper has patenas recipere, & populo tradere, ut mox dicetur. Erat vero Zephyrini aetate pervulgatus uſus vitrorum, cum & calices ex eadem materia conficerentur, quod (ut ſuperius adnotatum eſt) coaevus Scriptor Tertullianus (c.7.) teſtatur in Libro de *Pudicitia*, dum adverſus Catholicos inſurgit: *Procedant picturae calicum veſtrorum, ſi vel in illis perlucebit interpretatio pecudis illius.* Et mox cap. 10. *Si forte patrocinabitur paſtor, quem in cali-*

ce

ce pingis: in fragili vitri materia Paſtorem expreſſum, & deſuper pictum, deducitur ex verbis ſubſequentibus: *At ego, qui Paſtoris Scripturas haurio, qui non poteſt frangi*. De uſu, imaginibus, & pictura vitrorum antiquorum, eruditiſſime toties laudatus, ſemperque laudandus Cl. vir Bonarrotius in Italico *de vitris in Coemeteriis Romae repertis* Opuſculo, diſſerit, & inventorum imagines exhibet. Vitrorum vero uſus in Euchariſtico peragendo Sacrificio inductus cenſetur, nedum ad munditiam, verum,ut quo modo poſſent,Fideles oſtenderentSacramenti peragendi excellentiam, & praeſentis Numinis majeſtatem denotarent. Erant apud pleraſque gentes vitra in conviviis, praecipue quae picta, & ſculpta erant, in ſumma aeſtimatione: quod paucis Apulejus expreſſit, cum de ſolemni convivio partes exhibet, *Metamor.* l. 2. pag. 52. *Frequens ibi numerus Epulonum, & utpote ad primatem feminam, flos ipſe Civitatis. Et opipares cibi, & ebore nitentes lecti, aureis veſtibus intexti, ampli calices,variae quidem gratiae,ſed pretioſitatis unius. Heic vitrum fabre ſigillatum, ibi cryſtallum impunctum; argentum alibi clarum; ut aurum fulgurans, & ſuccinum mire cavatum in capite, ut bibas*. Sed a moribus Ethni-

Ethnicorum, regrediamur ad uſum Eccleſiae. Hujus antiquum in Miſſarum celebratione ritum exhibet liber Pontificalis in recitata Zephyriniani Decreti perioche: & in ſequentibus verbis exprimit Presbyteros cum Pontifice celebrante etiam concelebraſſe, & ab ipſo deinde ſupra vitreas patenas conſecratum accepiſſe, populo diſtribuendum. De quo ritu, ob ampliatam Romae Religionem in aliquibus immutato ita loquitur Innocentius I. ad Decentium Eugubinum ſcribens, c. 1. *De fermento, quod de Dominico per Titulos mittimus, ſuperflue nos conſulere voluiſti, cum omnes Eccleſiae noſtrae intra Civitatem ſint conſtitutae. Quum Presbyteri, quia die ipſa propter Plebem ſibi creditam nobiſcum convenire non poſſunt, idcirco fermentum a nobis confectum per Acolythos accipiunt, ut ſe a noſtra communione, maxime illa die* (Dominica nempe) *non judicent ſeparatos. Quod per Parochias fieri debere non puto: quia non longe portanda ſunt Sacramenta, necnon per Coemeteria diverſa Presbyteris deſtinamus, & Presbyteri eorum conficiendorum jus habent & licentiam.* Blanchinus Patruus meus in Notis ad vitam S. Zephyrini Papae Tom. 2. *Anaſt. Bibl.* pag. 171, ut lucem afferat huic Innocentii I.

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

Epiſtolae, atque ea verba Libri Pontificalis illuſtret, quae habent, *Ut patenas vitreas ante Sacerdotes in Eccleſiam Miniſtri portarent.* Vitreas, inquit, patenas cur praeferri juſſerit Zephyrinus, potiuſquam ligneas, aut metallicas, non difficulter conjicimus, ſi attendamus diligentem curam & anxiam, qua Sacerdos in confringendis, ac dividendis oblatis, & conſecratis donis cavere debuit, ne fragmenta dilaberentur. Quare Tertullianus in libro de Corona militis, Origenes homilia 13. in Exodum, aliique Patres producti per V. Cl. Edmundum Martene *de antiquis Eccleſiae ritibus* lib. 1. cap. v. art. v. eam tantopere commendant. Illa autem cura & anxietas Eccleſiae Catholicae perennem Fidem comprobant contra Sectarios recentes in confitenda Chriſti Domini praeſentia ſub conſecratis ſpeciebus. *Conſtitutiones illas, inquit* (de reverentia erga Sacrificium, ac de modo expiandi defectus in ipſo occurrentes) *ex primaeva Eccleſiae traditione ad nos perveniſſe haud aegre fatebuntur* (ipſi Sectarii, qui modo negant), *ſi vel tantillum ad illa Tertulliani verba in Libro* de Corona Militis *cap. 3. animum reflectant*: (Calicis, & panis noſtri aliquid decuti in terram anxie patimur.). *Nec mino-*

minori conſideratione digna ſunt ea, quae ſcribit Origenes Homilia 13. *in Exodum*: Noſtis, *inquit*, qui Divinis Myſteriis intereſſe conſueviſtis, quomodo cum ſuſcipitis *Corpus Domini, cum omni cautela & veneratione ſervatis, ne ex eo parum quid decidat, & ne conſecrati muneris aliquid dilabatur. Reos enim vos eſſe creditis, ſi quid inde per negligentiam decidat*. „ Igitur ex Tertulliano *anxie* patiebantur ſuo tempore, hoc eſt ineunte ſaeculo tertio, Chriſtiani, ſiquid ex Euchariſtia in terram decideret; & ex Origine *reos* ſe eſſe credebant, & recte credebant, ſi quando id per negligentiam accidiſſet. Verum quae tandem tantae anxietatis cauſa? Quae culpa? quod crimen? quod illos *reos* conſtitueret, ſi praeter panem, & vinum, meramque figuram, aliud nihil agnoviſſent in Sacramento? Aliud ergo, & illud magnum aliquid, credebant, & quid aliud? „ niſi realem in Euchariſtia Chriſti praeſentiam. Eamdem erga Sacram Euchariſtiam Religionem inſpirat Cyrillus Jeroſolymitanus in Catecheſi 5. Myſtagocica, ubi Fideles, poſt acceptum in manibus Sanctum panem, ita admonet: „ *Cave autem, ne quid inde tibi excidat: quod enim amittas, hoc tanquam ex proprio membro amiſeris. Nam ſi quis tibi ra-*

menta aurea daret, nonne magna cum diligentia illa teneres, cavens ne quid ex illis periret, damnumque ſuſtineres? Et non multo magis & diligentius de his, quod auro gemmiſque pretioſius eſt, ne mica aliqua ex illo cadat, providebis? „ Haec autem amplius eluceſcent ex ritu & modo ſupplendi defectus in ipſo Sacrificio occurrentes, culpaſque in Divinum illud Sacramentum commiſſas expiandi, quas in ſubjectis ibidem ab eodem Martenio Statutis facile quiſque deprachendet, &c. „ Huic igitur diſciplinae anxie curanti, ne quidpiam oblati, & conſecrati muneris in terram dilaberetur, cum ſtudioſe intenderet Zephyrinus; videtur patenas vitreas praeferre idcirco voluiſſe ceteris, diverſa ex materie elaboratis, ad ſupponendum conſecratis ſpeciebus, dum Corpus Dominicum in Sacrificio offerretur, & oblata dona, ſub quibus latet, frangerentur: quod ſcilicet pellucida vitri materies redderet evidentiora minuta quaeque fragmenta: in quorum ſingulis peraeque praeſens cum fateamur integrum Domini Corpus, tanta erant ſolicitudine attente colligenda. Accedit, quod cum hoc tempore perſecutionum ſaepe neceſſe foret in cryptis Coemeteriorum, & hujuſmodi obſcuris ac ſubterraneis locis Sacra Myſteria celebra-

Digitized by Google

lebrare, ac diſtribuere Fidelibus Euchariſtica dona, ejuſmodi patenae vitreae a Subdiaconis afferendae, ac per Diaconos miniſtrandae Presbytero ſacra facienti, ac dividenti inter Fideles accedentes ad participandum, reddebant conſpicuas particulas etiam minutiſſimas, quae deciderent; praeſertim ſi admoto lumine lances iſtae vitreae, non ſecus ac ſpecilla in feneſtris illuſtrarentur. Laevigata ſuperficies metallicarum, quibus hodie utimur, eandem facilitatem praeſtat minuta quaeque fragmenta ſupra illarum ſuperficiem deprehendendi in aperto lumine ſacrarum Aedium; ſed in obſcuris receſſibus, in quos Chriſtianis neceſſe erat tum temporis ſeſe recipere, dubitari minime poteſt, quin vitri pellucida natura copiam praeberet opportuniorem micas omnes diffractarum ſpecierum colligendi, & guttulas etiam minimas, e calice forte decuſſas, miniſterio admoti & circumacti ac ſuppoſiti luminis undequaque inveſtigandi. Inde factum arbitror, ut aliquibus Epiſcopis vitrea materies electa ſit etiam in calice ad Sacrificium adhibendo, non tantum ſtudio paupertatis, quam anxiae hujus ſolicitudinis cauſa, quae inquiri & conſumi poſtulat, quidquid conſecratione converſum eſt in Corpus & Sanguinem Do-

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

Domini. Celebratur quidem in quarta Epiſtola B. Hieronymi ad Ruſticum Sanctus ille Epiſcopus Toloſanus nomine Exuperius, plurimarum virtutum laudibus, ſed praeſertim Euangelicae paupertatis ſtudio commendatus, de quo ita ſcribit: *Nil illo ditius, qui Corpus Domini in caniſtro ſumit vimineo, Sanguinem portat in vitro*. Et Card. Baronius in Notis ad Martyrologium, die VII. Idus Auguſti, & Severanus *Romae Subterr.* lib. VI. cap. 18, qui hoc exemplum recenſent, mirifice oſtendunt, vitreis ſaepe calicibus tam Apoſtolos uſos fuiſſe, quam complures Epiſcopos, & Sacerdotes per aliquot ſaecula conſecuta; licet etiam promiſcue uterentur pretioſis calicibus ex quovis ditiori metallo, ut Patruus meus oſtendit in Urbano: donec (*Decretum part. 3. cap. 44. & 45. & apud Ivonem lib. 1.*) in Concilio Rhemenſi tempore Caroli Magni periculum, quod imminebat effuſionis Sanguinis ex fragili materia apud eos, qui craſſioribus vitris fortaſſe non utebantur, occaſionem dederit vitreos calices omnino removendi a Sacrificio. Audiendus laudatus Baronius in notis ad diem VII. Idus Auguſti: *A temporibus Apoſtolorum vitreus Calix in uſu fuiſſe videtur. Unde Marcus Haereſiarcha illis temporibus proximus, & ipſe*

& ipſe aemulatus Catholicam Eccleſiam, utens calice vitreo in ſuis Sacris, impoſtura quadam per magicam artem exhibita populum dementabat: dum vini color albus, qui foris apparebat in vitro, quibuſdam praeſtigiis mutabatur in rubrum. Praeter Decretum Concilii Rhemenſis, produci poteſt Conſtitutum generale S. Leonis Quarti: quod ille vulgandum curavit per univerſos Epiſcopos in Dioeceſibus propriis: & legitur cum Conciliis editum, Homiliae titulo praefixo, tam in edit. Binii Tomo 3. par. 1. ſect. 2. p. 272., quam in editione Labbaei Tom. 8. pag. 300. *Nullus*, inquit, *in ligneo, plumbeo, aut vitreo calice audeat Miſſas agere*. Sub initium ejuſdem octavi Saeculi apud Aegyptios pariter adhibitos fuiſſe vitreos calices ac diſcos in Sacrificio, cum Eccleſia Alexandrina ſpoliata fuiſſet aureis & argenteis, quos antea poſſederat, intelligimus ex reſponſo Alexandri Jacobitarum Pſeudo-Antiſtitis; qui requiſitus a Monachis, & a Laicis, ut erogaret conſuetam largitionem Feria 3. Paſchatis, ita ſe excuſavit: *Videte fratres, quanta Eccleſiarum ſpoliatio facta ſit, adeo ut pro calicibus aureis, & argenteis, in quibus offerebatur Sanguis pretioſus, fecerimus vitreos, & diſcos ſeu patenas ſacras ex ligno*, Vide etiam

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

etiam Renaudotium in Hiſt. Patriarch. Alexandrinorum pag. 193. circa annum 714. Superaverat inter ſacra cimelia antiquitatis Eccleſiae, apud Patruum meum cuſtodita, atque ab eodem in ſupremis Tabulis Ampliſſimo Capitulo Veronenſi donata, portio vitrei calicis hemiſphaerici, ad eam fere magnitudinem ac figuram, qua hodie ſolemus ſacra vaſa argentea efformare, vel aurea, quae *Pyxides* communi vocabulo dicuntur, & ad aſſervandum Euchariſtiae Sacramentum in Altaris Menſa collocantur. Spiſſiori ex vitro conſtat vas illud Blanchiniani Muſei, & in eo figurae ſtantes viſuntur SS. Apoſtolorum, inciſis etiam eorumdem nominibus, ſimili genere caelaturae; ac alia ſit, quae per cava anaglypha literas atque imagines exhibet in poculis, ex craſſiori cryſtallo apud Germanos elaboratis, & ad nos perlatis. Barbaries tum caelaturae in imaginibus, tum ſcripturae in nominibus, aetatem indicat ſeptimi, vel octavi circiter Saeculi, paulo ante quam Leonis IIII. Conſtitutione hujuſmodi calices prohiberentur. Supra figuras Apoſtolorum, in ejuſdem vaſis fragmentis ſeparatas ſingillatim per columnas porticum efformantes, ita leguntur Petri, Andreae, & Philippi nomina expreſſa: PETRIUS ....

AN-

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

ANDREAS PHILIPPUS. Supra Columnas vero ſingulas nomen Chriſti conſpicitur per Graecum Monagramma expreſſum, & ornamento circuli incluſum . Cum ad Blanchinum Praeſulem venalia perferrentur haec vetuſta fragmenta vitrei calicis, audivit effoſſa fuiſſe in Monte Aventino inter antiqua Eccleſiae rudera prope S. Priſcam. Diſcorum, ſeu Patenarum ex vitro fragmenta antiqui operis, quae diametrum ſui circuli oſtendunt pluſquam bipedalem, videri poſſunt etiam in Cimeliarchio cl. mem. Em. ac Rev. D.Card. Gualterii, omnigenae antiquitatis copia referto. Alia vero minoris menſurae, & noſtris communibus aequanda, eaque ornata ſacris imaginibus Sanctorum, ac literis, paſſim reperta in ſuburbanis Martyrum cryptis ac Coemeteriis, vulgarunt Boſius, Severanus,& Aringhius in *Roma Subterranea*, Fabrettus in Corpore *Inſcriptionum*, atque omnium luculentiſſime Senator Bonarrotius in lib. *de vitreis fragmentis*, & Canonicus Boldettus, de Coemeteriis &c. In his autem, imaginibus, & literis exhibentur, ut plurimum, Chriſtus Dominus, & Sancti ejus, vel in Canone Miſſae commemorati,aut quorum Feſta dies in Coemeteriis celebris habebatur.

Hhhhhh 25. SAN-

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

25. SANCTAE DEI GENITRICIS IMAGO, quae infantem Jeſum ulnis exceptum gerit, parvae cuidam abſydi Cubiculi unici Coemeterii S. Julii Papae Via Flaminia inſculpta (atque in Tabula I. ex aere inciſa apud Aringhium *Rom. Subter.* Tom. II. pag. 353. num. 1.), *juxta quam*, ut ipſe ſcribit, *dextro in latere, characteribus uno ſuper altero exaratis, haec verba leguntur*, SCA DI GENETRIX. *Sub ipſamet imagine ſepulcrum quoddam, excipiendo infantis corpuſculo aptatum cernitur.* Ut aſſequamur felicius memoriam rerum in Concilio Epheſino geſtarum, & fidei Dogma, hoc in anaglypho expreſſum, praeſtat illud attendere, quod legitur in Epiſtola S. Hadriani Papae ad Carolum Magnum, de cultu ſacrarum imaginum, data, Romanos ſcilicet Pontifices conſueviſſe poſt ſingula Oecumenica Concilia feliciter abſoluta, in gratiarum actionem Deo dicare hujuſmodi monumenta partae per ipſum victoriae, Catholicae veritatis ab Haereticorum inſidiis, & oppugnationibus vindicatae, futura ſimul tropaea memoranda certaminis bene geſti, & incitamenta praeclara fidelis populi, ad conſtabiliti cultus hoſtiam bonorum omnium Largitori offerendam. Enumerat Hadrianus ſingulas Oecume-

cumenicas Synodos a Deceſſoribus ſuis celebratas, & digitum intendit in ſacras Aedes ita exornatas a Silveſtro poſt Nicaenam, a Damaſo poſt Conſtantinopolitanam, & a Caeleſtino, & Xyſto poſt Epheſinam feliciter abſolutam. Haec vero nobis ſuggerit Dogma contra blaſphemias Neſtorii conſtabilitum, juxta Propheticas atque Euangelicas Scripturas, de Unigenito Dei Filio in utero Virginis hypoſtatice unito humanae naturae, quam aſſumpſit, ac de titulo DEI GENITRICIS eidem Virgini tribuendo. Recolendum pariter duco ex ornamentis plane ſimilibus, non modo in Occidente, verum etiam in Oriente poſitis in ſacris Aedibus, a Magno Conſtantino, aut a proxime ſubſequutis Principibus magnificenter conſtructis, & per Pontifices ſolemniter dedicatis, conſtare, ſolitos fuiſſe Praeſules, de Synodorum memoria illis inſerenda; ut Eccleſia Dei promptius repeteret religionis actus, Divini Spiritus afflatu in iiſdem Synodis conſtabilitos. Sit inſtar omnium Eccleſia Bethleemitica ab eodem Conſtantino fundata, & ſubinde refecta cum ſuis muſivis circa finem ſeptimi, & initium octavi Saeculi, ut conſtat ex Inſcriptionibus non Graecis modo, ac Latinis, verum etiam Armeniaca, & Arabica

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

Hhhhhh 2 lin-

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

lingua ibidem poſitis, & a Praeſule Joanne Ciampinio editis in Libro *de Sacris Aedificiis a Magno Conſtantino conſtructis* c. 24. Complurium Conciliorum imago, & memoria ibidem exhibetur; imago quidem, *per Altare Muſivo expreſſum*; memoria vero & indicatio cujuſque Concilii, per epigraphen ſingulis imaginibus aptatam Graecis plerumque literis: ut in areola tertia Concilii Epheſini (ad quod reſpicit anaglyphum Cubiculi S. Julii Papae, de quo agimus) memoria ita proponitur:

✱ Η ΑΓΙΑ ΣΥΝΟΔΟΣ Η ΕΝ ΕΦΕ
CΩ ΤΟ ΠΡΟΤΕΡΟΝ C ΑΓΙ
ΝΩ &c. quae a memorato Ciampinio ita Latine redditur ✠ *Sancta Synodus Epheſina prius ducentorum Patrum ſub Theodoſio Juniore coacta eſt contra Neſtorium, qui Chriſtum in duas Perſonas dividebat, & Matrem Domini Dei Parentem non fatebatur. Definivit autem Sancta Synodus, & confeſſa eſt, Unigenitum Dei de Caelis deſcendiſſe, & incarnatum fuiſſe de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & humanatum fuiſſe ſecundum unionem hypoſtaticam, & eam, quae ipſum peperit, Deiparam eſſe, & Neſtorium anathemate percuſſit*. Exſtat Veronae, quae mihi Patria eſt, inſignis Inſcriptio, edita in Mu-

Muſeo Lapidario a Viro Cl. Marchione Scipione Maffejo pag. lxvi. num. 2. quam ſi dixero Epheſinae Synodi de profligato Neſtorio inſigne tropaeum, ſane non mentiar. Habet autem,

✱ ΑΓ. ΜΑΡΙΑΘΕΟΤΟΚΕΦΥΛΑΞΟΝ

ΤΗΝΒΑΣΙΛΕΙΑΝΤΟΥ

ΦΙΛΟΧΡΙΣΤΟΥΙΟΥΣΤΙΝΙΑΝΟΥ

ΚΑΙΤΟΝΓΝΗΣΙΩΣ

ΔΟΥΛΕΥΟΝΤΑΑΥΤΩ

ΒΙΚΤΩΡΙΝΟΝ✱ΣΥΝΤΟΙΣ

ΟΙΚΟΥΣΙΝΕΝΚΟΡΙΝΘΩΚΑΤΑΘΕΟΝ✱

ΖΩΝΤΑΣ✱

Santa Maria Deipara, tuere Imperium Chriſtum amantis Juſtiniani, eique ingenue famulantem Victorinum, & Corinthi incolas ſecundum Deum viventes. Deiparae titulus legitur etiam in S. Leone Papa, Ephremio Patriarcha Antiocheno apud Photium Cod. 228., Synodico adverſus Tragoediam Irenaei cap. 15, Chronico Ms. Georgii Hamartoli in Leone Magno, & Niceta Byzantio pro Concilio Calchedonenſi pag. 704. Alia

apud

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

apud alios vide teſtimonia, praeſertim apud Allatium in Diſſertatione *de Liturgia S. Jacobi*, & Suicerum *in Theſauro Eccleſiaſtico &c.*

26. Vitrum in Romanis Arenariis effoſſum, cum Epigraphe acclamationis convivalis, DIGNITAS AMICORUM VIVAS CUM TUIS FELICITER. Viſitur in area Chriſtus RedemptorMundi, ſiniſtra manu volumen tenens, ad cujus latus ſitum eſt ſcrinium ejuſdem voluminis. Sub pedibus exſtat Terrarum globus, unde propria virtute ſublatus eſt, cum prius *elevatis manibus benedixiſſet* Apoſtolis, videlicet fauſta & felicia omnia eiſdem precatus fuiſſet. Stephanus, qui auſcultat eloquia ejus, teſte S. Auguſtino Sermone 316. *inter Diaconos nominatur primus, ſicut inter Apoſtolos Petrus. Incertum eſt, unde fuerit; utrum ex illis, qui prius in Chriſtum crediderant, ſicut Nicodemus, qui ad eum venit nocte; an forte ex illis, qui poſt aſcenſum Domini, veniente Spiritu Sancto, quando impleti ſunt Diſcipuli, & loquebantur linguis omnium Gentium.* Paſſionis ejus Hiſtoriam admirabili ordine deſcripſit S. Lucas in Actis Apoſtolorum. Chriſtianae vero doctrinae, quam vel ab ipſo Servatore noſtro, (ut hoc vitrum videtur innuere), vel

a Prin-

a Principe Apoſtolorum audierat, cum intentiorem operam daret, & ante Concilii Praeſidem (interrogatus vera ne eſſent, quae a diverſi generis Judaeis in ipſum dicebantur) objecta crimina ſermone divinitus inſpirato refelleret, tam acriter, tamque libere in eorum pervicaciam invectus eſt, ut illos reos agere non dubitaverit, quod Spiritui Sancto ſemper reſiſterent, imitati peſſima Majorum exempla, qui Prophetas primum, deinde Chriſtum ipſum interfecerant. Ad haec ira incenſi, nullo ſervato juris ordine, raptum extra Urbem lapidibus obruerunt. In ipſa autem lapidatione vidit Jeſum ſtantem a dextris virtutis Dei: quam item viſionem forte hoc vitrum expreſſit. Ab antiquiſſimis uſque temporibus, poſtridie Natalem Chriſti diem, Stephani Martyrium Eccleſia celebravit: atque in Cappadocia, & Ponto, ubi VIII. Idus Januarii ortus Chriſti Domini recolebatur, dies inſequens Stephano ſacra fuit, variata quidem ratione temporis, ſed antiquo Eccleſiae more ſervato, ut haec duo Feſta conjungerentur. Sicut ergo miro conſenſu Stephani mortem, cum Natali Chriſti die copulavit antiquitas, ita factum puto etiam in vitro. In antiquiſſimo Martyrologio edito a Florentinio, ad diem 26. Decembris

bris habetur: *in Oppido Hieroſolymitano* Villa *Caphargamala Paſſio* (lege *Depoſitio*) *S. Stephani primi Martyris, Diaconi, & Apoſtoli, qui lapidatus eſt a Judaeis*. ISTEFANUS legitur in noſtro vitro; cujus rei nulla alia videtur eſſe cauſa, quam quae & in marmoribus occurrit, ut nempe quandoque addatur a Lapicidis litera I, ubi vocabulum a duabus conſonis inchoatur. Hinc marmor erutum ex Coemeterio Priſcillae, atque editum a Severano *Rom. Subter.* lib. 3. cap. 61. pag. 476, & ab Aringhio lib. 4. cap. 27. pag. 118. habet, ISTEFANV. Et aliud repertum in Coemeterio Calliſti, ISTETIT IN SECVLO, ut videre licet apud eoſdem Severanum lib. 3. cap. 23. pag. 294. & Aringhium lib. 3. cap. 22. pag. 306. In duabus quoque Inſcriptionibus a Fabretto vulgatis cap. 8. pag. 571. legitur, ISPIRITO, & ISSPIRITO SANCTO, ut & in alia a Cl. Bonarrotio pag. 112. *Vitreorum fragmentorum &c.* publici juris facta,

☧ ISPES IN CRISTO BONOSO &c. ſine adſpiratione H in *Chriſto*, quae in noſtro pariter vitro deſideratur.

27. Vitrum Coemeteriale, in quo Chriſtus ſtat medius inter duos Viros, *Julium* videlicet, ac *Electum*. Ambo tunica, ſeu exo

exomide induti, volumen manibus tenent; quod forte ſignificat Codicem Euangeliorum. Chriſtus veſtitus pallio, ELECTO manum imponit, juxta veterem Ordinationis Diaconi ritum moremque divinitus inſtitutum. Boldettus lib. 2. cap. 2. *Obſervationum in Coemet. SS. Martyrum* pag. 43. repertum fuiſſe narrat in Coemeterio Priſcillae corpus cujuſdam Martyris nomine Julii, una cum vaſe ſanguinis, atque hac Inſcriptione; DORMITIONE JULIO IN PACE, quae Chriſti Monogrammate, & palma eſt inſignita. Religioſe coluntur ejus exuviae ſub Ara veteris Eccleſiae Nobilium Monialium Oblatarum Ven. Monaſterii, quod vulgo appellant *Turris Speculorum*, ubi Cubiculum S. Franciſcae Romanae Viduae primum fuiſſe traditur. Kalendarium vero Bucherianum in *Depoſitione Epiſcoporum* meminit Julii PP. *pridie Idus Aprilis, Julii in Via Aurelia, milliario III. in Calliſti*: ubi animadvertendum eſt, non eſſe intelligendum *Coemeterium Calliſti in Via Appia* ſitum, ſed Coemeterium Viae Aureliae, in quo Calliſtus Papa depoſitus fuit, cui nomen fuit Coemeterii Calepodii. Quinam fuerint JULIUS, & ELECTUS, quos hoc vitrum exhibet; aequi bonique Lectoris judicium eſto. Lu-

pius in adnotationibus ad Severae Martyris Epitaphium §. 9. pag. 192. & 193. ſcribit, literam Z pro I in nomine Jeſu fuiſſe aliquando uſurpatam, ut in hoc eodem vitro. Vide laudatum Boldettum pag. 194. 205. 208. & 266. ac lapidem Gruterianum pag. 1058. num. 6.

28. Vitrum in Coemeteriis effoſſum, atque editum a Bonarrotio in libro, cui fecit titulum, *Oſſervazioni ſopra alcuni frammenti di vaſi antichi di vetro* Tab. XVIII. fig. 1. Infra ſacram noſtri Servatoris Imaginem, duae aliae majores apparent Viri ac Mulieris collo tenus expreſſae, quae a Chriſto coronantur. Paterae hujus vitreae pars ima excidit, fortaſſe diffracta a foſſoribus improvide inter effodiendum. Legitur in peripheria DULCIS ANIMA VIVAS: quae acclamatio in vaſculis Coemeterialibus non ſemel occurrit, ut ſupra jam diximus de hoc eodem ſcribentes argumento. Chriſtus coronans Electos ſuos, pingi conſuevit in calicibus vitreis. An tamen patera haec, de qua loquimur, fuerit Nuptialis, an potius donarium Agapes Natalitiae alicujus Viri Chriſtiani una cum ſponſa ibidem repraeſentati poſt mortem, mihi certo non conſtat.

29. In ſelectis (inquit Aringhius Tom. I. *Ro-*

Digitized by Google

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

Romae Subter. pag. 151.) Coemeterii Vaticani Sepulcris ferrea haec ungula reperta eſt, qua dire olim Martyres a tortoribus excarnificabantur. Eſt autem veluti nobiliſſimum Chriſtianae Fidei, invictaeque Martyrum patientiae monimentum, quod ad hanc uſque diem in Vaticana Baſilica ſumma Fidelium veneratione ſervatur, & interdum recurrentibus ſolemniorum Feſtivitatum diebus populo conſpiciendum proponitur. Cujus poenalis inſtrumenti Baronius in ſuis ad Martyrologium Romanum Adnotationibus die 26. Junii expreſſe antea jam meminit. Tempus adinventionis ejus in dictae Baſilicae Archivo his verbis adnotatur: *Forceps ferreus, ſeu inſtrumentum ad torquendum Martyres, repertum in Sepulcris Martyrum, cum tempore Pauli III. noviter effoderentur fundamenta Baſilicae.* Ita habet Liber, qui continet ſingularum Reliquiarum ejuſdem Sacrarii Catalogum, confectum anno 1550. Niſi vero ita (ut in noſtro ichoniſmo) formatae ungulae fuiſſent, nullatenus intelligi haec Prudentii verba poſſent Περὶ Στεφάνων Hymno I. pag. 68. edit. anni 1625.

Illa virgas, & ſecures & BISULCAS UNGULAS.

& Hymno X. pag. 115.

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

Coſtas BISULCIS *exſecandas* UNGULIS.

Errat igitur vehementer Saggittarius, qui injuria Gallonium noſtrum inſectatur. P. Mamachius *Originum, & Antiquitatum Chriſtianarum* Tom. III. lib. 3. pag. 201. ſcribit: Ungularum frequens eſt ab antiquis Scriptoribus facta mentio. Mitto Scriptores Ethnicos, ne ſim longus. Tertullianus Scorpiaces cap. 1. pag. 488, *Alii* (inquit) *ungulis.... deguſtata martyria in carcere eſuriunt*: item Apologetici cap. 12. pag. 97 Append. edit. Venetae ann. 1744. *ungulis eraditis latera Chriſtianorum*: & cap. 30. pag. 104. *ſic itaque nos ad Deum expanſos ungulae effodiant*. S. Cyprianus quoque ad Donatum p. 7. edit. Oxon. *haſta, & gladius, & carnifex praeſto eſt, ungula effodiens &c.* & libro *de Lapſis* pag. 127. *nunc equuleus extenderet, nunc ungula efſoderet*. Item Euſebius lib. 8. cap. 10. pag. 388. *quidam illorum manibus poſt tergum revinctis ad ſtipitem ſuſpendebantur, ac deinde univerſa corporis membra machinis quibuſdam diſtendebantur. Poſt haec tortores juſſu Judicis univerſo corpori, neque ut homicidis ſolet, lateribus dumtaxat, ſed etiam ventri, cruribus, ac genis cruciatus ferreis ungulis adhibebant*. Paria habet cap. 13. pag. 394.

pag. 394. & cap. 15. pag. 401. ac lib. de Martyribus Palaeſtinis cap. 1. pag. 408. cap. 4. pag. 415. cap. 7. pag. 418. & cap. x. p. 433. & Lucius Caecilius Lactantius in lib. de Mortibus Perſecutorum cap. 16. pag. 203. edit. Paris. Op. Lactantii an. 1748, *Nihil*, inquit, *adverſus te verbera, nihil ungulae, nihil ignis, nihil ferrum, nihil varia tormentorum genera valuerunt*. Hinc laudatus Prudentius Hymno XI. περὶ Στεφάνων, qui eſt de S. Hippolyto pag. 140.

Ungula fixa cavis coſtarum cratibus altor
Pandere ſeceſſus, & lacerare jecur.

Confer Ruinartium *in Actis SS. Martyrum ſinceris* pag. 65. ubi de SS. Epipodio, & Alexandro; pag. 234. ubi de SS. Claudio, & Aſterio; pag. 251. ubi de S. Bonifacio; & pag. 305. ubi de S. Theodoto agitur. E novis, adeundi ſunt Gallonius pag. 129. & ſeqq. Aringhius Tomo I. lib. 2. cap. 4. pag. 220, ac Tom. II. lib. ultimo, cap. 1. pag. 684., Magius *de Equuleo* pag. 176. edit. an. 1564., Ferrarius lib. I. Electorum, cap. 6. pag. 23. edit. an. 1979. & Cl. Bottarius in Praef. Tom. 2. *Romae Subter*. pag. 12. Variae ſunt, interque ſe diffidentes, de hoc genere tormenti, (ungularum nempe) ſententiae. Ego vero etſi

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

etſi inſtrumenta omnia, quae ungularum, quibus ſunt ferae inſtructae, figuram exhibent (ſive illa tribus lamellis adjunctis conſtent, cujuſmodi ſunt ea, quae exhibet noſter Aringhius *Rom. Subter.* To. 2. lib. ult. cap. 1. ubi ectypum ungulae affert, in noſtra quoque Tabula repraeſentatae num. 53. quam in Coemeterio Calepodii erutam pretioſi inſtar theſauri in Muſeo Franciſci Barberini Cardinalis aſſervati tradit, ſive ſimilia eorum, quae deſcribit noſter Gallonius), hoc vocabulo appellata fuiſſe putem; tamen opinio illorum videtur eſſe ad veritatem propenſior, quae *ungulas* proprie eas fuiſſe dictas defendit, quas idem Gallonius ſic perfici conſueviſſe arbitratur. Conjungebant Ethnici laminas ferreas oblongas duas, eo fere modo, quo ferreae forcipis fabrorum laminae copulari ſolent. Earum laminarum inferiores extremae partes, rotundae, excavataeque ſubtus erant. Quod idcirco fiebat, ut iis haſtulae infererentur; quo commode, ſuſpenſi pendenteſque, lacerari a carnifice, dilaniarique poſſent. Partes laminarum ſuperiores, longitudinem fere palmi, duorumque digitorum latitudinem aequabant; tametſi aliquas longiores, brevioreſque fuiſſe non negem. Atque his ſuperioribus partibus,

bus, ferrei inſigebantur mucrones ſex, hoc modo, ut ex altera ſumma parte duo, qui hiulcam ungulam ferarum veluti formarent, ex altera unus eſſet, qui, cum forceps clauderetur, inſeri hiulcae ungulae poſſet, ac penetraret carnem, & findendo, tenendo, trahendoque, laceraret. Rurſum paullo inferius, ex ea parte, cui unum fuiſſe infixum mucronem diximus, hiulci perinde mucrones duo, ex altera unus ponebatur, quo, duobus veluti uncis ſulcando, acerbius tormentum eſſet. His vero ſuppliciis Sancti Martyres ſaepe, ac multum cruciabantur. Forcipes autem, quae vulgo dicebantur, aliae quidem contundendorum, aliae vero incidendorum membrorum, aliae denique tondendarum, propter ignominiam, mulierum cauſa inventae ſunt. Vide Gallonium *de Cruciatibus Martyrum* pag. 131. & Baronium *in Notis* in Martyrologium Romanum ad diem VI. Kal. Jul. quo loco teſtem appellat Syneſium Epiſt. 58. pag. 201. edit. an. 1640. ut ſcribit laudatus Mamachius, ex quo nos iſta deprompſimus.

30. Lucerna aenea in Coemeterio effoſſa, cujus iconam dedit Aringhius Tom. I. p. 511. De Cruce Servatoris noſtri in eadem expreſſa, quoniam dictum ſuperiore num. 8. & ſeqq. eſt,

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

eſt, nihil eſſe cauſae arbitror, cur eſſe rurſum dicendum putem. Eo ſimbolo fiebat, ut, qui cernerent, gratias referrent Deo, quod redempti ſalutari Signo Crucis eſſent, & darent operam, ut eam non propugnarent modo, ſed etiam portare in corporibus ſuis quotidie conarentur. Majores noſtri (qui tanquam oves occiſionis ad carnificinam undique conquirebantur) inter contumelias, & inſectantium probra, quae Chriſtum confitentibus in dies ſuppetebant, Crucem oculis intuentes, praemonebantur, ut prompto libentique animo eam tollerent. Quamobrem hoc, victoriae a Chriſto partae, ſalutiſque humanae, tropaeum, tot oraculis a Prophetis praenunciatum, in lucernis ſculpere conſueverunt, ut Fideles, ſi veram ſtabilemque gloriam adipiſci vellent, exemplo Chriſti ad incommoda, aerumnas, mortemque ipſam perferendam incitarentur. Monuerat enim Chriſtus, ut, qui eum imitari vellent, ſuam Crucem tollerent; hoc eſt omnia incommoda, reſque adverſas, ſi quae contigiſſent, libenter ferrent, Matthaei cap. 16. verſ. 24. Frequenter quoque in Lucernis, ut in vertice hujus de qua loquimur, aliiſque monumentis veterum Chriſtianorum *columba* occurrit: eſt namque, ut Patres omnes tradunt

dunt, candoris, ſimplicitatiſque morum, & amoris, & pacis, & caſtitatis, & prudentiae, & contemplationis, & mitis demiſſi innocentiſque animi ſymbolum. Adiſis Tertullianum, Clementem Alexandrinum, Cyrillum Hieroſolymitanum, Auguſtinum, aliosque, quos laudant Aringhius *Rom. Subterr.* lib. *6.* cap. 35. pag. *607*, Bonarrotius *Oſſervazioni ſopra alcuni frammenti di vaſi antichi di vetro* pag. 124., Praeſul Joannes Bottarius *Spiegazioni delle Pitture e Sculture della Roma Sotterranea* Tab. 30. pag. 116 Tom. I., & Boldettus *Oſſervazioni ſopra i Cimiterj &c.* lib. I. cap. 7. p. 24. Hinc S. Paulinus Nolanus in 32 ad Severum Epiſtola num. 14. pag. 205. edit. 1736. ſcribit:

Nos quoque perficies placidas tibi Chriſte columbas.

31. PROJECTIO CORPORUM SANCTORUM PETRI ET PAULI IN CATACUMBAS. S. Damaſus Papa, ut ſcribit Auctor Libri Pontificalis in ejus Vita, *aedificavit Platoniam* (ideſt *pavimentum marmoreum*) *in Catacumbis, ubi Corpora SS. Apoſtolorum jacuerunt, quam verſibus exornavit.* Hi extant apud Gruterum in Collectione Inſcriptionum pag. 1172. num. 12. item apud Baronium, Aringhium, Sarazanium, & An-

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

tonium Fonſeca lib. I. *de Baſilica S. Laurentii in Damaſo* cap. 8. pag. 52. Mabillonius quoque eoſdem edidit Tom. IV. *Veterum Analectorum* pag. 504. & habent:

Hic habitare prius Sanctos cognoſcere debes,
Nomina quiſque Petri, pariter Paulique requiris.
Diſcipulos Oriens miſit, quod ſponte fatemur,
Sanguinis ob meritum Chriſti, qui per aſtra ſecuti
Aetherios petiere ſinus, regnaque piorum,
Roma ſuos potiùs meruit defendere Cives.
Haec Damaſus veſtras referat nova ſidera laudes.

S. quoque Gregorius Magnus in inſigni Epiſtola ad Conſtantinam ſeu Conſtantiam Auguſtam, quae eſt trigeſima libri IV. Regeſti; *De corporibus* (inquit) *Apoſtolorum quid ego dicturus ſum? dum conſtat, quia eo tempore, quo paſſi ſunt, ex Oriente Fideles venerunt, qui eorum corpora, ſicuti civium ſuorum, repeterent. Quae ducta uſque ad ſecundum Urbis milliarium, uſque ad locum*

qui

qui dicitur Catacumbas, collocata ſunt. Sed, dum ea deinde levare omnis eorum multitudo conveniens niteretur, ita eos vis tonitrui, atque fulguris nimio metu terruit, atque diſperſit, ut talia denuo nullatenus attentare praeſumerent. Tunc autem exeuntes Romani, qui hoc ex Domini pietate meruerunt, levaverunt, & in locis, ubi nunc ſunt condita, poſuerunt. Magna eſt apud me auctoritas S. Gregorii, affirmantis paullo poſt tempus Paſſionis Apoſtolorum, eorundem Sacra Corpora fuiſſe a Graecis furtim ſublata ex Tropaeis poſitis via Triumphali, quae ad Vaticanum ducit, & illa, qua Oſtiam itur: ſed Pontifex vere Magnus ſollicitus magis de rebus, quas tractabat, quam de tempore, quo res praeciſe contigerunt, heic intellexit *tempus, quo paſſi ſunt* Apoſtoli, cum aliqua latitudine. Certe ita reſtringi factum ad tempus Paſſionis non poteſt, ut non fuerint Sacra pignora in Vaticano,& viaOſtienſi depoſita, antequam ab Orientalibus ſuffurarentur. Quomodo enim ipſo praeciſe Martyrii tempore venire poterant Romam, tam longum iter emenſi, ut corpora raperent, de quorum caede nihildum inaudierant in Patria ſua? Igitur Translatio prima Sacrorum Corporum Petri & Pauli ab Orientalibus fur-

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

tive facta ex locis ipſorum Martyrii (ubi fuerunt primum depoſita) ad Catacumbas, eorumdemque Corporum ad priſtina loca reductio, multum praeceſſit tempora Caji Theologi, qui in diſputatione, adverſus Proclum Cataphrygarum anteſignanum habita Romae temporibus Zephyrini Papae, ait: *Tropaea Apoſtolorum habeo, quae oſtendere poſſum. Si enim procedas via Triumphali, quae ad Vaticanum ducit, aut Oſtienſi, eorum invenies Tropaea, quibus ex utraque parte ſtatutis Romana communitur Eccleſia.* Vide Euſebium *Hiſtoriae Eccl.* l.2. capite penultimo. Cum ergo Apoſtolorum Principes paſſi ſint Sillano & Attico Conſulibus, & Petrus (ut habetur in Libro Pontificali) *ſepultus fuerit via Aurelia, in Templo Apollinis, juxta locum, ubi crucifixus eſt, juxta Palatium Neronianum in Vaticano, juxta Territorium Triumphalem II. Kal. Julias*; *Pauli* vero *corpus* (teſte Auctore Catalogi Romanorum Pontificum, quem *ſecundum* vocant, editi ab Henſchenio Tomo I. Aprilis pag. XXVI Diatribae praeliminaris) *acceptum Beata Lucina poſuerit in praedio ſuo via Oſtienſi, juxta locum ubi decollatus eſt*; neceſſatio conſequitur, ex memorati Gregorii teſtimonio, quod *exeuntes Romani levaverunt* Corpora eorundem Apoſtolorum mul-

multo ante obitum Zephyrini Papae, (conſignatum anno 217.), *& in locis, ubi nunc ſunt poſita, poſuerunt*. Compilator enim primae partis Libri Pontificalis in *Anacleto* ait: *Hic memoriam B. Petri Apoſtoli conſtruxit, & compoſuit, dum Presbyter factus fuiſſet a Beato Petro, ſeu alia loca, ubi Epiſcopi reconderentur ſepulturae: ubi tamen & ipſe ſepultus juxta Corpus Beati Petri III. Idus Julii*. En ergo, cur Zephyrino Romanae Eccleſiae preſidente Cajus Theologus oſtenderit Apoſtolorum *Tropaea* ad Viam *Triumphalem*, *quae ad Vaticanum ducit*, *& ad Oſtienſem*, non vero ad Catacumbas; quoniam ex illis Arenariis *Romani jam levaverant ea*, ut ſcribit laudatus S. Gregorius. At, inquies, in Catalogo Romanorum Pontificum edito a Scheleſtratio Tomo I. *Antiquit. Eccl.* pag. 611. num. 22 ex Codice Palatino Bibliothecae Vaticanae nongentorum circiter annorum, quem Patruus meus amantiſſimus iterum vulgandum curavit in Proleg. Tom. II. *Anaſtaſii Bibliothecarii* pag. XIV. legitur de Cornelio, qui Zephyrino poſterior fuit, *levavit corpora Apoſtolorum Petri, & Pauli de Catacumbis*: & Compilator prioris Partis Libri Pontificalis habet: *Cornelius Centumcellis pulſus eſt, & ibi ſcriptam Epiſtolam.....*

ſuſce-

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

ſuſcepit. Hic temporibus ſuis rogatus a quadam Matrona Lucina Corpora Apoſtolorum Petri & Pauli de Catacumbis levavit noctu. Primum quidem Corpus B. Pauli Beata Lucina poſuit in praedio ſuo via Oſtienſi, ad latus, ubi decollatus eſt. Beatus vero Cornelius Epiſcopus Corpus Beati Petri Apoſtoli poſuit juxta locum, ubi crucifixus eſt, inter corpora Sanctorum Epiſcoporum, in Templo Apollinis in montem aureum in Vaticano Palatii Neroniani VI. Kal. Julii. Ego vero tibi repono, Translationem primam Sacrorum Corporum Petri & Pauli ex Catacumbis ad locum ipſorum Martyrii (unde ab Orientalibus fuerunt ablata) praeceſſiſſe hanc ſecundam, qua ex Catacumbis prope Coemeterium Calliſti iterum relata ſunt eadem ſacra pignora ad priſtinum locum ſuae Confeſſionis. Quis autem auctor fuerit hujus ſecundae Translationis, luculentiſſima Diſputatione tractatur a V.Cl. Petro Moretto Canonico inſignis Baſilicae S. Mariae Tranſtyberim, & de eadem optime merito, in Libro, quem hoc an. 1752. typis Romanis vulgavit ſub titulo, *de Sancto Calliſto Papa, ejuſque Baſilica S. Mariae trans Tiberim &c.* pag. 323, & ſequentibus, *in Appendice ad Diſquiſitionem I. ſive in Diſputatione de Translatione Corporum SS. Apoſtolorum*

lorum Petri & Pauli ad Catacumbas. Scribit enim pag. 330. *Dicendum eſt, actam fuiſſe ſecundam Translationem Petri, & Pauli ad Catacumbas die 22. Februarii anni Aerae Chriſti* 220. *qui tertio Pontificatus S. Calliſti, & quarto Imperii Heliogabuli reſpondet. Hoc autem adeo praeciſo tempore perſpecto, facile deprehenditur, quandiu ibi ſteterint tranſlata oſſa. Steterunt per annos ſolidos triginta, menſes quatuor, dies quatuor. Totidem quippe fluxere a die* 22. *Februarii anni* 220, *ad diem* 26. *Junii anni* 250, *quo tempore reportata ſecundo fuiſſe ad Vaticanum, & Oſtienſe conditorium, Vitae Sancti Cornelii Papae textus mihi ſatis clare ſignificat. Nam iſte parte anteriori, quae incipit*, hic *Cornelius* temporibus ſuis &c, *ac deſinit in* VI. Kal. Julii, *clare procul dubio (ut legenti patet) hanc fuiſſe diem tradit, qua Cornelius ad primitiva ſepulcra retulit Apoſtolos: poſteriore vero parte, ideſt ea, quae incipit*, Poſt hoc eodem tempore, *praenotatam diem illam* 26. *Junii pertinere ad annum Corneliani Pontificatus primum, quem juxta accuratiorem Chronologiam incidiſſe credo in annum Chriſti* 250, *non obſcure deſignat, enarrando ſolum ſeriem gravium, & omnino libertatem quidpiam manu propria agendi Chriſtianiſmi gratia adi-*

adimentium, aerumnarum, quas vexaſſe Cornelium toto ſecundo dicti Pontificatus anno, & tota portione tertii incepti, quo occiſus eſt, conſtare videtur ex aſſertis a Blanchinio Tomo II. Anaſtaſii pag. CCVIII. *col* 2. *Prolegomenon, & pag.* 197. *ac ſequentibus, in Notis ad laudatam Vitam*. Haec eruditiſſimus Morettus, qui in tota Diſputatione, ſua aſſerta comprobat, atque, ut videtur mihi, etiam plane demonſtrat. Rem narro, atque ejus praecipua rationum momenta; quae Dionis Caſſii, Herodiani, Aelii Lampridii, & Polemii Sylvii auctoritatibus ſunt fulta, in medium adduco. Dio Caſſius, ſeu Xiphilinus in *Epitome Hiſtor. Romanorum* ſecundum interpretationem Guillelmi Blanci Albienſis (ubi de *Macrino*) ait, *Eutychianus Caeſarianus libertus.... puerum* (Heliogabalum)....... *noctu ad exercitum* (Macrini) *duxit*: & XVI. (lege XVII. juxta textum Graecum) *Kal. Junii prima luce militibus quaerentibus ſtudioſe occaſionem rebellandi, perſuaſit, ut res novas molirentur. Quo facto, milites ſtatim hunc nominant Antoninum, & Imperatorem deſignant*. Herodianus vero libro V. *Vit. Imperatorum Romanorum* cap. V. edit. Patav. an. 1685. pag. 149. & ſeq. ſcribit: *poſtquam exercitus univerſus* (Macrino Auguſto, & filio Diadumeno

meno obtruncatis) *Antoninum* (Heliogabalum) *Imperatorem conſalutavit, atque ille ſummam rerum ſuſcepit, rebus jam in Oriente, ut quaeque maxime urgebant, ordinatis .... profectionem edicit, feſtinante in primis Moeſa* (Matre) *ad Romanam Aulam, cui tamdiu inſueviſſet .... Antoninus e Syria profectus, Nicomediae hyemavit, ita poſtulante anni tempore .... Ut in Urbem pervenit ..... ſpectacula omnifariam edebat magnificentiſſima, Templumque item maximum pulcherrimumque Deo* (Heliogabalo) *erexit.* Helius autem Lampridius in Vita Heliogabali Conſtantino Auguſto praeſcripta inquit: *ubi primum* (Heliogabalus) *ingreſſus eſt Urbem, omiſſis iis, quae in Provincia gerebantur, Heliogabalum* (ideſt idolum cognomine ſuum) *in Palatino Monte juxta Aedes Imperatorias conſecravit, eique Templum fecit, ſtudens & Matris Typum, & Veſtae ignem, & Palladium, & Ancilia, & omnia Romanis veneranda in illud transferre Templum, & id agens, ne quis Romae Deus, niſi Heliogabalus, coleretur. Dicebat praeterea, Judaeorum, & Samaritanorum religiones, & Chriſtianam devotionem illuc transferendam, ut omnium culturarum ſecretum Heliogabali ſacerdotium teneret.* Et paullo inferius ait:

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

Sacra Populi Romani, ſublatis penetralibus, profanavit. Ignem perpetuum extinguere voluit. Nec Romanas tantum extinguere voluit Religiones, ſed per Orbem Terrae unum ſtudens, ut Heliogabalus Deus ubique coleretur: & in penum Veſtae, quod ſolae Virgines, ſolique Pontifices adeunt, irrupit .... & penetrale ſacrum eſt auferre conatus: cumque ſeriam quaſi veram rapuiſſet (quamvis Virgo Maxima falſam monſtraverat), atque in ea nihil reperiſſet, applosam fregit ..... Signum tamen, quod Palladium eſſe credebat, abſtulit, & auro fictum, in ſui Dei Templo locavit. Matris etiam Deum Sacra accepit, & tauroboliatus eſt, ut Typum erigeret, & alia Sacra, quae penitus habentur condita .... Omnia fecit, quae Galli facere ſolent, oblatumque Sanctum in penetrale Dei ſui tranſtulit .... Omnes Deos, ſui Dei miniſtros eſſe ajebat; cum alios ejus Cubicularios appellaret, alios ſervos, alios diverſarum rerum miniſtros. Lapides, qui Divi dicuntur, ex proprio Templo Dianae Laudiceae, ex adyto ſuo, in quo id Oreſtes poſuerat, afferre voluit. Et paullo infra, ait: *Fertur in euripis vino plenis Circenſes exhibuiſſe, pallia de aenanthio fudiſſe, & elephantorum quadrigas in Vaticano agitaſſe, dirutis ſepulcris, quae obſiſt ebant; junxiſſe*

xiſſe etiam camelos quaternos ad currus inCirco, privato ſpectaculo. Polemeus, denique,ſive PolemiusSylvius in Laterculo,notitiam continente variarum prophanarum & ſacrarum Feſtivitatum, ſcriptoque Conſulibus Poſthúmiano & Zenone, ſcilicet anno Chriſti 444, ac,poſt Bucherium,a Bollando vulgato p.xlv Praefationis ad Tomum I. *Actorum Sanctorum*, habet: *VIII. Kal.Mart. Depoſitio Sanctorum Petri & Pauli*. Ex horum autem Scriptorum teſtimoniis cuilibet legenti ſtatim occurrit, qua occaſione, quo auctore Corporum Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli acta fuerit ſecunda Translatio. Docemur enim per locos Lampridii, Dionis, & Herodiani, *Primo*,Heliogabalum, cum elephantorum quadrigas agitare decreviſſet in ſolo Vaticano, varia circa iſtud conſtructa ſepulcra disjeciſſe. *Secundo*, eundem adlaboraſſe ſtudioſiſſime, ut Urbem, & Orbem totum ad colendum unice Idolum cognomine ſuum perduceret. *Tertio*, ipſum cogitaſſe, atque curaſſe, ut transferrentur ad hujuſce Idoli templum, quae ſacratiora & venerabiliora forent apud homines. *Quarto*, nec res Chriſtianas talibus exemptas voluiſſe infortuniis; quin potius, ceterarum religionum ſortem ſubituras, explicate pronunciaſſe. *Quinto*, tan-

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

tantam Heliogabali inſaniam, praeſertim quae ſacra reſpiceret, innotuiſſe; maxime, quum Urbem ingreſſus eſt primum, poſt ſuſceptas in Oriente Auguſtales infulas. *Sexto*, hoc eſt poſt habitam adverſus Macrinum militum rebellionem die 16. Maji (quam, praelium, & occiſio ejuſdem cum filio, excepit) proximamque tranſactam hyemem Nicomediae. Ex quibus certe occaſio, & author, quem inquirimus, colligi poteſt. Saltem ſic ipſe utrumque colligerem. Quum dubio procul ſit, ante, & circa initium Imperii Heliogabali, in primitivis ſepulcris Vaticano, & Oſtienſi, venerabilia Corpora Petri & Pauli fuiſſe culta (ſiquidem certum eſt, quod ibi colerentur Zephyrino ſummum tenente Pontificatum, quem compleſſe nemo negat paullo ante memoratum initium); quum item pro certo haberi debeat, vel ſolum attenta praecipua Chriſtianae Reipublicae tranquillitate, ipſos Ethnicos non omnino ignoraſſe, cur Chriſtiani Vaticanum, & Oſtienſe ſolum frequentarent; ſi Heliogabalus ex teſtimonio Lampridii palam jactabat, ad cultum infamis Idoli ſui translatum iri etiam Chriſtianam *devotionem*; ſi venerabilia Religionum omnium, in Templum illius collocanda curabat; ſi immanis, quam inſtituere voluit

fuit apud Vaticanum campum, quadrigarum agitatio, fatalis videbatur propinquis molibus, ſepulcralibus potiſſimum; quiſpiamne credat, talium rumorem, non ſtatim ac obortus, audiſſe, & non ſuſpicatum fuiſſe Pontificem, qui, ſic inſaniente Heliogabalo, regebat Eccleſiam, quale Petri tumulo poſſet imminere periculum, & quam veroſimile eſſet, ut venerabiles Reliquiarum Apoſtolorum Thecæ transferrentur in profanum templum, inter ſuperſtitioſa Gentilium venerabilia collocandae, habendaeque ut ſigna de proſtrata etiam Chriſtiana Religione perſpicua; propterea que non ſtatim eas illum eduxiſſe ex Vaticano, & Oſtienſi, atque occultaſſe in ignotiore & remotiore loco? Ego quidem crediturum iſthaec arbitror nullum, cui notum erit, quam vigiles in adminiſtranda Chriſti Republica Romani Antiſtites fuerint, & quam grato animo, & obſequio ſingulari Apoſtolorum Principes venerati ſint ſemper, Petrum maxime, originem eternum duraturae dignitatis Apoſtolicae Sedis. At quis locus ille, niſi ex eo, quo *levatos* Apoſtolos a Cornelio, haud multo poſt Heliogabali regnum florente, didicimus per teſtimonium Catalogorum, & libri pontificalis; nimirum *ex Catacumbis*, quarum ſitus opportunitatem opti-

optime noſcebat Eccleſia, & quae illud inſuper praecipui habebant, quod tanto theſauro jam fuiſſent conſecratae? Quis Pontifex, niſi ſub quo, juxta accuratiorem temporum ſupputationem, integra excurrit Heliogabali dominatio, ideſt Beatiſſimus *Calliſtus*? Huc uſque laudatus Morettus.

32. Aringhius *Rom. Subter.* Tom. 2. pag. 684. hanc ſerram, (quam adhibebant interdum inimici Chriſtiani nominis, ut de noſtris ſupplicium ſumerent), exhibet, poſt Boſium, aitque: *praeter ſepulchrales hactenus recenſitos lapides, qui notis omnino carent, alterum ex Coemeterio D. Agnetis Via Nomentana erutum ſubjicimus, qui Suſannae conjugi (ut lib. 4. enarravimus) ab Exuperantio inſcriptus, ferreae cujuſdam ſerrae figuram intuentibus praeſefert, & his notis inſculptus eſt:*

☧ ☧

DEPOSITA SVSANNA IN PACE DIE XIII

KALENDAS NOVEMBRES CONSVLA

TV ANICI BASSI ET FL. FYLIPPI VV CC

QVAE

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

QVAE BIXIT ANNIS PL.M. XXV FECIT
CVM MARITO ANNVS PM. SEPTE ✠
EXVPERANTIVS MARITVS SE VIVO
VXORI DVLCISSIME SIBI POSTERIS
QVE SVIS HOC TVMVLVM FECIT.

A ☧ ω

Vide Boſium, de quo ſupra, pag.433, Gallonium *de Cruciatibus Martyrum* pag. 188, Sagittarium pag. 206, & Ruinartium *Act. SS. Pherbutae &c.* pag. 504. Edit. Veron. Sozomenus lib. 2. *Hiſt. Eccl.* cap.12.pag.60. Edit. Cantabrig. de *Tarbula* Simeonis Epiſcopi ſorore, & altera ſorore, deque ejus ancilla loquens, *Magi*, inquit, *Tarbulam, & reliquas duas corripientes, capitali ſupplicio addicunt, ſerraque biſariam diſſectas, patibulis ſuffixerunt*. Qui plura deſiderat, adeat Patres Bollandianos ad diem 22. Aprilis Tomo 3. pag. 22. edit. Antuerpienſis.

33. Mi-

Digitized by Google

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

optime noſcebat Eccleſia, & quae illud inſuper praecipui habebant, quod tanto theſauro jam fuiſſent conſecratae? Quis Pontifex, niſi ſub quo, juxta accuratiorem temporum ſupputationem, integra excurrit Heliogabali dominatio, ideſt Beatiſſimus *Calliſtus*? Huc uſque laudatus Morettus.

32. Aringhius *Rom. Subter.* Tom. 2. pag. 684. hanc ſerram, (quam adhibebant interdum inimici Chriſtiani nominis, ut de noſtris ſupplicium ſumerent), exhibet, poſt Boſium, aitque: *praeter ſepulcbrales hactenus recenſitos lapides, qui notis omnino carent, alterum ex Coemeterio D. Agnetis Via Nomentana erutum ſubjicimus, qui Suſannae conjugi (ut lib. 4. enarravimus) ab Exuperantio inſcriptus, ferreae cujuſdam ſerrae figuram intuentibus praeſefert, & bis notis inſculptus eſt*:

☧ ☧

DEPOSITA SVSANNA IN PACE DIE XIIII

KALENDAS NOVEMBRES CONSVLA

TV ANICI BASSI ET FL.FYLIPPI VV CC

QVAE

QVAE BIXIT ANNIS PL.M. XXV FECIT
CVM MARITO ANNVS PM. SEPTE ✠
EXVPERANTIVS MARITVS SE VIVO
VXORI DVLCISSIME SIBI POSTERIS
QVE SVIS HOC TVMVLVM FECIT.

A ☧ ω

Vide Boſium, de quo ſupra, pag.433, Gallonium *de Cruciatibus Martyrum* pag. 188, Sagittarium pag. 206, & Ruinartium *Act. SS. Pherbutae &c.* pag. 504. Edit. Veron. Sozomenus lib. 2. *Hiſt. Eccl.* cap.12.pag.60. Edit. Cantabrig. de *Tarbula* Simeonis Epiſcopi ſorore, & altera ſorore, deque ejus ancilla loquens, *Magi*, inquit, *Tarbulam, & reliquas duas corripientes, capitali ſupplicio addicunt, ſerraque biſariam diſſectas, patibulis ſuffixerunt.* Qui plura deſiderat, adeat Patres Bollandianos ad diem 22. Aprilis Tomo 3. pag. 22. edit. Antuerpienſis.

33. Mi-

Digitized by Google

33. Miraculum ad Geneſareth ſtagnum patratum a Chriſto (de quo Matthaei cap.4. v. 1. & ſeqq., Marci cap. 1. v.16, & Lucae cap. 5. v. 1. ac ſequentibus), expreſſum fuit a Chriſtianis in vetere eburnea tabella, quam heic exhibemus poſt Senatorem Ampliſſimum Philippum Bonarrotium in lib. *Obſerv. in Numiſ. maximi moduli Muſei Carpinei* pag.395, Petrum Franciſcum Fogginum Virum Cl. initio Operis *de Itinere, & Apoſtolatu S. Petri*, & Patrem Mamachium *Originum & Antiquitatum Chriſtianarum* Tomo I. lib. 2. cap. 4. §. 3. pag. 240. Vide laudatum Fogginum ibidem *Exercit.* 20. p.490. ubi Geneſarethanum prodigium hac figura repraeſentari multis oſtendit. Chriſti nomen, JESUS, Graecis literis ſcalptum vides in navis medio. In veteri quoque annulari onyche, qui vix unguis humanae naturam aequat, navicula in medio mari fluctibus agitata, nautae laborantes, & Chriſtus aquis inambulans, Petrumque, ne mergatur, ſuſtinens, repraeſentantur. Summo navis malo, ubi vela contracta cernuntur (ego enim cum Mamachio ibid. pag.261. non aſſentior Hieronymo Aleandro *Comment. de Navi Eccleſiam referente* edit. Romae 1626, & Aringhio lib.v. cap.9. *Rom. Subter.* pag. 475. ajentibus, Arcam

eam Noeticam in ſummo malo exhiberi; cum id ne veriſimile quidem videatur, ut recte animadvertit clariſſimus Eques & Commendator Franciſcus Victorius in *Diſſert. de Monogrammate SS. Nominis Jeſu* pag. 57. & ſeq.), columba inſidet. Super Chriſti, & Petri capita, literae viſuntur Graecae IHC ΠЄΤ, quae *Jeſum*, ac *Petrum* ſignificant. Extat praeterea apud Cauſeum, Bartholum, Maffejum, Mamachium, Fogginum, alioſque ſchema Lucernae, in cujus puppi eſt Petrus temonem tenens, in prora Paulus praedicans. Adſervatur in MuſeoMagni Etruriae Ducis; atque de ea Praeſul Dominicus Georgius in lib. *de Monogrammate Chriſti Domini* hanc edidit deſcriptionem pag. 16. *Solemnia vitae in Deo adprecandae verba leguntur in elegantis formae lucerna, quam Michael Angelus Cauſeus Tab. III. de Antiquorum Lucernis ex Theſauro Magni Etruriae Ducis publici juris fecit. In modum naviculae lucerna fabrefacta eſt, in cujus prora ſtat Sanctus Petrus, ad puppim vero ſedet S. Andreas, gubernaculum manu tenens. Summitati mali appenſa eſt Tabella, cum epigraphe,*

DOMINVS LEGEM DAT
VALERIO SEVERO
EVTROPI VIVAS.

Mmmmmm Ve-

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

Verum, non Petrum, & Andream, ſed Petrum, & Paulum exprimi in eadem navi, nobiſcum Viri doctiſſimi Joannes Lamius, Fogginius, Mamachius, Maffejus, aliique conveniunt. Ad puppim ergo illius navis elegantiſſime effictae Petrus ſedet, temonem tenens;ad proram autem Paulus item ſtat,nuncians iis, qui maris fluctibus ſunt oppreſſi, Evangelium, eoſque invitans, ut navim conſcendant, ideſt ut intrent in Eccleſiam. Sed praeſtat Lamii, teſtis oculati, verba proferre. Ipſe ergo in eo, qui inſcribitur *de Eruditione Apoſtolorum*, libro, cap.4. pag.61. „ Vetuſta (*inquit*) quaedam aerea pulcherrimaque Gazae Mediceae Lucerna, navem, Petro gubernaculum in puppi moderante, Paulo vero in prora praedicante, myſticam refert „ . *& pag.* 94. „ in antiqua aenea lucerna Gazae Mediceae, quam alibi laudavimus, Eccleſiam ſub navis ſymbolo referente, Petrus, qui gubernaculum regit, habet pedes calceis undique veſtitos &c.„Paria habent Fogginus in dicta *Exercit.20.de Rom.Divi Petri Itinere, & Apoſtolatu* p.485.&ſeq.,ac Praepoſitus Ant. Franciſcus Gorius omnigenae antiquitatis conſultiſſimus & carum caput meum, *Inſcrip. Etruſcar.* To.I. pag.68. edit. Floren.Quamvis ergo Scipio Marchio Maffejus, vir de re

anti-

antiquaria optime meritus, meique aman- tiſſimus, Tom. V. *Obſervat. Litterar.* pag. 23. Edit. Ver. an. 1739. ut inquit P. Mamachius, primum omnium eſſe, dicat, ſe, qui Petrum navis gubernacula tenere, Paulumque praedicare obſervaverit; eoſque, qui ante de Lucerna eadem differuerunt, nihil ſimile fuiſſe ſuſpicatos, ſcribat; laudatus tamen Lamius id prius animadverterat, quam Obſervationes ejus Litterariae lucem adſpicerent. Errarunt igitur omnes ante Lamium, Cauſeus nempe, & Bellorius, eoſque ſequutus Georgius V. Cl. *de Monogrammate Chriſti* citata pag. 17 in illuſtrandis figuris Lucernae Mediceae, de qua loquimur.

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

34. MARTYR FERVENTIS OLEI VEL PICIS DOLIO INJECTUS, de quo Aringhius *Rom. Subter.* Tom. 2. p. 353. n. 3. ſcribit: Extat in *Tabula I. Cubiculi unici Coemeterii S. Julii Papae Via Flaminia. A ſiniſtro autem picturae hujus latere Martyris cujuſdam ferventis olei dolio injecti imago contemplanda proponitur; cui duo hinc inde viri, qui eum manu ſuffulciendo, vel certe carnificum more excruciando, adſtant; unus nimirum ſede locatus, juxta quem, characteribus ut ſupra diſpoſitis, hae notae leguntur*: SALOME V. *alter vero ſtantis formam praeſefert.* Omnes

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

Verum, non Petrum, & Andream, ſed Petrum, & Paulum exprimi in eadem navi, nobiſcum Viri doctiſſimi Joannes Lamius, Fogginius, Mamachius, Maffejus, aliique conveniunt. Ad puppim ergo illius navis elegantiſſime effictae Petrus ſedet, temonem tenens;ad proram autemPaulus item ſtat,nuncians iis, qui maris fluctibus ſunt oppreſſi, Evangelium, eoſque invitans, ut navim conſcendant, ideſt ut intrent in Eccleſiam. Sed praeſtat Lamii, teſtis oculati, verba proferre. Ipſe ergo in eo, qui inſcribitur *de Eruditione Apoſtolorum*, libro, cap.4. pag.61. „ Vetuſta (*inquit*) quaedam aerea pulcherrimaque Gazae Mediceae Lucerna, navem, Petro gubernaculum in puppi moderante, Paulo vero in prora praedicante, myſticam refert „ . *&* *pag*. 94. „ in antiqua aenea lucerna Gazae Mediceae, quam alibi laudavimus, Eccleſiam ſub navis ſymbolo referente, Petrus, qui gubernaculum regit, habet pedes calceis undique veſtitos &c.„Paria habent Fogginus in dicta *Exercit.*20.*de Rom.Divi Petri Itinere, & Apoſtolatu* p.485.&ſeq.,ac Praepoſitus Ant. Franciſcus Gorius omnigenae antiquitatis conſultiſſimus & carum caput meum, *Inſcrip. Etruſcar*. To.I. pag.68. edit. Floren. Quamvis ergo Scipio Marchio Maffejus, vir de re anti-

antiquaria optime meritus, meique amantiſſimus, Tom. V. *Obſervat. Litterar.* pag. 23. Edit. Ver. an. 1739. ut inquit P. Mamachius, primum omnium eſſe, dicat, ſe, qui Petrum navis gubernacula tenere, Paulumque praedicare obſervaverit; eoſque, qui ante de Lucerna eadem diſſeruerunt, nihil ſimile fuiſſe ſuſpicatos, ſcribat; laudatus tamen Lamius id prius animadverterat, quam Obſervationes ejus Litterariae lucem adſpicerent. Errarunt igitur omnes ante Lamium, Cauſeus nempe, & Bellorius, eoſque ſequutus Georgius V. Cl. *de Monogrammate Chriſti* citata pag. 17 in illuſtrandis figuris Lucernae Mediceae, de qua loquimur.

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

34. MARTYR FERVENTIS OLEI VEL PICIS DOLIO INJECTUS, de quo Aringhius *Rom. Subter.* Tom. 2. p. 353. n. 3. ſcribit: Extat in *Tabula I. Cubiculi unici Coemeterii S. Julii Papae Via Flaminia. A ſiniſtro autem picturae hujus latere Martyris cujuſdam ferventis olei dolio injecti imago contemplanda proponitur; cui duo hinc inde viri, qui cum manu ſuffulciendo, vel certe carnificum more excruciando, adſtant; unus nimirum ſede locatus, juxta quem, characteribus ut ſupra diſpoſitis, hae notae leguntur:* SALOME V. *alter vero ſtantis formam praeſefert.* Omnes

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

cum Aringhio, hunc virum & martyrem fuiſſe cenſent, nomine *Salomcum*; ego vero *Salome Virginem* exhiberi puto. In lebetes, ac ollas, oleo, aut aqua ferventi, vel pice plenas, Chriſtiani Martyres injiciebantur, ut elixati interirent. Vide Martyrologium Romanum ad diem 14. Kal. Martias, Gallonium p. 154. & ſeq., Sagittarium pag. 119, & Acta S. Bonifacii Mart. apud Ruinartium pag. 253. c. XII. In Hiſtoria *ad Lauſum* cap. 3. apud eundem Ruinartium pag. 103. edit. Veron. ita legitur: *jubet (Judex) magnum lebetem pice repletum vehementiſſimo igne accendi. Cumque bulliret ergo pix, & valde arderet, converſus ad illam Beatam ſuevus Praeſes dixit: Abi, pare voluntati Domini tui: alioqui, ut intelligas, jubeo te devolvi in lebetem ..... Ille ergo furore percitus, jubet eam exui, & in lebetem injici .... Quae ſic paulatim demiſſa, ſpatio trium horarum emiſit ſpiritum, cum pix perveniſſet ad ejus collum* „. Et in Actis S. Theodoti Martyris pag. 304. editionis ejuſdem numero XXII: *Erat ibi accenſus focus, & lebetes ferventes, rotaeque, & alia plura cruciatuum inſtrumenta expoſita, ad quorum omnium conſpectum adeo nihil exhorreſcebat Martyr, ut animi conſtantiam etiam vultus hilaritas demonſtraret.*

35. Arin-

35. Aringhius *Rom. Subter*. Tom. 2. pag. 305. num. 1, Tabulam ſecundam Cubiculi quinti Coemeterii Priſcillae Via Salaria deſcribens, ait: *Inſculptas heic ferro imagines, Lector inſpice, quae in primario Cubiculi hujus pariete exiſtunt; & primo quidem loco ſtolata quaedam Mulier, expanſis conſueto orantium more brachiis precationi inſiſtens, oculis contemplanda proponitur: & ſymbolice quidem ipſa extenſio manuum, ſalutare, quod tam frequens eſt in Coemeterialibus imaginibus, Crucis ſignum intuentibus praeſefert; ut Juſtinus Martyr* in Apolog. *ſatis erudite edocet; dum in cunctis fere Crucis ſignum, ac ſymbolum deſignari affirmat*. Conſiderate, *inquit*, omnia, quae in Mundo ſunt, an ſine hoc crucis ſigno gubernentur, aut poſſint praebere ſui uſum. Mare enim non ſcinditur, niſi malus ſalvus in navi maneat; terra non aratur, ſine eo ſigno: humana figura a belluis differt, quod erecta ſit, & manuum extenſionem habeat. *Quod idem apud Ambroſium Ser.6.prolixius videre eſt. Imago autem haec, quae nobis contemplanda occurrit, ut quorundam haud contemnenda quidem opinio ſuggerit, ipſammet ſanctiſſimam feminam* PRISCILLAM *praeſefert, cui hoc idem pariter Cubiculum dicatum fuiſſe ex Scriptoribus*

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

bus nonnulli conſtanter aſſerunt; in quo videlicet & illa, una cum Beatis Virginibus Pudentiana, ac Praxede, condigno tumuli honore excepta fuit. Quod quidem ipſemet Boſius, vir alioqui prudens atque oculatus, vel ex hoc uno conjectari non timuit, quod nimirum haud caſu, haud temere, ſed Deo prorſus diſponente, ipſomet Natalitio recurrente Beatae ejuſdem Priſcillae die, 17. nempe Kal. Febr., Cubiculum hoc inter tenebras perſcrutando, deprehendi, adinveniri, ac delineari contigit. Quam ſane conjectandi rationem duae pariter pictae ibidem imagines valide confirmare videntur; quippe quae ſacrum velandarum Virginum intuentibus ritum exhibent. Haec Aringhius: qui etiam adnotavit lib. 4. c. 28. tres fuiſſe praeſtantiſſimas Feminas, quae *Priſcillae* nomine celebres habentur. Prima in Sacris paginis memoratur Actorum c. 18: aliae vero duae, in Geſtis SS. Martyrum. De priore illa, uxore Aquilae, heic non agitur; nec de tertia perinde illuſtri, quam aequalem Marcello Papae exhibent Acta ejuſdem Pontificis; docentque, veteris Priſcillae (de qua infra) Cœmeterio, ſuum addidiſſe, rogatu Marcelli. Cum enim ductus religione loci (a B. Petro inter ceteros adlecti ad Baptiſma adminiſtrandum, & frequentati a ſubſequu-

tis

tis Martyribus, atque, ut videtur, ſatis tuti & ſatis ampli ad ſynaxes Fidelium ibidem celebrandas, & ad Clerum convocandum), Beatus Marcellinus deſtinaſſet proximum Paſcha (quod tamen ſuo martyrio praevenit) ibidem celebrare an. 304; placuit Marcello presbytero, (qui ejuſdem funeris curator fuit, ſtatim ac licuit pro Chriſto occiſi reliquias in Foro jacentes colligere, quique paullo poſt electus fuit illi Succeſſor in Sede Apoſtolica) placuit, inquam, Marcello tertiae Priſcillae pietatem excitare ad amplificandum novis acceſſionibus locorum tam celebre Coemeterium. Res peracta fuit tanta felicitate, ut non modo Marcellus ipſe, ſed & Silveſter, & Liberius, & S. Siricius Pontifices ſucceſſores, praeter innumeros alios Fideles, ibidem fuerint reconditi. Secunda vero Priſcilla, quam in hoc ſchemate, quod illuſtramus, expreſſam volunt Boſius, & Aringhius, item Matrona nobilis, & uxor Punici ac parens Pudentis Senatoris, (apud quem hoſpites Apoſtolos fuiſſe tradunt in Vico Patricii, ubi hodie ſupereſt Titulus Pudentianae, ejuſdem Pudentis filiae, qui & Paſtoris dicitur), ſepulta fuit via Salaria, cum marito: quo etiam delatam fuiſſe, ac reconditam utramque filiam, Praxedem, & Puden-

tia-

Indiculus Tabulae III Saeculi I. tianam altero Chriſti Saeculo, memoriae proditum eſt. Ab iſta ſecunda Priſcilla matre iſtarum Virginum dictum fuiſſe Coemeterium vetuſtius via Salaria, (ex quo haec *ſtolata Mulier protenſis manibus orans*, a Boſio, & Aringhio aeneo ichoniſmo fuit expreſſa) cognoſcimus ex pluribus Depoſitionibus, & Geſtis Sanctorum. Occaſio loci deligendi, eſt referenda ad agrum ſuburbanum, ejuſdem Priſcillae proprium, & proximum cryptis Oſtriani: in quibus Apoſtolorum Principem aliquando baptizaſſe non longe a ripa Anienis, viam Salariam ibi ſecantis, & paullo poſt influentis in Tiberim, vetuſta monumenta teſtantur; ut ſcribit Patruus meus amantiſſimus in notis ad Anaſtaſium Bibliothecarium, Sectione 31 Vitae S. Marcelli Papae Tomo 2. pag. 265. & 266.

36. Aringhius *Rom. Subter.* Tom. 2. p. 283. num. 5. exponens Tabulam unicam Monumentorum VIII. ac IX. Arcuatorum in Coemeterio Priſcillae, *In nono*, inquit, *Monumento Foſſoris cujuſdam dextera malleum geſtantis imago exhibetur, hujuſcemodi inſcriptionis titulo praenotata, videlicet*: FOSROTOFIMUS: *quae verba innuunt fortaſſe, ac ſonant*, FOSSOR TROPHYMUS: *hoc enim nomen in ipſa quoque Dorothei Synopſi, ſeptuaginta inter*

ter Diſcipulos legitur, ejuſdemque meminit D. Paulus in 2. Epiſtola, quam ad Timoth. ſcripſit, cap.4. Porro Foſſorum munus, quibus videlicet defunctos humandi cura erat, primum quidem ac praecipuum inter cetera Eccleſiae munia, Hieronymo teſte, De 7.Grad. Eccl. locum antiquitus obtinebat. Et ſane, ut nobis credibile ſit, horum tam numerus, quam miniſterium magnum iis praeſertim temporibus extitit, cum Chriſtiani omnes in ſubterraneis Coemeteriorum cryptis ſepulturae demandarentur: ſine quorum opera ac labore tot cuniculi effodi, tot viarum ſemitae inſtrui, tot cubicula excavari, tot numero ſepulchra aptari, atque diſponi, quot ibi cernuntur, tam ingens terrae moles ab imis viſceribus egeri nullatenus potuit. Haec noſter Aringhius. Papias: *Veſpillo, Foſſarius mortuos ſepeliens.* Gloſs. Iſidori: *Veſpiliones, Foſſarii, qui mortuos ſepeliunt.* Apud Chriſtianos, inquit Carolus Dufreſne Dominus du Cange in Gloſſario, primus fuit Clericorum in Eccleſia *Foſſariorum* gradus, qui humandis Fidelium corporibus curam impendebant. S. Hieronymus de muliere ſepties icta, *Clerici*, inquit, *quibus id officii erat, cruentum linteo cadaver obvolvunt, & foſſam humum lapidibus conſtruentes, ex more tumulum parant.*

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

rant. Incertus quoque in Epiſt.13. ad Ruſticum Narbonenſem Tomo 9. Operum S.Hieronymi: *Primus* (ait) *in Clericis Foſſariorum ordo eſt, qui in ſimilitudinem Tobiae Sancti ſepelire mortuos admonentur*. Hi perinde ultimi collocantur in Ordine Eccleſiaſtico in Notis Tyronis p.99. Κοπιαταὶ & Κοπιῶντες appellantur in Epiſtola Ignatio adſcripta *ad Antiochenos*, ab Epiphanio in *Comp. Doctr.*, in Euchologio Graecorum pag.39.& ab aliis, quos laudat Vir Doctiſſimus Jo: Baptiſta Cotelerius ad Veterum Patrum Opera. Sed & Foſſores dicuntur in Actis Proconſularibus, quae recitat S. Auguſtinus lib.3. contra Creſconium cap. 29. & Epiſt. 241. ſeu in Actis purgationis Caeciliani. Adde etiam Sanctum Hieronymum in Epitaphio Fabiolae; & vide quae obſervat Suarezius ad Nili Aſcetica pag.670. & 671. Neſcio an de his Foſſoribus intelligendus ſit Auctor Praefationis ad Libellum precum Marcellini & Fauſtini, in qua legitur: *Tunc Damaſus cum perfidis invitat Arenarios, Quadrigarios, & FOSSORES, omnemque Clerum cum ſecuribus, gladiis, & fuſtibus; & obſedit Baſilicam hora diei ſecunda*. Una cum Foſſoribus, ſepeliendorum Corporum curam, etiam Presbyteros, atque ipſos Pontifices Summos ſuſcepiſſe, no-

Digitized by Google

novimus ex Actis SS. Martyrum ſinceris editis a Ruinartio. Bencinus in Notis ad *Anaſt. Bibl.* in Vita S. Marcelli PP. Tom. 2. pag. 263. ad ea verba: *& propter ſepulturas Martyrum*: Cum Presbyteris (inquit) demandaverit curam pro Martyrum ſepulturis, quibus Titulos commiſit; exinde roboratur facta ſuperius conjectura in Pontifice Eutychiano, quod Presbyter eam Martyrum ſolicitudinem retineret, eorum nempe ſepeliendi corpora. In Diocletianea perſecutione inhibitum Chriſtianis fuit corpora Martyrum ſepelire, & quidem poena bonorum proſcriptionis. Ubi enim dicitur a Bibliothecario, martyrio S. Marcellum coronatum, *Collegit* (inquit) *Beata Lucina, & ſepelivit*: ſubditque: *Lucina vero proſcriptione damnata eſt*. Hinc in qualibet Eccleſia multiplicabatur Foſſorum numerus; hinc in Indiculo cujuſque Eccleſiae, ubi numerus Clericorum notabatur, etiam Foſſores recenſiti leguntur. Etenim in Eccleſia Africana tempore memoratae Perſecutionis plures fuiſſe, docent Acta Felicis, ubi Indiculus ita apud Optatum pag. 92. profertur: *Sedente Paulo Epiſcopo, Montano, & Victore, Deuſatelio, & Memorio Presbyteris: adſtante Marte, cum Helio Diacono: Marculio, Catulino, Silvano, & Caroſo Subdiaconis*:

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

rant. Incertus quoque in Epiſt.13. ad Ruſticum Narbonenſem Tomo 9. Operum S. Hieronymi: *Primus* (ait) *in Clericis Foſſariorum ordo eſt, qui in ſimilitudinem Tobiae Sancti ſepelire mortuos admonentur*. Hi perinde ultimi collocantur in Ordine Eccleſiaſtico in Notis Tyronis p.99. Κοπιαταί & Κοπιῶντες appellantur in Epiſtola Ignatio adſcripta *ad Antiochenos*, ab Epiphanio in *Comp. Doctr.*, in Euchologio Graecorum pag.39. & ab aliis, quos laudat Vir Doctiſſimus Jo: Baptiſta Cotelerius ad Veterum Patrum Opera. Sed & Foſſores dicuntur in Actis Proconſularibus, quae recitat S. Auguſtinus lib.3. contra Creſconium cap. 29. & Epiſt. 241. ſeu in Actis purgationis Caeciliani. Adde etiam Sanctum Hieronymum in Epitaphio Fabiolae; & vide quae obſervat Suarezius ad Nili Aſcetica pag.670. & 671. Neſcio an de his Foſſoribus intelligendus ſit Auctor Praefationis ad Libellum precum Marcellini & Fauſtini, in qua legitur: *Tunc Damaſus cum perfidis invitat Arenarios, Quadrigarios, &* FOSSORES, *omnemque Clerum cum ſecuribus, gladiis, & fuſtibus; & obſedit Baſilicam hora diei ſecunda*. Una cum Foſſoribus, ſepeliendorum Corporum curam, etiam Presbyteros, atque ipſos Pontifices Summos ſuſcepiſſe, no-

novimus ex Actis SS. Martyrum ſinceris editis a Ruinartio. Bencinus in Notis ad *Anaſt. Bibl.* in Vita S. Marcelli PP. Tom. 2. pag. 263. ad ea verba: *& propter ſepulturas Martyrum*: Cum Presbyteris (inquit) demandaverit curam pro Martyrum ſepulturis, quibus Titulos commiſit; exinde roboratur facta ſuperius conjectura in Pontifice Eutychiano, quod Presbyter eam Martyrum ſolicitudinem retineret, eorum nempe ſepeliendi corpora. In Diocletianea perſecutione inhibitum Chriſtianis fuit corpora Martyrum ſepelire, & quidem poena bonorum proſcriptionis. Ubi enim dicitur a Bibliothecario, martyrio S. Marcellum coronatum, *Collegit* (inquit) *Beata Lucina, & ſepelivit*: ſubditque: *Lucina vero proſcriptione damnata eſt*. Hinc in qualibet Eccleſia multiplicabatur Foſſorum numerus; hinc in Indiculo cujuſque Eccleſiae, ubi numerus Clericorum notabatur, etiam Foſſores recenſiti leguntur. Etenim in Eccclesia Africana tempore memoratae Perſecutionis plures fuiſſe, docent Acta Felicis, ubi Indiculus ita apud Optatum pag. 92. profertur: *Sedente Paulo Epiſcopo, Montano, & Victore, Deuſatelio, & Memorio Presbyteris: adſtante Marte, cum Helio Diacono: Marculio, Catulino, Silvano, & Caroſo Subdiaconis*:

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

Januario, *Maralco*, *Fructuoſo*, *Miggino*, *Saturnino*, *Victorio*, *& ceteris Foſſoribus*. De horum autem officio agit Auctor *Tractatus de ſeptem gradibus Eccleſiae ad Ruffinum*, qui habetur inter Opera S. Hieronymi, & laudatus fuit ab Aringhio. Erat neceſſaria haec cautio, praeſertim cum Coemeteria fuerunt Fiſco adjudicata. Foſſores tunc, prae ceteris, habuit Romana Eccleſia, ut videre licet apud Boſium, Severanum, Aringhium, & Boldettum pag. 59. & 65. *Obſervat. in Coemeteria*. At ipſi deeſſe non debuerant, etiam ex quo memorias Martyrum Anacletus in Vaticano adhuc Presbyter conſtruxit, ex quo Alexander via Nomentana, Anicetus Appia ſepulcrum obtinuit. Quandoque, officia Foſſoribus praeſtita ab ipſis etiam Pontificibus Summis fuiſſe, diximus; quemadmodum curaverunt Apoſtoli Stephanum Levitam, Fabianus Cornelium, Stephanus Tertullinum, Marcellus Cyriacum & ſocios, Melchiades Sebaſtianum; & ſolus Eutychianus Martyres 342. manu ſua ſepelivit. Foſſoribus vero inferioris gradus, praepoſitum fuiſſe Presbyterum, Patruus meus minime dubitat Tom. 2. *Anaſt. Bibl.* pag. 108. tum ex Dionyſii Papae inſtituto, Coemeteria Presbyteris, non ſecus ac Titulos, dividentis; tum ex cura Eutychiani, ju-

jubentis, ut cum Dalmatica, aut Colobio purpurato Martyres conderentur, eaque de re ad ſe ferrentur. Indiculus Tabulae III Saeculi I.

37. Aringhius *Rom. Subter.* Tom. 2. pag. 119. num. 1. inquit: *Quamplura arcuata in Coemeterii SS. Marcellini & Petri ſemitis monumenta, imaginibus, ceterorum inſtar, abunde referta extant; quorum primum, quod altum quidem eſt palm.* 4, *latum* 9, *profundum* 5, *has contemplandas intuentibus imagines offert. Funerales videlicet Agapes triclinio lunari inſtructas, quod* Sigma *nuncupatur; ubi puer quidam poculum manugeſtans, recumbentibus quinque numero operae miniſterium exhibet. Verum ſuper duos ex his haec verba inſcripta leguntur:*

IRENE DA AGAPE,
CALDA MISCE MI.

reliqua interim deſiderari contigit. Majores noſtri convivia quaedam exigua ſobriaque faciebant, *amori dilectionique ſanctae* indulgentes, quae *Agapes* dicebantur. Funereae, mortis, depoſitionis, aut anniverſario die, ex Hebraeorum more fuerunt in Eccleſiae naſcentis ſinum illatae. Tobias his verbis filium ſuum hortatur: (*Tobiae* 4. v. 18) *Panem tuum, & vinum tuum ſuper ſepulturam juſti conſtitue*: quibus verbis nihil aliud deſigna-

gnari nonnulli arbitrantur, quam delationem dapum, & vini ſuper tumulos, ut ſiti & fame laborantibus conſuleretur: quae erga egenos pietas, quaeque ſuffragia, defunctis ſunt acceptiſſima. Malunt alii, ſermonem ibi eſſe de conviviis, quae a Populo Judaico poſt funera inſtruebantur, de quibus loquitur Jeremias cap. 16. v. 7. *& non frangent inter eos lugenti panem ad conſolandum*. Solebant Hebraei in funere convenire ad hominem, mortem lugentem propinqui, aut amici, ut ſolatium lugenti afferrent. Ita in Euangelio (*Joan.* XI. v. 19) Mariae, & Marthae propinqui Bethaniam conveniunt, ut una doleant. Cibus lugenti offerrebatur, cogebaturque oblatum comedere. Delicatiſſimi autem cibi, vinumque eximium exhibebatur, ut ſcribit Buxtorfius *Synag. Jud.* c. 35, quibus illorum vires confirmarentur. Huc etiam ſpectare creditur, juxta Calmetum in *Comment. Lit.* in Jeremiam, locus Proverbiorum cap. 31. v. 6. *date ſiceram moerentibus, & vinum his, qui amaro animo ſunt: bibant, & obliviſcantur egeſtatis ſuae, & doloris ſui non recordentur amplius*. Sed certiſſime conſtat, Hebraeos, Ethnicorum errores ſincera et pia erga defunctos religione ſanctificantes, ſepulcris impoſuiſſe dapes, & vinum.

Fa-

Familiarem hunc fuiſſe morem in Babylonia, diſcimus ex Barucho cap. 6. v. 26: agens enim ille de profanis Numinibus ait, *ſicut mortuis, munera eorum illis apponuntur*: & Daniel cap. 14 (ubi de Belo, & Dracone) narrat inſanam Chaldaeorum perſuaſionem, qui Numina cibis veſci arbitrabantur. Varro Meleagr. apud Non. Marcel. *ad ſepulcrum antiquo more ſilicernium confecimus, ideſt* περίδειπνον, *quo pranſi, diſcedentes dicimus alius alii*, VALE. Errantes animae illuc ab Ethnicis vocabantur, ac Dea viarum praeſes ad epulas accedere putabatur: at revera pauperes noctu vagantes paratas ſuper ſepulcra dapes rapiebant, ut teſtantur Sophocles in Oreſte, & Ovidius in Faſtis:

Eſt honor & tumulis animas placare paternas,
Parvaque in extructas munera ferre pyras.
Parva petunt manes &c.

Hebraei id nunquam feciſſent, ſi res ſe, contra atque Gentiles credebant, non habuiſſet. Jeſus filius Sirach cap. 30. v. 18. ait: *bona abſcondita in ore clauſo, quaſi appoſitiones epularum circumpoſitae ſepulcro*: & cap. 7. v. 37. *gratia dati in conſpectu omnis viventis, & mortuo non prohibeas gratiam.* Morem igitur

tur imponendi epulas ſepulcris norant non Babilonii modo, ſed etiam Hebraei: immo & ad Indos uſque pervaſit. Paruit ergo ante Chriſtianos inter Ethnicos, & Hebraeos: paruit & poſt Euangelium pluribus Saeculis inter Chriſtianos. Sed Hebraeos, & Chriſtianos alia impellebat, atque Ethnicos, cauſa. Illi enim largitionibus caritatis juvare volebant viventes, ut eos ad orandum pro mortuis inducerent: ſed Ethnicos ea perſuaſio tenebat, animas e ſepulcris ſuis exeuntes, iis epulis, vel ſaltem illarum odore paſci, ac e liquoribus, qui fundebantur, humoris aliquid ſugere, ut Lucianus *de Luctu* teſtatur. Ridet Tertullianus Ethnicorum credulitatem (in lib. *de Reſurrectione carnis*) *quae ipſos defunctos* (cadavera ſcilicet defunctorum) *atrociſſime comburit, quos poſtea guloſiſſime nutrit, iiſdem & promerens, & offendens*. Exhibet Ovidius (Faſtorum XI) animas extra ſepulcrum errantes, quae paſtum a paratis dapibus veniunt. Graviſſimum earum epularum abuſum correxerant Chriſtiani, ſed omnino abolere, radiceſque evellere non valuerunt: quoniam tam diu conniventia quadam toleratus, more demum invaluit: erat ille mos olim ab exordio laudabilis, quod optima mens Chriſtianis inſideret; ſed degeneravit in vitium,

ut

ut criminum cauſa permultis eſſet. Narrat S. Auguſtinus lib. 6. cap. 3., Sanctam Monicham matrem ſuam ferre conſueviſſe adMartyrum ſepulcra pultes, & panem, & merum, quibus illa temperantiſſime utebatur; ſed monitam, oblationes ejuſmodi a S. Ambroſio vetitas fuiſſe, *ne ulla occaſio ſe ingurgitandi daretur ebrioſis*, illico ejuſmodi oblationibus abſtinuiſſe. Erant certe quamplures pii religioſique homines,qui eodem,quo Sancta haec femina, animo ſepulcra frequentantes, inſtruebant ibi convivia pietatis, & charitatis: ſed multo frequentiores erant, qui, cum hac religione abuterentur, coegerunt tandem Epiſcopos, & praeſertim Sanctum Auguſtinum, eam penitus abolere. Rudes enim Chriſtiani quidam reputabant, defunctorum animas iis epulis vel honorari, vel ſaltem ſolatio affici: *Non ſolum honores Martyrum quaeruntur a carnali & imperita plebe, ſed etiam ſolatia mortuorum* hiſce epularum eleemoſynis,ut inquit S.Doctor in Ep. 22.primaeClaſſis adAurelium.Porro eleemoſynas non damnat S. Auguſtinus: optat potius ut perſeverent,ſed ſine faſtu,& ſuperbia:*Oblationes pro ſpiritibus dormientium, quas vere aliquid adjuvare credendum eſt, ſuper ipſas Memorias non ſint ſumptuoſae; atque omnibus*

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

petentibus, ſine typho, & cum alacritate praebeantur, neque vendantur. Haec S. Aug. Vide Calmetum in *Commen. Literali* in Hieremiam, Baruchum, Tobiam, Jeſum filium Sirach, & alios divinos Libros; quorum loca ſuperius recitavi, ut Agapes Funerales illuſtrarem juxta mentem Aringhii. Ego tamen heic potius Agapem Natalitiam exhiberi puto. Ita Chriſtiani vocabant annuas quaſdam cœnas, ſeu epulas, quas, ut mutuae caritatis indices ac illices, primis Saeculis in pręcipuis SS. Martyrum Solemnitatibus celebrabant, ut ſcribunt Auctor *Comment. in Job* (inter Opera Origenis) lib. 3. circa finem, S. Gregorius Nazianzenus *Orat.* VI. pag. 139. & 140. & *Carm.* 51. *ad Vitalianum*, S. Paulinus *Natali IX.* de S. Felice, S. Hieronymus *Epiſt. ad Euſtochium* cap. 14. & Praef. in lib. 2. Commentariorum in Epiſt. ad Galatas, S. Ambroſius lib. de *Elia & Jejunio* cap. 17, S. Auguſtinus *Confeſſionum* lib. 6. c. 2., *Contra Fauſtum* lib. 20. cap. 20, ac *De Civitate Dei* lib. 8. cap. 7, S. Petrus Chryſologus Serm. 129, Theodoretus Sermone 8. contra Gentes, ac denique (ne ſim longior) S. Gregorius Magnus in Epiſtola *ad Mellitum* lib. 9. Epiſt. 71. In Actis SS. Numidarum Martyrum n. 12. legitur: *Quo, cum ego, & Marianus, quaſi ad Agapen, ſpi-*

ſpiritu dilectionis & caritatis raperemur. Sed omnia, quae de hac Natalitia Sanctorum Agape memorati Patres ſcripſere, quoniam a viris doctiſſimis jam adnotata ſunt, ad eos Lectorem ſatius amandamus, ne actum agere, & aliorum ſcripta expilare videamur. Conſulat igitur, qui haec noſſe velit, Baronium ad an. 57. num. 132, 391. num. 39, ac 691 num. 27, eundem de Martyrologio Cap. 4., Boſium, Severanum, Aringhium, & Boldettum *de Coemeteriis*, verbo *Agape*, Gazaeum ad *Collat*. 24. *Caſſiani* cap. 12, Salmaſium *de Jure Attico & Romano* cap. 3. & 4, Juſtellum ad Canonem XI. Concilii Laodiceni, Beveregium ad Canonem 74 Trullanum, Suicerum *in Theatro Eccleſ*., Pompejum Sarnelli *Baſilicographiae* cap. 40, Albaſpinaeum *Obſervat. Eccleſiaſt.* lib. 1. cap. 18, Juſtum Henningum Boemerum *in Diſſertationibus Juris Eccleſiaſtici antiqui* ad Plinii Epiſtolam 97 libri X Diſſertatione 4, Joannem Frontonem in Epiſtola *de Philoteſiis Veterum*, & Feſſelium lib. I. *Adverſar*. c. 13. Et haec de Agape in Natalitiis SS. Martyrum ſatis ſit adnotaſſe. De Inſcriptione tamen eidem adjecta in noſtro iconiſmo, erunt eruditae antiquitatis cultores, qui omnino agendum hoc loco putent; quoniam fidelis a nobis perſcri-

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

bitur de ſingulis monumentis Indiculus. Cèdo igitur libens, & de verborum interpretatione periculum faciens, ita ipſam lego:

IRENE DA AGAPE
CALDA MISCE MI

Irene da Agape
Calda miſce mihi.

Prima caritatis convivia, quae in uſu fuerunt apud Fideles naſcentis Eccleſiae, ad recolendam ſupremae illius coenae memoriam, in qua Chriſtus cum Apoſtolis diſcumbens Sanctiſſimum Euchariſtiae Sacramentum inſtituit, ſub Veſperum, ſacris concionibus auditis, precibuſque communibus recitatis, celebrabantur. Tunc Fideles ſincerae unionis vinculo obſtricti, quae quiſque attulerat, comedebant, nullo pauperes inter, & divites diſcrimine. Ante frugalem illam cęnam, Corpus & Sanguinem Domini participabant, & oſculo pacis invicem dato, diſcedebant. Attamen ſanctus adeo in ſua origine mos, brevi in deterius abiit. Quare S. Paulus in Epiſt. 2. ad Corinthios cap. XI. v. 20. pauperes a divitibus in his coenis contemni, nec cum illis divites comedere conqueritur. Similia hiſce convivia Judaei habebant. Solemnioribus enim in Feſtis (Deut. cap. 14. v. 22. & ſeqq. & cap. 26. v. 10. 11. ac 12.) familiam ſuam, con-

conſanguineos, amicos convivio excipiebant, victimarumque partes Levitis, pauperibus, & orphanis mittebant (2. Eſdr. c. 8. v. 13. ac Eſther cap. 9. v. 19). Haec convivia in Templo, & coram Domino celebrabantur, ut poſtmodum a Chriſtianis Agape in Natalitiis Sanctorum. IRENE DA AGAPE, nempe *Irene da* eleemoſynam pauperibus convivalem. In Sacramentario S. Gregorii Magni extat *Oratio ad Agapen pauperum*, quae in libro III Sacramentorum Romanae Eccleſiae a Ven. Card. Thomaſio vulgato inſcribitur, *pro his, qui Agape faciunt*. Gloſſae Mſs. *Agapis, caritas vel refectio pauperum*: & Ugutio: *Agape, eleemoſyna erogata.* Ita ſcilicet eleemoſynas appellarunt Chriſtiani, quod communibus iſtis conviviis pauperes alerent, quorum cauſa praecipue peragebantur. Unde Sanctus Auguſtinus Fauſto Manichaeo reſpondens, qui Chriſtianos Sacrificia vertiſſe in *Agapes*, & idola in Martyres calumniabatur, *Agapes noſtrae*, inquit, *pauperes paſcunt*, *ſive frugibus*, *ſive carnibus* (lib. 20. contra eundem Fauſtum cap. 4. & 20.). Veteres Gloſſae ad Can. 27. Concilii Laodiceni, *Convivium pauperum*, *Agape dicitur*: & Concilium Tullenſe an. 859. cap. 14. *qui enim* AGAPEN *pauperum*, *&*

ſu-

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

ſuſtentationem peregrinorum, & eleemoſynam defunctorum defraudant, apud SS. Patres eorum necatores vocantur. Herigerus Lobienſis de Vita S. Urſmari:

Indicens Agapen, ſimul & jejunia crebra.

Et Domnizo lib. 2. de Vita Mathildis cap. 12.

Dans Agapen grandem, nutriens inopes, tribulantes.

Demum vita S. Vodali Benedicti num. 5. *Ipſeque cum ſtatim pauperi Agapen ad oſtium petenti dediſſet.* IRENE igitur pia Matrona in ſella recumbens Agapem pauperibus dat. CALDA quid ſibi velit, ignotum mihi. Caldus, cognomen fuit Caeliorum (ex quibus forte (inquient) haec Calda, item ſedens contra Irenen) ut obſervavit *Glandorp.* in cognom. *Urſat.* de Notis Rom. Theſ. Antiq. Rom. *Graevii* Tom. XI. p. 591. Caldi cognomen novum & recens habuit Gens Cornelia; etſi in varias & prope innumerabiles ſtirpes ſeu cognomina diſtincta ſit. Nummus Auguſti M. AVGVSTA. BILBILIS. L. CORN. CALDO. Vide Vaillantium Numiſ. I. 3. & 100. Ego tamen non peculiare nomen, ſed genus vaſis, aut poculi, quod manu geſtat vir in medio ſtans, CALDA ſignificare credo. Auctor eſt Varro lib. 4. de Lingua Lat. *calicem a Caldo*

do dictum, quod in eo calida puls apponeretur, aut calidum eo biberent. Calda vero in Conviviis Veteres uſos, teſtantur paſſim Scriptores, atque in his Plautus in Milite Glorioſo, Suetonius in Tiberio cap. 42, Victor in eodem Tiberio, & Martialis lib. I. Epigr. 12, lib. 8. Epigr. 67, lib. 12. Epigr. 61, lib. 14. Epig. 105, & lib. 12 Epig. 61.

> *Natali pallere ſuo, ne* CALDA *Sabello*
> *Deſit &c.*

Item Ariſtaenetus lib. I. Epiſt. 3. pag. 18, Eunapius in Proaereſio pag. 157. & alii, quos laudant Lipſius lib. I. Elect. cap. 4, & Gretzerus libro *de Vino myrrato* cap. 18. Locum vero, ubi CALDA vendebatur, *Thermopolium* vocat idem Plautus in Pſeudolo, & in Rudente: quo ſpectat illud Dionis ſcribentis, Claudium vetuiſſe carnes ac θερμὸν ὕδωρ vendi in Foro, ut inquit Cangius. Vide Vincentium Brutium lib. *de calido, frigido, ac temperato Antiquorum potu, & quomodo calido in deliciis uterentur*, edito Romae ann. 1653, & Guillelmum Stuckium lib. 3. *Antiquit. Convival.* cap. 6. At haec de CALDA ſint ſatis. MISCE MI: forte pincernam alloquitur in medio ſtantem cum cyatho Jerene Convivii Praeſes. Miſcere Latinis, &

mi-

μισγεῖν Graecis dicebatur pincerna, qui vinum infundebat. Juvenalis Sat. V. 60.

neſcit tot millibus emptus
Pauperibus miſcere puer &c.

Quae locutio & apud Etruſcos remanſit. Pocula nempe implebantur vino ea menſura, qua quiſque petebat: & hoc dicebatur miſcere, quamvis merum eſſet. Martialis lib. 13. 108.

Miſceri decet hoc a Ganymede merum.

38. AGAPE. Aringhius *Rom. Subterr.* Tom. 2. cap. 27. pag. 599. inquit: „ Ad convivales iterum epulas, quae Coemeterialibus in tabulis exhibentur, laeto quidem ac perjucundo invitante nuncio, evocamur. Quotuſquiſque autem non prompto libentique animo epulis invitatus interſit? Sed quorſum, quis inquiet, in Coemeteriis conviviae? quorſum, inquam, ubi funera, ubi cadavera, ubi ſepulchrales urnae? ibi epulae, ibi diſcumbentium menſae? An non opportuno ſapiens conſilio nos praemonitos voluit, Coemeteria videlicet nuptialibus menſis, ac epotantium conviviis longe anteferenda mortalibus? *Melius eſt*, inquit, *ire ad domum luctus, quam ad domum convivii: in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & vivens cogitat quid futurum ſit* „. Et pag. 123. num. 8.

num. 8. ejuſdem Tomi, deſcribens veteres Coemeterii SS. Marcellini & Petri picturas, de hac, quam nunc illuſtramus, ita loquitur: „ Agape *item funeralis*, (*hac*) *Tabula circumſcribitur, ubi convivae tres numero adſunt, ac bini menſam utraque ex latere peregrinorum habitum praeſeferentes ambiunt, quorum alter a convivis ſtipem expoſcit; alter vero eandem ultro a porrigentibus accipit* „. Jam ſupra, nempe numero praecedenti demonſtratum eſt, quae eſſent Agapes Natalitiae: ſed rurſum nunc de hoc ipſo argumento agendum exiſtimo, ut, teſtimoniis veterum Patrum adductis, quid de hac Agape poſita num. 38. ſit judicandum, oſtendam. In Appendice ad Hiſtoriam Donatiſtarum Tom. IV. Operum Card. Noriſii pag. 605. Vir ſapientiſſimus, agens de Sportularum origine, & uſu cum apud Romanos, tum apud Chriſtianos antiquos, & de Agapetis & Salgamariis haec ad rem noſtram literis conſignavit. „ Initio naſcentis Eccleſiae, cum nihil proprii Chriſtianis poſſidere licitum eſſet, cibariis ſportulis victitabant: Agapes vulgo dicebantur. Plinius epiſt. 97. lib. 10. ad Trajanum ſcribit, ſe ritus Chriſtianorum indagaſſe. Inter cetera autem inquit: *Diſcedunt peracto conventu, rurſuſque coeunt ad*

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

capiendum cibum. Tertullianus cap. 39. Apologetici: *Coena noſtra de nomine rationem ſui oſtendit: vocatur enim Agape, quod dilectio penes Graecos*. Laudat hunc veterem Eccleſiae morem Chryſoſtomus in Commentario Epiſt. Apoſtolicae, ſcribens, *Majores religionis* noſtrae proceres, finitis Sacroſanctis myſteriis, *non mox domum conſcendebant, ſed divites alimenta & edulia domibus ſuis efferentes, pauperes vocabant, communeſque faciebant menſas, communia prandia, communia convivia in ipſa Eccleſia, & a pietate loci undequaque ad pietatem accedebant*. Cum vero creſcente Fidelium multitudine fieri amplius non poſſet bonorum in unum collatio; ita tamen divites bona plurima poſſidebant, ut in pauperum ſportulas eadem commutarent. Hinc Canone 11. Synodi Gangrenſis igni aquaque interdicitur illi, qui *deſpicit eos, qui fideliter Agapas, ideſt convivia pauperibus exhibent, & propter honorem Dei convocant fratres*. Auguſtinus lib. 20. contra Fauſtum Manichaeum cap. 20. *Agapes noſtrae pauperes paſcunt*. Sed nuſquam virtus ita ſecura eſt, quin ab oppoſito vitio loco plerumque deturbetur. Etenim ſucceſſu temporis contigit, ut non famem tantum Apapes depellerent, ſed gulam exquiſitis ciba-

cibariis, pretioſis ferculis, ac generoſioris falerni poculis irritarent. Etenim plerique, quo divitiarum famam aucuparentur, ſibique plebem pretioſis eduliis ineſcarent, ac ſibi favorabilem facerent, pinguia convivia adornare, fumantes varii generis dapes apponere, grandiores mero cyathos implere conſueverunt. Inde accumbentium ebrietas, nec facile digerenda crapula; inde Bacchi ac Cereris amica Venus aeſtuare, ac ſacratae antiquis fidelibus menſae non uno ſcelere contaminari. Tertullianus lib. de Jejun. c.17. *Apud te Agape in cacabis fervet, fides in culinis calet, ſpes in ferculis jacet. Sed major his eſt Agape; quia per hanc adoleſcentes tui cum ſororibus dormiunt. Appendices ſcilicet gulae, laſcivia atque luxuria eſt.* Scripſit Tertullianus imperante Septimio Severo. Num vero Agapum tot ſordes jam inde ab an. CC. irrepſerint, vel ea ſcripſerit, quod, ad Montani haereſim transfuga, Romanae Eccleſiae ritus canino dente corrodens, ea per calumniam noſtris impegerit, in medio relinquo. Et quidem plerique non religionis myſteria audituri in Eccleſiam conveniebant, ſed ut Agapis ſeſe ingurgitarent, & abſque crumenae detrimento gulam propoſitis dapibus ſatiarent. Hinc Agapae ſublatae. Di-

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

ferte S. Auguſtinus hanc illarum abrogandarum cauſam tradidit lib. 6. Confeſs. cap. 2. *ne ulla occaſio ſe ingurgitandi daretur ebrioſis*. Editus eſt Can. 74. Trullanus: *Quod non oportet in Dominicis locis, vel Eccleſiis eas, quae dicuntur Agapes, ideſt charitates facere.* Primitivi tamen Chriſtiani, cum vigilias Martyrum ducturi eſſent, peracta Synaxi, ſancte cibos ſumebant. S. Joan. Chryſoſt. hom. 27. in 1. Corint. *Statis* (inquit) *diebus menſas faciebant communes, & peracta Synaxi, poſt Sacramentorum Communionem inibant convivium*. Idem habet Hom. in illud Apoſtoli, „ Oportet & haereſes eſſe „: *Fideles omnes in conventibus ſuis, poſtquam audiſſent Doctrinas, poſt preces, poſt Sacramentorum Communionem, pauperes vocabant, communeſque faciebant menſas*. Quare Theodoretus lib. 8. de Euang. Verit. in fine ait: *Sanctis Martyribus Solemnitates populari epulo peraguntur*. Utriſque praeiverat S. Ephræm, qui Ser. 1. *de Poenitentia* ſcribit: *Cum Sanctorum Memorias celebramus, memores ſimus omnium debilium, Viduarum, Pupillorum, Peregrinorum, ac pauperum; praecipue autem columnarum illarum, quae in ſolitudine, montibuſque, & ſpeluncis, & cavernis terrae deliteſcunt &c.* Picturas Romanorum Coemeteriorum

imitari volens S. Paulinus, Natal. 9. S. Felicis, Eccleſiam ejus ita exornandam curavit:

Propterea viſum nobis opus utile cunctis
Felicis domibus pictura ludere ſancta &c.
. . . . dumque omnis pictura viciſſim
Oſtendunt , releguntque ſibi, vel tardius eſcae
Sint memores, dum grata oculis jejunia paſcunt,
Atque ita ſe melior ſtupefactis inferat uſus,
Dum fallit pictura famem, ſanctaſque legenti
Hiſtorias caſtorum operum ſubrepit, honeſtas
Exemplis inducta piis ſuadetur hianti
Sobrietas, nimii ſubeunt oblivia vini.

S. Gregorius Niſſenus de S. Gregorio Thaumaturgo ſermonem inſtituens, rem ſcitu dignam literis commendavit, ut notat Baron. in praenot. ad Martyrol. cap. 4. *Deſcendit* (ſunt verba S. Gregorii) *rurſus in Urbem, & omni circa regione undique peragrata ac perluſtrata, additamentum, & quaſi corollarium ſtudii erga Numen Divinum inſtituebat, apud omnes ubique populos ſanciens, ut nomine eorum, qui pro fide certaſſent* (tempore Decianae Perſecutionis) *dies feſti, atque ſo-*

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

ſolemnes Conventus celebrarentur; cumque alius in alium locum corpora Martyrum deduxiſſent, per anniverſarii circuli ambitum congregati laetabantur, in honorem Martyrum ferias agentes: & paullo infra idem Niſſenus ait: *Cum animadvertiſſet enim, quod propter Corporis voluptates, ſimplex & imperitum vulgus in errore ſimulacrorum cultus permaneret; quo maxime id, quod praecipuum eſt, interim in eis aſſequeretur, nempe ut, vanis ſuperſtitionibus relictis; ad Deum converterentur; permiſit, ut in memoriam Sanctorum ſeſe exhilararent, & oblectarent, atque in laetitiam effunderentur*. Laudatus quoque S.Paulinus in eodem Nat.9. S.Felicis ſe idem prae oculis habuiſſe teſtatur:

.... Ignoſcenda tamen puto talia parvis
Gaudia, quae ducunt, epulis: quia mentibus error
Irrepit rudibus, nec tantae conſcia culpae
Simplicitas pietate cadit male credula, Sanctos
Perfuſis balante mero gaudere Sepulchris.

EtTheodoret.Ciren.de Graecar.affectionum Curat. lib. 8. de Martyribus in fine inquit:

Suos

Suos enim mortuos Dominus Deus noſter in Templa pro Diis veſtris induxit. Ac illos quidem caſſos gloria, vanoſque reddidit, ſuis autem Martyribus honorem illorum dedit. Pro Pandiis enim, Diaſiiſque, ac Dionyſiis, hoc eſt Jovis, Liberique patris ſolemnitatibus, Petro, Paulo, Thomae, Sergio, Marcello, Leontio, Antonino, Mauritio, aliiſque SS. Martyribus, Solemnitates populari epulo peraguntur. Proque illa veteri pompa, pro turpi obſcoenitate, ac impudentia, fiunt modeſtae, caſtae, ac temperantiae plenae Feſtivitates; non illae quidem mero delibutae, non commeſſationibus leves, non cachinnis ſolutae, ſed Divinis canticis perſonantes, Sacriſque Sermonibus audiendis intentae. In quibus ad Deum preces non ſine ſanctis lacrymis, ac ſuſpiriis ſubmittuntur.

39. PALMAE, licet frequentiſſime in tumulis Coemeterialibus pictae, ſculptaeque reperiantur, Boldettus tamen in ea opinione verſatur, ut exiſtimet, earum vel unico ſymbolo Martyres vindicari. Id vero ſibi Veteres non ſemper voluerunt. Neque vacat in hoc argumento diligentiorem operam locare: eſt enim a num. 13. ad 17., quoad ejus fieri potuit, id accurate ſatis a nobis explicatum.

40. CORONA ex palmarum ramis formata.

ſolemnes Conventus celebrarentur; cumque alius in alium locum corpora Martyrum deduxiſſent, per anniverſarii circuli ambitum congregati laetabantur, in honorem Martyrum ferias agentes: & paullo infra idem Niſſenus ait: *Cum animadvertiſſet enim, quod propter Corporis voluptates, ſimplex & imperitum vulgus in errore ſimulacrorum cultus permaneret; quo maxime id, quod praecipuum eſt, interim in eis aſſequeretur, nempe ut, vanis ſuperſtitionibus relictis; ad Deum converterentur; permiſit, ut in memoriam Sanctorum ſeſe exhilararent, & oblectarent, atque in laetitiam effunderentur*. Laudatus quoque S.Paulinus in eodem Nat.9. S.Felicis ſe idem prae oculis habuiſſe teſtatur:

.... Ignoſcenda tamen puto talia parvis
Gaudia, quae ducunt, epulis: quia mentibus error
Irrepit rudibus, nec tantae conſcia culpae
Simplicitas pietate cadit male credula, Sanctos
Perfuſis halante mero gaudere Sepulchris.

EtTheodoret.Ciren.de Graecar.affectionum Curat. lib.8. de Martyribus in fine inquit:

Suos

Suos enim mortuos Dominus Deus noſter in Templa pro Diis veſtris induxit. Ac illos quidem caſſos gloria, vanoſque reddidit, ſuis autem Martyribus honorem illorum dedit. Pro Pandiis enim, Diaſiiſque, ac Dionyſiis, hoc eſt Jovis, Liberique patris ſolemnitatibus, Petro, Paulo, Thomae, Sergio, Marcello, Leontio, Antonino, Mauritio, aliiſque SS. Martyribus, Solemnitates populari epulo peraguntur. Proque illa veteri pompa, pro turpi obſcoenitate, ac impudentia, fiunt modeſtae, caſtae, ac temperantiae plenae Feſtivitates; non illae quidem mero delibutae, non commeſſationibus leves, non cachinnis ſolutae, ſed Divinis canticis perſonantes, Sacriſque Sermonibus audiendis intentae. In quibus ad Deum preces non ſine ſanctis lacrymis, ac ſuſpiriis ſubmittuntur.

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

39. PALMAE, licet frequentiſſime in tumulis Coemeterialibus pictae, ſculptaeque reperiantur, Boldettus tamen in ea opinione verſatur, ut exiſtimet, earum vel unico ſymbolo Martyres vindicari. Id vero ſibi Veteres non ſemper voluerunt. Neque vacat in hoc argumento diligentiorem operam locare: eſt enim a num. 13. ad 17., quoad ejus fieri potuit, id accurate ſatis a nobis explicatum.

40. CORONA ex palmarum ramis formata.

ta. Occurrit & ipſa ſaepe in lapidibus Chriſtianis editis a Grutero, Boſio, Severano, Aringhio, Donio, Boldetto, Muratorio, Lupio, Marangonio, & aliis. Quam heic damus, extat in vitrea patera quanti vis pretii, inventa in Coemeterio S. Agnetis via Nomentana in S. Conſtantii Martyris ſepulcro, qua, noſter Aringhius To. I. p. 508, juſſu tyranni propinatum S. Martyri venenum fuiſſe arbitratur. Id vero ex alabaſtrina quadam patina, quae eidem vitreae paterae ſubſtabat, conſtare ſcribit, cui haec eadem corona, quam nos exhibemus, & hæ literæ ſunt inſculptae: NON UNDA LETALIS EST AUSA CONSTANTI FERRE QUAM LICUIT FERRO CORONAM. Eaſdem Pateram, patinamque dedit etiam P. Mamachius *Originum & Antiquitatum Chriſtianarum* To. III. p. 96. Quamvis autem ſit diligenter conſiderandum, hujuſmodi coronis, ut plurimum, expreſſam a Majoribus fuiſſe tantum eam, quam quiſque Chriſtianus expectare deberet, *coronam gloriae*; non nego tamen & ſymbolum quandoque eſſe victoriae; ut heic videmus in Conſtantio: diſtribui enim coronae victori militi conſueverant, & Patres, cum de Martyribus ſcribunt, coronam eos victoriae conſequutos eſſe ajunt, qua intro-

du-

Digitized by Google

ducuntur in caelum Mundi triumphatores perpetuo Dei regno potituri.

41.)IGNIS. Quam atrox ſupplicii genus,

42.)quamque immane eſſet,ut poſt diverſa tormenta damnati Martyres lentis ignibus urerentur,comprehendi vix animo,oratione autem explicari ne vix quidem poteſt. Euſebius in lib. *de Martyribus Palaeſtinis* cap.3. p. 411. de Timotheo Gazae Epiſcopo agens, *Innumera*, inquit, *perpeſſus tormenta, tandem tenui, ac lento igne conſumptus &c.* Varia ignis tormenta deſcribuntur in Actis Sanctorum Martyrum ſinceris (de quibus infra) editis a Ruinartio. S. Juſtinus Martyr *in Dialogo cum Tryphone* pag. 110. num. 114. edit. Venetae 1747., *qui cum obtruncemur*, ait, *crucifigamur*, *objiciamur beſtiis*, IGNIBUS, *aliiſque tormentis tradamur*, *tamen a confeſſione non diſcedimus*. Tertullianus in lib. *ad Nationes* I. cap.18. pag.52. *Reliquum*, inquit, *obſtinationis in illo capitulo collocatis, quod neque gladios, neque cruces, neque beſtias veſtras, non* IGNEM, *non tormenta, ob duritiem, ac contemtum mortis, animo recenſemus*: & *Apolog.* cap. 30. pag. 27. *ſic itaque nos ad Deum expanſos ungulae fodiant, cruces ſuſpendant*, IGNES *lambant &c.* S. Cyprianus in lib. *de bono Patientiae* pag. 215.

 Gla-

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

Gladius, inquit, *beſtiae*, IGNES, *cruces, omnia denique tormentorum ac poenarum genera, fide & virtute patientiae perferenda:* & in Epiſtola 40. alias 36., de *Numidico* agens, pag. 78. edit. Oxon. ſcribit: *hortatu ſuo copioſum Martyrum numerum lapidibus, &* FLAMMIS *necatum, ante ſe miſit*. Denique Minucius Felix *in Octavio* pag. 103. edit. 1672. ſic inducit Caecilium Ethnicum noſtros alloquentem: *Ecce vobis minae, ſupplicia, tormenta, etiam non adorandae ſed ſubeundae Cruces*, IGNES *etiam, quos & praedicitis, & timetis*. In Actis SS. Martyrum Tarachi, Probi, & Andronici apud laudatum Ruinartium pag. 380. edit. Veronen. num. 4. ſic habetur: „ Maximus dixit: *afferte ignem, & expandite manus ejus, & unite .... ligate eum a pedibus, & in altum eum ſuſpendite, & acrem fumum ſupponite ad faciem ejus* (Tarachi)... *Afferte acetum acre cum ſale, & in nares ejus infundite ... Immiſcete ſinape cum aceto, & perfundite nares ejus*. Maximus dixit: *ignite arctius ferrum, & ſtante eo, injicite illi ... Radite ei caput, & igneas prunas ſupponite ei*. Vide etiam Epiſtolam Smyrnenſis Eccleſiae de *S. Polycarpi* Martyrio apud eundem Ruinar. p. 36., Acta *S. Pionii* pag. 127., *SS. Luciani & Marciani*

ciani p. 143. num. 7., *SS. Fructuoſi & Augurii* pag. 192. num. 4., *S. Cyrilli pueri* pag. 214., *SS. Agapis*, *Chioniae &c.* pag. 349. num. 4., & 351. num. 6., *SS. Pollionis &c.* pag. 360. num. 3., *S. Philippi* Epiſcopi Heracleae pag. 372. num. 13., & *S. Theodori* pag. 426. num. 6. Ex quibus, & aliis Actis conſtat, ut ſcribit Doctiſſimus Mamachius *Originum & Antiquitatum Chriſtianarum* Tomo III. libro III. pag. 219, flammis permultos noſtrorum hominum religionis cauſa traditos fuiſſe, Martyreſque deceſſiſſe. Sed eorum (inquit) incendendorum non una ſemper, neque eadem ratio fuit. Saepe enim igne circum accenſo, ſtipitibus erectis affixi, aut alligati, interdum ſarmentis ferreo lecto ſuppoſitis, cui lecto illi eſſent adſtricti, nonnunquam in ardentes fornaces, rogos, foſſaſque prunis candentibus plenas injecti interibant. Quandoque una cum cubiculis, aedibus ſacris, balneis, urbibus ipſis, in quibus habitabant, circumjecto igne abſumebantur. Quin etiam fuerunt aliqui, quos Ethnici, aut funibus oleo, ſulphure, ac reſina illitis, poſtque incenſis, vinctos, aut lineis in oleum injectis, indeque accenſis, eorumque pedibus admotis, aut in navim pice, ſtupaque refertam immiſſos, admoto igne, in medio mari

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

perire cogerent. Eſtque jam ab Gallonio traditum, calore balnei aliquos Chriſtianorum vivere deſiiſſe. Tunica quoque, quam veteres *moleſtam* dicere conſueverant, quae rebus iis, quae ignem concipere facile poſſent, contexta erat, quod religionem ſervarent, involvebantur; qua inflammata, miſerandum in modum cruciabantur, tandemque animam efflabant. Ac multos eorum, qui Chriſtum colerent, cum Nero Imperium obtineret, tunica moleſta indutos, inflammatoſque fuiſſe, ut lampadum inſtar noctu collucerent, auctor eſt Tacitus in Hiſtoria. Scribit etiam Caecilius in eo libro, qui eſt de *Mortibus Perſecutorum*, iis, qui dignitatem nullam haberent, poenam ignem fuiſſe. Datas namque leges fuiſſe, ut poſt tormenta damnati lentis ignibus urerentur. Conſueſſe igitur ab Ethnicis, noſtrorum pedibus, cum deligati fuiſſent, ſubdi lenem flammam tamdiu, donec callum ſolorum contractum igne ab oſſibus revelleretur. Deinde incendi faces, tum extingui, ac protinus admoveri ſingulis membris, ita ut locus nullus in corpore intactus relinqueretur. Praeterea faciem aqua frigida perfundi, & os humore ablui, ne ariditate faucium interirent. Curari poſtremo, ut cute omni decocta, vis

ignis

ignis ad intima viſcera penetraret. Hinc, rogo facto, corpora jam aduſta cremari.

43. PECTEN FERREUS, quo membra Sanctorum Martyrum diſcerpebantur, in Romanis Arenariis effoſſus. Huic ſimiles lapidibus inſculptos edidit Aringhius lib. ultimo *Romae Subter.* pag. 495. & 684. Alium, ſed paullo diverſum, ferrei pectinis in Coemeterio Calepodii reperti iconiſmum exhibet Boldettus pag. 319., quem P. Mamachius iterum incidi & imprimi voluit Tomo III. *Originum & Antiquitatum Chriſtianarum* lib. 3. pag. 206. Pectinis manubrio infigebantur haſtulae, ut carnifices pertingere ad ſuſpenſum Martyrem torquendum, dilacerandumque poſſent. Vide Gallonium *de Cruciatibus SS. Martyrum* pag. 134. & ſeq. cui tamen ajenti, ſimiles eorum pectines fuiſſe, quibus depectitur lana, non aſſentitur laudatus Mamachius.

44. Lucerna fictilis, edita a Petro Sancte Bartholo *de Lucernis* part. 3. pag. 29., ac variis ſymbolis ornata. Sol, Luna, & Stellae ſupra Boni Paſtoris caput, oſtendunt, ipſum Deum ac Regem noſtrum, ante ſaecula genitum, ut David cecinit Pſal. 73. verſ. 12. Vide Ciampinium Tomo II. *Veterum Monumentorum* Tab. XVIII., & Bonarrotium *Oſſervazioni*

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

zioni ſopra alcuni frammenti di vaſi antichi di vetro Tab.V.p.38.& 267.In more fuit, etiam apud Chriſtianos, utriuſque ſyderis, nempe Solis, ac Lunae noctilucae, imagines humanis lineamentis, ut heic, repraeſentare. BONUS PASTOR, qui paſcit oves, eam, quae periit, humeris geſtat, ut in ovile reducat. Confer Caſalium *de Ant.Sacr.Chriſtianorum ritibus* p.228.,Licetum lib.6. c.49. p.870.,& Boldettum p.200.n.10.ac 11.,& p.212.nu.2. Idem Paſtor in vitris, in lucernis, in ſarcophagis, in parietibus Coemeterialibus ac Veterum Titulorum, in gemmis, & calicibus paſſim exhibetur, ut videre licet apud Aringhium *Romae Subter.* Tom. I. pag.303. 315. 321. 323. 327. 335. 389. 531. 548. 554. 573. 579. 581. 585. 589. 619., ac Tomo II. pag. 25. 29. 59. 63. 65. 67. 75. 79. 91. 97. ac 101., & apud Bonarrotium in memorato Opere Tab.IV.item Tab.V.&VI.n.1.& 2. Multa in hanc rem Boſius, Severanus,& Boldettus ſcriptis commendarunt. Quibus vero de cauſis pictae, ſculptaeque Boni Paſtoris imagines jam uſque a primis Eccleſiae temporibus fuerint,cum Scriptores Orthodoxi plerique,tum vetus auctor Tertullianus teſtis eſt imprimis locuples, (ut animadvertit Cl.Mamachius Tom.III.Originum &c.lib.III. pag.80.).

Digitized by Google

pag. 80.). Ipſe vero, quod ad Cataphrygas defeciſſet, aegre ferebat, Paſtorem in ſacris calicibus exprimi a Catholicis conſueviſſe, ut indicaret, patere, noſtrorum ſententia, iis, qui ſeſe quovis ſcelere implicaverant, ad reſipiſcentiam & ſalutem, viam. Cataphrygarum enim haec erat opinio, eos Orthodoxos, qui aut in haereſim, aut in idololatriam, aut in adulterium, aut in grave aliquod peccatum incidiſſent, etiamſi reverſi fuiſſent ad ſanitatem, conjungi bonis ſocietate non oportere, ut ſcribit idem Tertullianus lib. *de Pudicitia* cap. 21. pag. 581. edit. an. 1744. & e novis Oſius lib. *de Capital. Crim. Abſolut. per tria priora Eccleſiae Saecula* cap. 4. *Digres*. 2. pag. 115. & ſeqq. edit. Mediolanenſis. ARCA NOEMI, cui supereminet columba, quae ramum olivae detulit, Eccleſiam ſignificat, extra quam nemo aſſequi ſalutem poteſt: aquae vero, baptiſma, quo expiamur: Noemus autem, ac filii, eos qui in noſtram venient ſocietatem. Confer Epiſt. I. S. Petri Apoſtoli cap. 3. ver. 20., Clementem Romanum Epiſt. I. ad Corinthios num. 9. pag. 14. Tom. I. *Collect. Epiſt. Rom. Pontif.* edit. Pariſ. Couſtantii, Juſtinum Martyrem in Dialogo cum Tryphone n. 86. pag. 194. ac num. 138. pag. 242. edit. Venetae an. 1747.,

an. 1747., & Tertullianum lib. *de Baptiſmo* cap. 8. pag. 227. edit. Venetae an. 1744. ubi ait: *Quemadmodum poſt aquas diluvii, quibus iniquitas antiqua purgata eſt, poſt baptiſmum, ut ita dixerim, mundi, pacem caeleſtis irae praeco columba terris adnuntiavit demiſſa ex arca, & cum olea reverſa, quod ſignum etiam apud Nationes paci praetenditur: eadem diſpoſitione ſpiritalis affectus, terrae, ideſt carni noſtrae, emergenti de lavacro poſt vetera delicta, columba Sancti Spiritus advolat, pacem Dei afferens, emiſſa de caelis, ubi Eccleſia eſt arca figurata.* Adi etiam S. Cyprianum Epiſt. 74. *ad Pomp.* pag. 216., lib. *de Unitate Eccleſiae* pag. 109. edit. Oxon. an. 1682. & Epiſt. 69. *ad Magnum* pag. 181., Firmilianum Epiſtola inter Cyprianicas 75. pag. 224. edit. ejuſdem, & Auguſtinum lib. 5. *de Baptiſmo* cap. extremo pag. 160. Tom. 9. Operum edit. Monachorum S. Mauri, & lib. 15. *de Civitate Dei* cap. 26. pag. 410. Tom. 7., & lib. *de Catechizandis rudibus* cap. 27. pag. 494 Tom. 6. quorum Patrum teſtimonia allegat Mamachius Tom. III. *Originum & Antiquitatum Chriſtianarum* pag. 32. Viſitur etiam in hac Lucerna, quam illuſtramus, JONAS poſt triduum evomitus e ventre coeti, qui figura Chriſti fuit, eodem intervallo

tem-

temporis futuri in ventre terrae. Nam, quod ſignum e caelo poſcerent Phariſaei, ut ad fidem Boni Paſtoris dictis adjungendam inducerentur, Chriſtus reſpondit; niſi ſignum Jonae Prophetae, aliud praeterea ullum dari non oportere. Sanctus Juſtinus Martyr in Dialogo cum Tryphone num. 107. pag. 212. ſcribit: *quod tertio die, poſtquam crucifixus fuiſſet* (*Chriſtus*), *reſurrecturus erat, ſcriptum eſt... homines veſtri generis* (*o Judaei*) *cum diſputarent cum eo, dixiſſe*, oſtende nobis ſignum: *cumque reſpondiſſe*: generatio prava & adultera ſignum quaerit, & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Jonae. *Quae cum ab eo dicerentur arcane, intelligere erat audientibus, eum, poſtquam crucifixus fuiſſet, tertio die reſurrecturum. Ac veſtram quidem generationem nequiorem, & magis adulteram Civitate Ninivitarum demonſtrabat; qui cum eis Jonas e ventre magni piſcis tertio die ejectus, praedicaſſet, fore, ut poſt* (*quadraginta*) *tres dies univerſi perirent, jejunium omnium prorſus animalium, hominum ſcilicet, & pecorum, cum ſaccis, & vehementi ejulatu, & vera ex cordibus converſione .... promulgarunt ..... Quin etiam cum moereret Jonas, quod die* (*quadrageſimo*) al. *tertio, ut praedicaverat, Urbs*

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

Urbs everſa non fuiſſet, prudenti conſilio Deus hedera illi e terra proferenda, ſub qua ſedens ab aeſtu obumbrabatur (erat autem hedera repentina cucurbita, nec plantata a Jona, nec irrigata, ſed ſubito ad umbram ei miniſtrandam exorta), eaque rurſus alio praecepto exſiccanda, qua ex re angebatur Jonas, inique eum moerere arguit Deus, quod Civitas Ninivitarum everſa non fuiſſet: tu pepercisti, *inquit* hederae, in qua nihil feciſti operae, neque nutriviſti eam ..... & ego non parcam ſuper Ninive? „ Veteres Chriſtiani, ut oculis utriuſque myſterii ſymbolum ſubjicerent, Jonam Prophetam e ventre piſcis evomitum, & eundem ſub cucurbita jacentem (ſicut in hac lucerna, de qua agitur) expreſſerunt in pictis tabulis, vitris, ſculptiſque ſarcophagis, quemadmodum videre licet apud Boſium, Severanum, Aringhium, Bonarrotium, & Boldettum.

45. PREDICATIO, ET MARTYRIUM SS. APOSTOLORUM PETRI ET PAULI. Ciampinis Vet. Monim. Tom. I. Tab. XXV. pag. 63. Cap. VII. ſcribens de nonnullis ornamentis, quae erant in Baſilica Siciniana (verius S. Andreae in Barbara) appellata, inquit. „ Haec, quae ſupererat, Petrum, & Paulum Romanum Populum alloquen-

quentes, docenteſque demonſtrat, ut ipſius epigraphe declaratur, ubi ſic legendum exiſtimo: *Hic Petrus, & Paulus Romano Populo praedicant, & docent verbum*; cum in tabula initialem literam ultimae vocis DER, Pictoris incuria vitiatam eſſe judicem, nempe loco V. litterae, poſitam literam D. prout etiam in literis PDCNS ultima litera S. ſit errata, quae erat T. Hae Figurae martyrium utriuſque Apoſtoli repraeſentantes, vetuſtiſſimae ſunt: nam ſi eorumdem habitus inſpectemus, redolent tempora V. Saeculi, pictaeque forte ſunt juſſu Simplicii Pontificis, qui Muſivum opus in Tribuna ejuſdem Baſilicae conſtruxit. Ulterius multa alia obſervatione digna ſunt, quae vetuſtiſſimum tempus indicant; cum Pictores ea, quae depingunt, ut plurimum juxta ſuorum temporum mores exprimere ſoleant: itidem ipſe character epigraphes noſtram hanc conjecturam confirmat, qui V. aut ad ſummum VI. Saeculum refert. Sed melius quaeque expendamus. Apoſtoli, Dalmatica, & Pallio induti ſunt; reliqui vero Toga, & Sago, ſive Chlamyde; e quibus Togis nonnullas peculiariter obſervandas exiſtimo, quae oras, ſive extremitates acu pictas habent: qua cultus varietate Pictor fortaſſe Principes viros, Pa-

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

tritioſque, a plebe diſtinxit, ac ſecrevit. Notandi etiam ſunt muri ex lapide quadrato, cum turribus, quae Romanae Urbis, non vero alterius Civitatis moenia denotant. Antiquitus enim erat ex lapidibus quadratis, ut bene obſervavit Marlianus in ſua *Topographia Urbis* lib.I.cap.4. & 9. Illi vero, qui hodie lateritii viſuntur, ſunt poſterioris Aevi, ut docet Euſebius in Chronico, ac Flavius Vopiſcus in eodem Aureliano ſic ajens, *Muros Urbis Romae ſic ampliavit, ut quinquaginta prope millia murorum ejus ambitus teneant*. Voluit igitur Pictor exprimere Urbis muros, non prout ſuo tempore erant, ſed Aevo, quo Beati Apoſtoli praedicabant. Nec praetereunda ſunt vela, quae complicata hinc inde a lateribus pendent; eiſque (ut arbitror) Pictor Imperatoris Palatium denotavit, in cujus foribus vela aderant, ut cecinit Corippus lib. 3.

Verum, ut contracto patuerunt intima velo
Oſtia, & aurati micuerunt atria tecti,
Caeſareumque caput diademate fulgere ſacro,
Ter gazis ſuſpexit Avar &c.

Et Anaſtaſius in vita Silveſtri Papae, ubi habet:

Fe-

Fecit B. Silveſtrum PP. venire ad ſe in Palatium Pincii (ſeu potius Principis, nam vocem abbreviatam puto) *& ad primum, & ſecundum velum obtinuit omnem Clerum*. Hujuſmodi vela affabre expreſſa viſuntur in Muſivo opere, quod Ravennae eſt in Eccleſia S. Apollinaris, repraeſentatque Palatium cum novem januis, e quibus omnibus vela dependent. Supra, ac retro vela, ſunt quaedam domus ab invicem paullo diſtantes, ac propterea Romanam Urbem exprimentes; cum antiquitus, et praecipue in V. Saeculo, non contigua, ſed ſejuncta aedificia conſtruerentur: quod habetur ex quadam conſtitutione Theodoſii Imperatoris, cujus ſumma refertur ab eruditiſſimo Gothofredo in ſuo Cod. Theodoſ. lib. 4. tit. 24. *De aedif. privat.* ubi inter privatorum fabricas, decem, inter publicas, quindecim pedum intervallum relinqui juſſiſſe Imperatorem enarrat. Et in Comment. ad eandem Conſtitutionem addit, intervallum, ſeu ſpatium inter vicinas Aedes, fuiſſe praeſcriptum, cum incendii vitandi cauſa, tum luminis, aeriſque liberius excipiendi: antea enim ea ſpatia anguſtiora, & vix ulla fuiſſe docemur ex *L. Maeniana, Cod. De aedific. §. Sciendum, ff. Fin. regundorum*. Omnia autem haec, quae in hujus

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

hujus tabulae explicatione notavimus, ſi ſerio perpendantur, perſpicuum erit, non ſolum ambos Apoſtolos Romae praedicaſſe, quod docet epigraphe pone Palatium Imperatoris; imo in eadem etiam permanſiſſe; quae conjectura conſona eſſe videtur verbis illis DoctorisGentium in ſua Epiſt.ad Philip. cap. 4. v. 2. *Salutant vos omnes Sancti, maxime autem qui de Caeſaris Domo ſunt*. Hi autem eſſe illi videntur, qui togas acu depictas habent. Neque conſideranti minus apertum erit, Beatos Apoſtolos Petrum, & Paulum Romae paſſos: primum quidem Cruci affixum, alterum decollatum, quod a quibuſdam diverſa a Catholicis, & adverſus eoſdem ſentientibus, pertinacius denegatur. Nobis interim, cum haec tradidiſſe ſufficiat; alio iter inſtituendum eſt,& ad reliqua properandum ,,. Huc uſque Ciampinius. Ego pauca addam DE PETRO ET PAULO ROMAE PRAEDICANTIBUS ET DE MARTYRIO EORUM. Petrum Apoſtolorum Principem Antiochia Romam veniſſe ad praedicandum Euangelium, Cathedramque ibidem collocaſſe, ne Haeretici quidem ante Saeculum XV. in dubium revocarunt; ut oſtendit Auguſtinus Calmet in Diſſertatione Epiſtolis Canonicis praepoſita, quae eſt de

iti,

itinere D. Petri Romam. Primus omnium, Romam aliquando veniſſe Petrum, negavit Guilielmus praeceptor Joannis Wiclefi, quem ſequi non ſolum Magdeburgenſes, ſed etiam Lutherum, Calvinum, alioſque puduit, ob conſenſum Scriptorum, qui Romanam Sedem, Petri Cathedram nuncupant, ut obſervat Sandinus in Hiſtoria Apoſtolica p. 54. atque in Diſſertatione ſecunda, cui fecit titulum *de Cathedra D. Petri Romana*. Quin Pearſonius, inter juniores haeterodoxos clariſſimus, Diſſert. I. *de ſucceſſione primorum Romae Epiſcoporum* capitibus 6. & 7. veteris memoriae ordinem ſequutus, oſtendit, numquam dubitatum ab Antiquis, quin Petrus Romanam Eccleſiam inſtituerit, numquam non habitum pro certo, Romanos Pontifices Petri ſucceſſores eſſe. Etiam Baſnagius fatetur ad annum 64. §. 9. nullam eſſe traditionem, quae majore teſtium numero fulciatur: itaut de Petri in Urbem adventu ambigi non poſſit, quin omnia hiſtoriae fundamenta convellantur. Videſis Clementem Romanum Petri auditorem, Ignatium Martyrem Joannis diſcipulum in ea Epiſtola, quae eſt ad Romanos ſcripta, Papiam Hierapolitanum (qui Joannem ſeniorem audivit) apud Euſebium *Hiſt. Ecc.* lib. 3. cap. 39., Dionyſium

Ex Paſchali vero menſe, quo complebatur ejuſdem Summi Pontificatus annus duodecimus, aperitur initium Epochae Pontificatus Romana in Sede exercendi. Epocha Paſchalis, ſeu anni ſacri, more Orientalium, & Judaeorum, cum incideret in menſem Aprilis, & in diem Aprilis 21 incurreret Epocha annorum Urbis Conditae, Romae uſurpata ex Palilibus, & Claudii aetate ita conſignata etiam in Faſtis Sacerdotalibus Ethnicorum apud Gruterum folio CCC., Romani alligarunt eidem termino initium Pontificatus Maximi a Petro in Urbem cum Sede translati: unde ad Martyrium Petri 29. Junii anni 65. Aerae Chriſti Communis, recte numerantur anni XXV. menſes II. dies VIII. Nonnullis fucum facit textus Anaſtaſianus, qui adverſari videtur hiſce obſervatis Chronologicis, anno Aerae Com. 40. (ex Catalogis, & documentis genuinis Romanae Eccleſiae) ſtatuentibus initium Pontificalis Epochae Petri Romana in Sede: habet enim in ejus Vita: *ingreſſus Urbem Romanam ſub Nerone.* Sed haec verba intelligenda ſunt de initio Principatus Claudii, Neronis Druſi filii, cujus ſtirpi tam familiare fuit cognomentum *Neronum*, Sabina lingua *fortem* ſignificans, teſtibus Suetonio, & Gellio, ut Ode 4. lib. 4. Horatius

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

bis vocet *Nerones* ejus agnatos; & filius Domitius adſcitus in Gentem Claudiam *Nero* ſit appellatus, prout etiam ab eodem Anaſtaſio ibidem linea 8: vel ſi de Domitio Nerone Bibliothecarius loquutus eſt, poſteriorem adventum Petri cum priore confudit. S. Paulus vero Romam primum venit anno Aerae Com. 57, ac per biennium, quo in vinculis fuit, non verbis ſolum, ſed etiam ſcriptis Eccleſiam inſtituit, atque erudivit. Conducta namque in domo ei habitare permiſſum fuit ſimul cum milite, qui ipſum cuſtodiebat. Ibi Chriſtianam fidem libere tradidit ingredientibus ad ſe tam Judaeis, quam Ethnicis; itaut ipſam CaeſarisAulam ejus doctrina pervaſerit. Biennio expleto, vinculis ſolutus Roma emigravit, ac, Orientis regionibus peragratis, in Urbem anno Chriſti 60. reverſus eſt, eo ſane conſilio, ut ſocietatem iniret cum Petro non Cathedrae, ſed praedicationis, quod adnotarunt Eutherius Thianenſis, & Helladius Tharſienſis, qui, a Joannis Antiocheni ſententia depoſitionis in ipſo lata, ob contumaciam in ſchiſmate adverſus S. Cyrillum, ad Sixtum appellantes, ita ſcribunt in Synodico Caſſin. cap. 107. p. 240. *Imitamini & magnum pietatis praeconem, oraculum Mundi, quem nos ut pignus habe-*

re

re familiaritatis noſtrae erga veſtram credimus ſanctitatem. Civis enim noſter exiſtens, errore totius Orbis extincto, illius Apoſtolicae Sedis factus eſt ornamentum, & a Beato Petro dextram ſocietatis accepit; ut appareret, ab utriſque aequam ſubtilitatem dogmatum cuſtodiri. Quo ſenſu loquitur & S. Gelaſius in ſuo de Sacris Libris Decreto a nobis edito, & alii Patres. Martyrium SS. Apoſtolorum die 29. Junii anno Aerae Vulg. 65. conſignatur. Petrum capite ad terram verſo, pedibuſque ſurſum elevatis, crucifixum fuiſſe, poſt S. Gregorium Nyſſenum Orat. 8. *de Beatitudinibus*, omnes Hiſtorici tradunt. Nero XII. Imperii anno labente, *Veſtino & Nerva Coſſ.* eum cruci affigi, eodemque mortis genere affici praecepit, quo Chriſtus Servator interiit, ne qui ſimilis Magiſtro eſſe, dum viveret, ſtudebat, is ne mortis quidem ſupplicio diſſimilis eſſe videretur. Paulus vero, utpote Romanus Civis, capite abſciſſo, ejuſdem Imperatoris juſſu martyrium conſummavit, ut Scriptores graviſſimi Petrus Alexandrinus, Euſebius, Chryſoſtomus, Hieronymus, aliique teſtantur. De die inter omnes convenit, qui prorſus idem, quo Petrus in crucem actus eſt, nempe III. Kal. Julias. Id ambigitur, morti ne uterque eodem anno datus ſit. Prudentius

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

περὶ στεφάνων Hymno 12. annum inter obitum utriuſque ponit,

Unus utrumque dies, plenus tamen innovatus anno,
Vidit ſuperba morte laureatum.

Et Arator Subdiaconus in libro Hiſtoriae Apoſtolicae altero,

Geminos, quos addidit aſtris
Non eadem tamen, una dies, annique voluto
Tempore ſacravit repetita Paſſio lucem.

D. Auguſtinus Serm. 295. cap. 7. ait: *unum diem Paſſionis duobus Apoſtolis fuiſſe, ſed diverſis temporibus paſſos. Praeceſſiſſe Petrum, ſecutum eſſe Paulum*: *idque traditione Patrum cognitum memoria retineri* ſubjicit Ser. 381. Paria habet *Sacramentarium Leonianum*, quod ego primus omnium publici juris feci Tom. IV. Anaſt. Bibl. Ex Graecis quoque Photius in Bibliotheca Cod. 276. locum affert S. Nili, qui Martyrium Petri ante Pauli exitum ponit. S. Dionyſius tamen Corinthiorum Epiſcopus, qui altero Chriſti Saeculo vivebat, apud Euſebium lib. 2. cap. 25. occiſos illos edit κατὰ τὸν αὐτὸν καιρὸν *eodem tempore*, quam vocem idem Euſebius de eodem anno interpretatus videtur. Nam in Chronico mortem utriuſque ſub iiſdem Conſulibus colto-

Digitized by Google

locat, quod facit etiam Bucherii Kalendarium. Eodem anno utrumque interfectum placet etiam S. Epiphanio Haereſi 27. §. 6., S. Hieronymo *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, S. Aſterio Homil. 8., & Concilio Romano an. 494. a Gelaſio celebrato, quod habet, Divum Paulum *non diverſo, ſicut Haeretici garriunt, ſed uno tempore, uno eodemque die glorioſa morte cum Petro in Urbe Roma* extremum vitae diem confeciſſe. Vide Sandinum in *Hiſtoria Apoſtolica* pag. 98. & 99.

46. CRATICULA in Romanis Arenariis reperta, de qua conſulendus Aringhius To. 2. *Romae Subter.* pag. 138. Non tribus tantum, ut aliqui volunt, ſed pluribus coſtis compactae erant hae crates ferreae, quibus ignis ſupponebatur. Iis Chriſtiani a carnificibus impoſiti, aduſtique; ut Acta SS. Martyrum quamplura teſtantur. Fortiſſimi viri, mulieresque, non ſolum non ferre moleſte, ſed etiam laeti alacreſque ad illud ſupplicii genus venire, atque, ubi ſuas carnes uri, maleque olere ſentiebant, convertere ſe ad Judices, eoſque ridere, hortarique, ut quod coctum eſſet, comederent, conſueverunt, ut ſcite animadvertit P. Mamachius Tom. III. *Originum &c.* p. 214. Prudentius περὶ Στεφάνων hymno II, qui eſt de S. Laurentio, v. 97. & ſeqq. ait: *Quin*

Quin ipſa odoris qualitas
Aduſta, quam reddit cutis,
Diverſa utroſque permonet;
His nidor, illis nectar eſt.

Et verſu 100.

Poſtquam vapor diutinus
Decoxit exuſtum latus,
Ultro e cataſta judicem
Compellat affatu brevi:
Converte partem corporis:
Satis crematum jugiter,
Et fac periclum, quid tuus
Vulcanus ardens egerit.
Praefectus inverti jubet.
Tunc ille: coctum eſt, devora,
Et experimentum cape,
Sit crudum, an aſſum ſuavius.

Euſebius Hiſt. Eccl. lib. 8. cap. 6. pag. 382. & cap. 12. pag. 391. *Alii*, inquit, *craticulis impoſiti, non ad mortem uſque, ſed ad diuturnitatem ſupplicii torrebantur*. Vide quae habet Gallonius in libro *de Cruciatibus Martyrum* p. 159. & ſeq. ubi *de craticula lectoque ferreo agit*. Similis cratis, lectus ferreus erat, quamquam pauliſper e terra elevatus eſſet, latioribuſque laminis ferreis, oblique tabularum loco ductis, conſtitueretur; ut conſtat ex Hymno ejuſdem Prudentii de S.Din-

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

S. Vincentio, qui eſt V. περὶ Στεφάνων, in quo legitur:

Decernit extrema omnium
Igni, grabato, & laminis
Exerceatur quaeſtio.

....

Serrata lectum regula
Dente in frequenti exaſperat,
Cui multa carbonum ſtrues
Vivum vaporat halitum.

Rurſum in Actis ejuſdem S. Martyris apud Ruinartium pag.325. num.7. *Jam enim truculentus miniſter proferri lectum cum ferreis juſſerat coſtis, &, addita ſubter carbonum congerie, exurendum Dei Martyrem applicare.*

47.) Primitivos Chriſtifideles Lucernis
48. } (quas in Coemeteriis detectas heic
49.) exhibemus) uſos eſſe, vel ad vigilias Martyrum celebrandas, ut palmae produnt, vel ad tenebras e cryptis diſpellendas, inflexaſque viarum ſemitas illuſtrandas (quemadmodum oſtendunt hujus Tabulae numeri 57. & 58.), jam pridem docuere viri Chriſtianae antiquitatis peritiſſimi Caeſar Card. Baronius ad Annum Chriſti 58. nu.25. & ſeqq., Fortunatus Scacchius Sacrorum Elaeochriſmaton myrothecio I. cap. 7. & Pau-

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

Paulus Aringhius lib. I. cap. 18. Harum iconas plerique ediderunt, quas ſi oculis perluſtrare cupis adi Boſium lib. 3. cap. 23. a pag. 203. ad 211., laudatum Aringhium lib. 6. cap. 23. pag. 571., Joannem Petrum Bellorium in Obſervationibus ad Veterum lucernas ſepulcrales Parte III., Michaelem Angelum Cauſeum, Fortunatum Licetum, alioſque, qui de Veterum lucernis ſcripſere. Sunt qui ante Conſtantinum gemmatas Cruces monumentis Coemeterialibus lucerniſque impreſſas negent. Ego autem, & ſi raro, at aliquando id fuiſſe ab antiquioribus Conſtantino Chriſtianis factum cenſeo cum Mamachio Tom. III. *Originum & Antiquitatum Chriſtianarum* pag. 47. Neque enim lucernas omnes, quae in Coemeteriis reperiuntur, recentiores eſſe eo Imperatore probari gravi aliquo argumento poteſt. Quod ſi (inquit) Chriſtianos Septimii Severii, ſequentiumque Imperatorum temporibus, aliquos fuiſſe dites, annuloſque geſtaſſe, quorum gemmis impreſſum Monogramma Chriſti eſſet, vaſaque pretioſa Eccleſiae uſui deſtinata habuiſſe conſtat, non equidem video, cur gemmis ornare cruces recuſarent, quas maximo honore colere ſolebant. Lucernae fictilis ectypon exhibitum num. 47., cui lucernae im-

impreſſa eſt Crux gemmata, & circum Crucem diadema, referunt ex Muſeo Barberino Boſius *Rom. Subter.* lib. 3. cap. 23. pag. 209., Aringhius Tom. I. lib. 3. cap. 22. pag. 519. & laudatus Mamachius ibidem poſt pag. 48. Alias Cruces gemmatas, aeneis typis ediderunt illuſtraruntque Viri Clariſſimi Dominicus Georgius *De Monogrammate Chriſti Domini* pag. 11. num. 4. & Franciſcus Commendator Victorius *in Nummo Aereo* pag. 39. Prudentius in primo contra Symmachum libro pag. 219. edit. 1625. ait:

Agnoſcas Regina libens mea ſigna neceſſe eſt,
In quibus effigies Crucis aut GEMMATA *refulget,*
Aut longis ſolido ex auro praefertur in haſtis.

Vide etiam S. Paulinum Nolanum Ep. 32. pag. 203. Edit. Veron. 1736. ac in S. Felicis *Natal. XI.* verſ. 688. & ſeqq. pag. 486., Joannem Baptiſtam Caſalium *de Veter. Sacr. Chriſt. Ritibus* cap. 1. pag. 4., & Boſium *de Cruce Triumphante* cap. XI. De lucerna poſita in hac Tabula num. 48 Aringhius Tom. I. pag. 519. haec habet: *bujus forma, quae e tenebris nunc in lucem prodit e nobiliſſimo felic. mem. Franciſci Cardinalis Barberini Muſeo,*

ſtudioſis viris contemplanda proponitur. Haec autem lucerna, medium quoddam Vaſculum, Sepulchri adinſtar, praeſefert, in quo Sancti cujuſpiam viri depoſitas olim fuiſſe reliquias, aſpectus ipſe ſuadet, atque id quidem pietati conſonum credere par eſt. Interim tu ipſemet Lector, oculatus antiquitatis hujus recolendae teſtis, ac aſſertae nuper ſententiae explorator factus, judex quoque eris. Lucernae ac lychni ad ſepulcra Martyrum ardebant (etiam Eccleſiae naſcentis exordio) in Natalitiis eorum. Conventus, qui ea de cauſa habebantur, Eccleſiae Smirnenſis ad Catholicos aliarum Eccleſiarum verba declarant in Epiſtola de S. Polycarpi Martyrio apud Ruinartium *Act.SS.Mart.ſincer.* edit. Veron. pag. 37. num. 17. *Suggeſſit ergo Nicetae Herodis Patri .... adire Proconſulem, ne Corpus* (Polycarpi) *ad ſepeliendum traderet; ne* (inquit), *relicto Crucifixo, hunc colere incipiant. Atque haec ajebant, ſuggerentibus & inſtantibus Judaeis....., ignari, quod nec Chriſtum umquam derelinquere poterimus, qui pro ſalute omnium ..... paſſus eſt....., nec alium quemquam colere. Illum ſiquidem, utpote Filium Dei, adoramus; Martyres vero, tamquam Domini Diſcipulos, & imitatores, merito diligimus, propter illorum*

erga

Digitized by Google

erga ſuum Regem ac Magiſtrum benevolentiam eximiam .... Atque ita nos poſtea (Polycarpi) *oſſa, gemmis pretioſiſſimis exquiſitiora, & ſuper aurum probatiora, tollentes, ubi decebat, depoſuimus. Quo etiam loci nobis, ut fieri potuit, congregatis in exultatione, & gaudio, praebebit Dominus* NATALEM MARTYRII *ejus diem celebrare*. De Lucernis Coemeterialibus ſunt conſulendi omnes *Romae Subterraneae* Scriptores, & Mamachius Tab. poſita poſt pag. 48 Tomi III. *Originum & Antiquitatum*, in qua duas Lucernas expreſſit, a nobis exhibitas heic, numeris nempe 46. & 47. *ad ſignificandum* (ut S. Hieron. *Contra Vigilant.* ſcribit), *lumine Fidei illuſtratos Sanctos deceſſiſſe; & modo in ſuperna Patria lumine gloriae ſplendere*. S. Auguſtinus Serm. 17. *in Dedicat. Eccl.* editionis Venetae, *Lucerna*, inquit, *eſt homo, qui bene operatur*: & Acta *SS. Montani &c.* apud Ruinart. pag. 234. *Tunc Reno, qui nobiſcum fuerat, ſomno apprehenſo, oſtenſum eſt ei, produci ſingulos; quibus prodeuntibus, lucernae ſingulae praeferebantur; cujus autem lucerna non praeceſſerat, nec ipſe procedebat: & cum proceſſimus nos cum lucernis noſtris, expergefactus eſt: &, ut nobis retulit, laetati ſumus, fidentes nos cum Chriſto ambulare, qui*

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

eſt lucerna pedibus noſtris. Ugo a S.Victore Tom. 1. Adnot. in quoſdam Pſal. David cap. 79. *Lucerna lumen in teſta: lumen in vaſe, Divinitas. Praeceſſit Chriſtus ferens lucernam, ſequitur Chriſtianus tenens exempli ſemitam. Propoſuit humanitatem lucentem, ex Divinitate extulit lucernam: ut videamus fide, ambulemus operatione, dirigamur imitatione*. Praeivit Ugoni Theofrid. Abb. qui Ser. 1. *de Reliq. SS*. Tom. 7. Bibl. PP. Colonien. Edit. ait: *Accenſae lucernae Sanctorum, ſunt reliquiae &c. Hae, inquam, ab illa ſalutis lucerna accenſae, non in abſcondito, neque ſub modio locantur ... ſed ſuper candelabrum (quod eſt Chriſtus, & Eccleſia) in propatulo ponuntur, ut Fidei, & Divinae agnitionis lumen videant, qui ingrediuntur ... Vere Mundi lucernae SS. Reliquiae, quae claritatis ſuae ſplendorem longius ſpargunt*: Palmae in Martyrum lucernis effingi ſolebant, ut ſignificaretur, eos, qui pie ſanctequc vixerunt, & interierunt in Chriſti confeſſione, poſt mortem, palmam victoriae de hoſte generis humani fuiſſe conſequutos. Quod autem, ut diximus, Lucernae ante Corpora Sanctorum Martyrum arderent, lucernae ipſae in Coemeteriis frequenter effoſſae ſatis ſuperbue teſtantur. Conſtantinus M. ritus antiqui te-

tenax ante ſepulcrum B. Laurentii poſuit lucernas argenteas, ut ſcribit Anaſtaſius Bibl. in Vita S. Silveſtri ſectione 43. *Ante Corpus Beati Laurentii Martyris argento cluſam, Paſſionem ipſius, ſigillis ornatam, cum lucernis bymixis argenteis*. Ita Codices melioris notae. (Editiones vero ad fidem Mſs. librorum non exactae, mendoſe habent, *cum lucernis byſſinis*). *Bimixtae lucernae* leguntur apud Muratorium Tom. III. pag. 245. col. 2. in Anaſtaſio *de Vitis Roman. Pontif.*,, *fecit & ceroſtata de argento majora ...... in quibus ſedent lucernae bimixtae de argento puriſſimo, lucentes juxta altare majus*. Sed & ibi legendum *bymixae*, quod idem eſt ac *bilychnes*, ut eſt noſtra lucerna exhibita num. 48. *Mixus* enim, ſeu *Myxus*, ex Graeco Μύξα,, ellychnium lucernae ſignificat. Anaſtaſius in eodem S. Silveſtro:,, poſuit Conſtantinus in Baſilica S. Agnes *lucernam auream myxorum XII.* & in Baſilica B. Laurentii Martyris Via Tiburtina in agro Verano *poſuit lucernam ex auro puriſſimo myxorum X. penſ. lib. XX.*,, Valentinianus quoque fecit B. Laurentio *lucernam myxorum X. auream*, ut legitur apud eundem Anaſt. in Vita S. Xyſti III. Et in Vita S. Hilari,, *lucernam auream cum myxis luminum decem* penſantem libras v. ante Con-

feſſio-

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

feſſionem B. Joannis. Et ad B. Laurentium lucernam auream myxorum decem.,, Hinc *bymixae lucernae*, quae habent bina mixa δι μυξοι. Idem in Leone III. *fecit .... lucernas majores fuſiles* BYMIXAS *anaglyphas duas &c.* & infra: *& ſuper ipſa ceroſtata fecit lucernas fuſiles bymixas duas ex argento.* In Leone quoque IV. *lucernam bymixam*: & in fragmento Petronii pag. 15. *lucerna bilychnis*. Item ante ſepulcrum B. Thomae Apoſtoli apud Edeſſam Syriae arſiſſe traditur lychnus ſine fomento olei, ſyrpique, de quo S. Gregorius Turonenſis *de Miracul. Martyr.* haec literis conſignavit lib. 1. cap. 32.: *Lychnus etenim inibi poſitus atque inluminatus, ante locum ſepulturae ipſius perpetualiter die, noctuque, Divino nutu reſplendet, a nullo fomentum olei ſcirpique accipiens.* Ante ſepulcrum quoque Felicis Nolani Martyris pendebat lychnus, de quo idem Turonenſis cap. 104. ejuſdem libri ita ſcribit: *ad hujus quoque cellulae parietem, quo beatum Corpus tumulo conditum requieſcit, adhaeret adpendens porticus, in qua dependens fune lychnus, lumen loco conſueverat miniſtrare.*

50. Aringhius *Rom. Subter.* Tom. 2. pag. 104. unicam Cubiculi XII. Tabulam Coemeterii SS. Marcellini & Petri deſcribens, ait:

Pri-

Primario in pariete Viri cujuſdam, imago ſacra utique induti caſula, ſuſpicitur, cui nomen Graecis utique characteribus inſcriptum eſt, ſcilicet HAIO. *Altera ibidem Viri cujuſdam ſtolati imago, titulum pariter eidem praenotatum characteribus praeferens exhibetur,* BOPA. *Binae etiam in ipſius oſtii lateribus ſtolatae pariter, at orbatae titulis, imagines exhibentur. Quae quidem numero quatuor virorum formae, cum ſingulae elevatis manibus pium, conſuetumque orandi morem videntibus innuant, viros ibi quondam ſepulturae demandatos, ut nobis quidem credere par eſt, praeſeferunt.* Indiculus Tabulae III Saeculi I.

51.) Aringhius *Romae Subterraneae*

52.) Tom. 2. pag. 101. deſcribens Cubiculum XI. ejuſdem Coemet. SS. Marcellini & Petri Via Labicana, *in utriſque* (inquit) *portae lateribus* ejuſdem Cubiculi *duo hinc inde* FOSSORES *coloribus delineantur, quorum unus* (poſitus in noſtra Tabula numero 51.) *ſeniori aetate praeditus, lucernam manu tenens, Foſſori cuipiam lumen ad inſtandum operi refundit*; alter *vero, quem pariter exhibemus* (in eadem Tab. num. 52.) *ad lucernae lumen ferreo ligone tophum fodere, atque excavare videtur*. De Foſſoribus, quibus effodiendorum Coemeteriorum ac loculorum onus

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

onus incumbebat, multa jam ſcripſimus ſupra num. 36. Ejuſmodi Coemeteria, in quibus latebant noctu interdiuque Chriſtiani, furentibus Perſecutionibus Ethnicorum, ita ad rem noſtram deſcribit S. Hieronymus c. 40. in Ezechielem: *Dum eſſem Romae puer, & liberalibus ſtudiis erudirer, ſolebam cum ceteris ejuſdem aetatis, & propoſiti, diebus Dominicis ſepulcra Apoſtolorum, & Martyrum circuire, crebroque* CRYPTAS *ingredi, quae in terrarum profunda defoſſae, ex utraque parte ingredientium per parietes habent corpora ſepultorum; & ita obſcura ſunt omnia, ut propemodum Propheticum illud compleatur:* deſcendant ad infernum viventes: *& raro deſuper lumen admiſſum, horrorem temperet tenebrarum; ut non tam feneſtram, quam foramen dimiſſi luminis putes. Rurſumque pedetentim acceditur, & coeca nocte circumdatis, illud Virgilianum proponitur,*

> *Horror ubique animos, ſimul ipſa ſilentia terrent.*

Et Prudentius *de Coronis* Hymno XI. ver. 159. & ſequentibus,

> *Inde ubi progreſſu facili nigreſcere viſa eſt*
> *Nox obſcura, loci per ſpecus ambiguum,*

Occu-

Occurrunt caeſis immiſſa foramina tectis, Indiculus Tabulae III Saeculi I.
Quae jaciant claros antra ſuper radios.
Quamlibet ancipites texant hinc inde receſſus,
Arcta ſub umbroſis atria porticibus;
Attamen exciſi ſubter cava viſcera montis
Crebra terebrato fornice lux penetrat.
Sic datur abſentis per ſubterranea Solis
Cernere fulgorem, luminibuſque frui.

Hic vero, qui ſub quarti Saeculi finem Sacroſancta Urbis Coemeteria item perluſtravit, in Cryptis Martyrum a Foſſoribus vel perfectis vel amplificatis ſe vidiſſe teſtatur in principio ejuſdem Hymni *innumeros Sanctorum cineres*, &, *inciſos tumulis titulos*, quorum ſingula nomina vix, aut ne vix quidem quis poterat recenſere. Addit tamen, *plurima ſepulcra*, *Martyris* nomen deſignare; ac eſſe alia, quae *Martyrum numerum* demonſtrent. Ac in Hymno de S. Laurentio mirabundus exclamat,

Vix fama nota eſt, abditis
Quam plena Sanctis Roma ſit;
Quam dives Vrbanum ſolum
Sacris ſepulcris floreat!

Vvvvvv Hinc

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

Hinc eſt, quod Romanae cryptae ceteris omnibus amplitudine longe antecellant, & Urbem Subterraneam repraeſentent. Foſſores, qui cuniculos formabant, & loculamenta defunctorum, recta non progrediebantur in excavatione; quo propior illis egreſſus e cavernis, faciliorque arenae tranſvectio in Aedes, quae Romae extruebantur, eſſet. Quod ſi longe interdum ab aditu digrederentur; ut reſpirarent libere, perforare terram, aut ope lucernarum tenebras fugare curabant. Excavata quae in parietibus ſepulcra cernuntur, noſtrorum Foſſariorum opera fuerunt. Biſoma dicebantur, quibus duo cadavera erant incluſa. Id vero, cum ex aliis multis, tum ex Inſcriptione Sergii & Junii Foſſorum, apud Boldettum lib. I. cap. 15. pag. 65. ſatis liquet:

SERGIVS ET IVNIVS FOSSORES
B. N. M. IN PACE BISOM.

De *Triſomo* vide Boſium *Rom. Subter.* lib. 3. cap. 23. pag. 216, & Reineſium *Inſcriptionum* Claſſe xx. num. 289; ac de *Quadriſomo* Fabrettum *Inſcript. Domeſtic.* cap. 8. pag. 571.

53. UNGULA *reperta in Coemeterio Calepodii, & in Muſeo Barberino aſſervata*. Tanta immanitas ſaevientium in Chriſtianos Ethnicorum fuit, ut noſtrorum hominum late-

latera, coſtas, ventrem, femur, tibias, totum denique corpus ungulis quandoque effoderent, atque ferarum more diriſſime lacerarent. Noſter Aringhius ectypum hujus ungulae affert Tom. II. *Romae Subterraneae* pag. 687. atque ego, accurate ſatis, ut arbitror, de eodem poenalis inſtrumenti genere pertractavi num. 21. hujus Tabulae III. De UNGULA variae ſunt, & inter ſe diſcrepantes Scriptorum ſententiae. Noſter Card. Baronius in Notis ad Mart. Rom. ad d. XI. Kal. Febr., eumque ſequutus Gallonius pag. 57., *ungulas*, eaſdem atque *fidiculas*, eſſe exiſtimarunt; ego tamen cum Mamachio *fidiculis*, nervos funiculoſque, quibus rei deligabantur, atque diſtendebantur, ſignificari puto: ſunt enim mihi praeſidio Valerius Maximus, atque Suetonius auctores in primis graves. Hic habet in Tiberio cap. 42. pag. 492. edit. an. 1714. *excogitaverat inter genera cruciatus, etiam ut longa meri potione per fallaciam oneratos, repens veretris deligatis, fidicularum ſimul, minaeque tormento diſtenderet*. Et in Caligula cap. 33. *exquiſiturum ſe vel fidiculis de Caeſonia*. Ille vero, nempe Valerius Maximus lib. 3. cap. 3. p. 153. *Fidiculas*, inquit, *laxavit, ſolvit equuleum*. Utrique forte addendus Seneca, qui lib. 3. *de*

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

Ira cap. 3. ait: *Equulei, & fidiculae, & ergaſtula, & cruces*. Sed quid de hac ungula, quam nos exhibemus, laudatus Aringhius ſcripſerit, in medium Lectoribus proferatur. „ Chriſti tropaea (inquit) notis BB. Martyrum venis ſanguinem ultro ſcaturientibus exculpta fuere, de qua re condignis Cyprianus Ep. ad Mart. & Conf. lib. 2. verbis locutus ait: *Steterunt torti torquentibus fortiores; & pulſantes ac laniantes ungulas, pulſata ac laniata membra vicerunt. Inexpugnabilem fidem ſuperare non potuit ſaeviens diu plaga repetita: quamvis, rupta compage viſcerum; torquerentur in Servis Dei jam non membra, ſed vulnera. Fluebat ſanguis, qui incendium perſecutoris extingueret, qui flammas, & ignes gehennae glorioſo cruore ſopiret*. Verum quoniam opportunus heic de ungulis e ſacris Martyrum corporibus ſanguinem vi elicientibus ſermo recurrit, en tibi praeter forcipem ferreum, quem ſupra propoſuimus, hoc item ferreum, ferinarum unguium ad inſtar elaboratum, quod in Coemeteriali ſepulcro repertum, Martyrum carnificinae adhibitum eſt, inſtrumentum: contemplandum heic offerre voluimus, quod in nobili Muſeo clar. mem. Franciſci Card. Barberini S. R. E. Vicecancellarii, pretioſi in-

inſtar theſauri, & omni pretioſius auro, nuper e Calepodii Coemeterio, ut Lucas Holſtenius vir fide digniſſimus aſſerit, erutum, aſſervatur. Eſt autem ejus plane formae, cujus heic tibi exhibetur. Cui plane inſtrumento, cum ferinarum unguium exemplar praeſeferat, congrue Baronii verba in Not. ad Mart. die 16. Mart. aptari poſſunt: *Dictae ſunt ungulae*, inquit, *quod ea inſtrumenta ferarum imitarentur veſtigia*; *quorum cum referrent exemplum, eodem quoque dicta nomine invenies lib.1.cap. de emendatione Servorum*: „ *Ferarum*, inquit, *unguibus latera perſecando*. „ *Sed in Cod. Theod. eo Tit. ſic*: „ *Ferarum veſtigiis latera perſecando* „. Haec in rem praeſentem Baronius. Cujuſmodi autem antiquis temporibus poenale inſtrumentum iſtud eſſet, & quo potiſſimum nomine appellaretur, an ungulae videlicet, an fidicularum, an unci, nos quidem in re dubia nil certi ſtatuere audemus. Siquidem ſi de ungulis agitur, jam lib. 2. cap. 2. num. 13. hujus noſtri Operis rem prolixiori ſermone ediſſeruimus, ubi & de fidiculis mentionem fecimus; quae, quid potiſſimum fuerint, exacte S. Iſidorus demonſtravit *Etymol.* libro 5. cap. ult. dicens, eas eſſe ungulas ferreas, quibus damnati excruciabantur: *Quocirca*, in-

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

inquit, *ungulae dictae, quod effodiant: hae, & fidiculae; quia iis rei in equuleo torquentur, ut fides inveniatur.* Haec Iſidorus: cui ſubtexenda ſunt, quae ab Antonio noſtro Gallonio erudite in lib. de Sanctorum Martyrum tormentis ingerit: *Fidiculas* videlicet *a findendo nuncupatas eſſe, quaſi findiculas; vel a fodicando, quia nempe reorum latera illis fodicarentur; nominataſque eſſe fidiculas, quaſi fodiculas: nam fodicare latera fidiculis, uſurpatum apparet ab Ammiano.* Haec ille: quibus plane Prudentius in hymno S. Romani adſtipulari videtur, dum, quas vocavit fidiculas, eaſdem ungulas dicit: haec autem ſunt apud ipſum Aſclepiadis verba:

Vertas at ictum carnifex
In os loquentis, inque maxillas,
Sulcoſque acutos & fidiculas transfer,
Verboſitatis ut rumpatur locus.

Et quidem apud Ammianum lib.9.haec praecipua cruciatuum genera recenſentur, ex quibus Lector ſuo rem arbitrio dijudicare valet: *Intercluduntur*, inquit, *equulei, expediuntur pondera plumbea, cum fidiculis, & verberibus.* Quo plane ſenſu fidiculas apud Joſephum lib. 5. de Machabaeis, apud Senecam lib.3.de Ira c.3.apud Valer.de Patientia lib. 3. cap. 3. apud Quintilianum Declamat. ult,

ult. & alios paſſim uſurpari contigit. Idem vero Ammianus lib. 14. iſthaec habet: *Intendebantur*, inquit, *equulei*, *uncoſque parabat carnifex*, *& tormenta*. Ad quae item Prudentius ſuis alluſiſſe carminibus aliquando viſus eſt, dum canit:

> *Extorque, ſi potes, fidem:*
> *Tormenta, carcer, ungulae,*
> *Stridenſque flammis lamina,*
> *Atque ipſa poenarum ultima*
> *Mors, Chriſtianis ludus eſt.*

Quibus paulo infra haec, in rem præſentem de Chriſtianorum in tormentis conſtantia ſubtexit:

> *Ridebat haec miles Chriſti,*
> *Manus cruentas increpans;*
> *Quod fixa non profundius*
> *Intraret artus ungula.*

Et quidem ſi de ungulis, ac fidiculis agitur, earumdem Cyprianus in Epiſt. ad Donatum mentionem his verbis ingerit: *Haſta illic, & gladius, & carnifex praeſto eſt; ungula effodiens latera & deradens, equuleus extendens, ignis exurens: ad hominis corpus unum, ſupplicia multa*. Multiplicium autem Tormentorum, quae Chriſtianis potiſſimum excruciandis adhiberi conſueverant, idem Cyprianus in lib. de Lapſis in haec verba meminit:

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

nit: *ſed cum ſaeviſſimi Judicis recrudeſcente ſaevitia jam fatigatum nunc flagella ſcinderent, nunc contunderent fuſtes, nunc equuleus extenderet, nunc ungula effoderet, nunc flamma torreret.* Verum, si apud ipſoſmet Gentiles Scriptores haec tormentorum ſeries recolatur, Ciceronem 7. in Verrem iſthaec enarrantem Lector comperiet: *Quid, cum ignes*, inquit, *ardenteſque laminae, ceterique cruciatus admovebantur?* Quod & Philippica 3. his verbis repetit: *Ponite ante oculos vincula, verbera, equuleum, carnificem, tortoremque Samarium.* Cui Seneca paribus verbis reorum ſupplicia intexens lib. 3. *de ira* cap. 3. adſtipulari videtur: *Apparatuſque illi reddendus eſt ſuus, equulei, & fidiculae, & ergaſtula & cruces, & circumdati defixis corporibus ignes, & cadavera quoque trahens uncus.* Porro unci quoque, vel uncini, ad torquendum reos ex more adhibebantur; de quibus ſupra Ammianus, & lib. 26. illis verbis meminit: *Unci, & cruentae quaeſtiones &c.* Et Arnobius de uncis tortoriis libro 1. prope finem agit, de quibus Prudentius quoque in ſuo Periſtephano hymn. 5.

Stridentibus laniatur uncis.

Porro, ut Baronius in Not. ad Mart. ait: *Erat adhuc uncus non tantum ad torquendum, ſed*

ad

ad trahendum reum ad poenas inſtrumentum: unde Juvenalis Sat. 10.

.... *impacto Sejanus ducitur unco*.

De uncis item Cicero Philip. 1. meminit: *Uncus*, inquit, *impactus eſt fugitivo illi*. Sueton. in Tib. cap. 54. *Cum ei carnifex quaſi ex Senatus auctoritate laqueos, & uncos oſtentaret*. Unco inſuper aliquando damnatorum corpora trahebantur, ut Seneca ait lib. 3. de Ira: *Cadavera quoque uncus trahens*. Lampridius item acclamatum in Commodum Imper. ait: *Carnifex unco trahatur more majorum: cadaver unco trahatur, dictum pluries*. Et quidem ex D. Sebaſtiani Actis nobile exemplum ſuppetit, ubi in fine haec leguntur: *In cloaca, quae eſt juxta Circum, quaere, & ibi invenies corpus meum pendens in unco*. Quae quidem heic ſtudioſo Lectori de ungulis, fidiculis, ac unco conſulto ſuggeſſiſſe voluimus; ut ex recenſitis hactenus rem pro ſuo arbitrio, & quodnam ex ſupra memoratis inſtrumentis, quod propoſitum eſt, & quo potiſſimum nomine nuncupandum ſit, definiat: illud unum ſubtexentes, quod ejus inſtrumenti formam quidem, haud tamen omnimodam magnitudinem icon intuentibus praeſefert „. *Huc uſque Aringhius*.

54. Lucerna fictilis in Romanis Coeme-

 te-

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

teriis reperta. In ea cernitur gemmata Crux, de qua diximus ſupra num. 47. hujus Tabulae. Fuit olim Viri Cl. Raphaelis Fabretti, ut Praeſul Dominicus Georgius in lib. *de Monogrammate Chriſti Domini* ad poſterorum memoriam literis conſignavit. Viſitur in eadem Cruce, Graeca litera P (*Rho*), per lineam rectam trajecta; quae literae X (*Chi*) conjuncta, *Chriſti* Domini Monogramma, ex elementis initialibus ejus Nominis X & P compactum, efformat. Euſebius in Vita Conſtantini lib. I. cap. 31. figuram Monogrammatis, quam poſt celebrem viſionem Imperator Divinitatis inſtinctu effingendam curavit, ita deſcribit: *Haſtile oblongum erat, erectumque: auro undique obductum fuit; atque cornu habuit tranſverſum, ad formam Crucis conſtructum: ſupra in faſtigio ejus Salvatoris nota inſcripta, duobus ſolum expreſſa elementis, ideſt: duabus primis literis Graecis nominis Chriſti. Erat* P *in medio literae* X *curioſe & ſubtiliter inſerta, quae totum Chriſti nomen perſpicue ſignificarunt*. Ex quo ipſo Euſebii loco, ut ex ſexcentis Inſcriptionibus Coemeterialibus, conſtat, ſignum illud inſtar Crucis in Caelo Conſtantino oſtenſum, non aliud fuiſſe, quàm Monogramma, duabus Graecis lite-

teris contextum, quod, utpote Chriſtianis jam notum, *ſalutaris appellationis* eodem capite ſignum vocat. Quum enim, ut animadvertit Cl. Bonarrotius in Praef. ad vitrea vaſorum fragmenta, *ſignum ſalutaris appellationis* illud nuncupet, ſatis Euſebius demonſtrat, ſe de Monogrammate Chriſti loqui, ut de re apud majores noſtros notiſſima. S. Paulinus Nolanus Epiſc. *in Natali XI. de S. Felice* canens, ait:

Ante tamen, quia res haec poſtulat, ipſius inſtar
Enarrabo Crucis, qualem & pictura biformem
Pingere conſuevit, baculo vel ſtante bicornem,
Vel per quinque tribus diſpanſam cornua virgis.
Forma Crucis gemina ſpecie componitur: & nunc
Antemnae ſpeciem, navalis imagine mali,
Sive notam Graecis ſolitam ſignare trecentos
Explicat, exiſtens, cum ſtipite figitur uno,
Quaque cacumen habet, tranſverſo vecte jugatur:

 Nunc

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

Nunc eadem Crux diſſimili compacta paratu
Eloquitur Dominum tanquam Monogrammate Chriſtum.

Atque in eodem Natali preſſius ad rem noſtram,

Nam nota, quae bis quinque notat, numerante Latino
Calculus, haec Graecis CHI *ſcribitur, & medio* RHO,
Cujus apex & ſigma tenet, quod rurſus ad ipſam
Curvatam virgam facit O, *velut Orbe peracto:*
Nam rigor obſtipus facit I, *quod in Ellade* JOTA *eſt.*
TAU *idem ſtylus ipſe brevi retro a cacumine ductus*
Efficit, atque ita ſex, ſquibus omni nomine Nomen
Celſius exprimitur, coeunt elementa ſub uno
Indice, & una tribus formatur litera virgis.

Porro Chriſti Monogramma etiam ante Conſtantini Imperatoris tempora inſcalptum Lucernis, gemmis, atque lapidibus fuiſſe, *Romae Subterraneae* Scriptores omnes luculentiſſi-

Digitized by Google

tiſſime comprobarunt : demonſtraruntque, pariter, *Signum Domini*, aut *ſignum* ſimpliciter, Monogrammaticum Chriſti nomen fuiſſe antiquitus appellatum. Exſtat apud Boldettum pag. 273. inſignis Inſcriptio eruta ex Coemeterio *S. Agnetis* an. 1710, ac dedicata v. Kal. Octobris, *Baſſo* & *Ablavio Coſſ.* nempe anno Aerae Chriſti Vulgaris 331, in qua legitur,

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

☧ ASELLVS ET LEA PRISCO PATRI BENEME
RENTI IN PACE
QVI BIXIT ANNIS LXIII. MENSIBVS III.
DIES N. XII.
IN SIGNO ☧
V. KAL. OCT. D. BASSO ET ABLAVIO
CONSS.

Extant & aliae duae apud eundem pag. 345. & 399. quae habent :

PETRO ET MARCELLINO IN SIGNO DOMINI ☧
VIVI SIBI FECERVM (*ſic*)

SIGNV ☧
CELIS ET CEREALIS. PATRI
BENEM. QVI VIXIT. ANNIS
LXXV. M. VIII. D. V.
DORMIT IN PACEM. (*ſic*)

54. Arin-

Digitized by Google

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

55. Aringhius *Rom. Subter.* Tom. 1. pag. 468. inquit: *Hac Tabula, cujus ſimulacrum heic vides, exhibetur hiſtoria Corporum Sanctorum Petri & Pauli Apoſtolorum, cum e Catacumbis, ubi Graeci illa reliquerant, ad eorum ſepulchra relata fuere, ut Sanctus Gregorius Magnus quoque narrat. Hae autem Imagines* (poſitae in noſtra Tab. num. 31. & 55.) *deſumptae e Porticu veteris Baſilicae Vaticanae, antiquiſſimae eſſe dicuntur: nam, licet nonnulli tradiderint, Porticum illam a Martino V. aedificatam fuiſſe, argumento deducto a gentilitiis ejus inſignibus, quae ibidem extabant; tamen, dum eadem Porticus deponeretur, adverti plane potuit, inſignia Martini, eſſe anaglypha, & impoſita vetuſtis iiſdem figuris, quarum lineamenta, ſublatis jam dictis inſignibus, perpetua, ac continentia cernebantur; atque adeo cognoſci dabatur, Martinum Pontificem tectum dumtaxat illius Porticus reſtituiſſe, picturas autem non attigiſſe, quas viri periti mille annis vetuſtiores eſſe judicarunt.* Diximus ſupra (num. 31. hujus Tabulae) auctoritate fulti S. Gregorii Magni, paulo poſt tempus Paſſionis Apoſtolorum, eorundem ſacra Corpora a Graecis furtim ſublata, tuncque ad Catacumbas perlata fuiſſe: quibus tamen

Digitized by Google

men Divino miraculo praepeditis, & deſiſtere a coeptis coactis, Romani ad ſua loca Apoſtolorum Corpora retulerunt, nempe (ut inquit Cajus Theologus, in diſputatione adverſus Proculum Cataphrygarum antesignanum habita Romae temporibus Zephyrini Papae) ad *Tropaea Apoſtolorum .... Via Triumphali, quae ad Vaticanum ducit, & Oſtienſi* ſaltem ante annum Aerae Chriſti Vulgaris 96. Biographus namque Anacleti (qui eodem anno 96. Pontificatum finivit, ac vitam) *ſepultum* ipſum fuiſſe tradit *juxta Corpus B. Petri*, non quidem in Catacumbis (ad quas antea translatum fuerat per facinus illorum, qui *ex Oriente* venerunt, mox reductum), ſed *in Memoria* apud Vaticanum, ab ipſo in honorem ejuſdem Principis Apoſtolorum *extructa*, *& compoſita*. Pearſonius in Annalibus Cyprianicis ad annum Conſulatus Tuſci & Baſſi, Aerae Chriſti 258. nu. 2. ſcribit: *Quid Cyprianus exul fecerit hoc anno, neſcimus: & de Xyſto* (Romano Pontifice) *fere nihil habemus. Heic tantum mihi aurem vellit Philippus Labbeus; & commonuit, ut aliquid de Xyſto ſcriberem. Ille enim de Xyſto agens hoc anno, primus, & ſolus; ut opinor, annotavit*: xxviii. die Junii levata fuiſſe e Catacumbis SS. Petri & Pauli

Pauli Corpora: *nullamque ſuae ſententiae rationem reddidit, nullam obſervationis ſuae utilitatem propoſuit: quamvis & ratio haud mala, & utilitas haud parva ſubeſſe videtur. Ratio, ſi recte capio, in antiquiſſima Depoſitione Martyrum continetur, ubi haec leguntur*: III. Kal. Julii, Petri in Catacumbas, & Pauli Oſtienſe, Tuſco & Baſſo Coſs. *Et ad marginem Bucherius*: neſcio, quid heic ſibi velint hi Conſules, forte aliunde luxati. *Scilicet, ex communi ſententia, Petrum & Paulum hoc die paſſos eſſe putavit, quorum Paſſionem cum ſub Nerone contigiſſe omnes noverint, quid hi Conſules heic facerent, videre non potuit. Verumenimvero non de Paſſionis, ſed Translationis tempore heic agitur. Apoſtolos paſſos Nerone & Vetere Conſulibus, Tuſco & Baſſo Conſulibus translatos eſſe, docuit ſub Xyſto auctor Depoſitionis Martyrum. Idem voluit Geſtorum Pontificalium auctor; ſed Epiſcopos permutavit, ut ſaepe ſolet, & pro Xyſto, Cornelium, utpote notiorem, poſuit. Sic enim ille*: Hic temporibus ſuis Corpora Apoſtolorum Petri & Pauli de Catecumbis levavit noctu. *Inde Pſeudo-Iſidorus eandem hiſtoriam fictitiae Cornelii Epiſtolae inſeruit. Neque erat huic narrationi fides abroganda propter auctoritatem Gregorii Magni; cum hiſto-*

ſtoria, quam ille narrat, nulla omnino fide digna ſit. Cajus quidem, qui circa annum Domini CC. ſcripſit, oſtendit, Apoſtolorum tropaea tunc temporis in Vaticano, & Oſtienſi aſſervata fuiſſe. Haec igitur tropaea, qualiacumque fuere, in Catacumbas tranſtuliſſe videtur Xyſtus, magis in dies ſaeviente perſecutionis ardore, ut ibi Stationes tutius haberi poſſent. Hujus obſervationis utilitas diem reſpicit, quo facta eſſe dicitur Translatio, nempe tertium Kalendas Julii, quo die vulgo putant, eos Apoſtolos paſſos eſſe, contra veterem ſententiam, qui ultimo Neronis anno eorum Martyrium adſcribunt. Ultimo enim Neronis anno, viceſimonono Junii pati non potuere; quia ipſe Nero ſexto die Junii periit. Sed, ſi alio die Depoſitio facta eſt, alio Translatio, quam ſecuta eſt poſtea Solemnitas, ſalva erit interim ſententia. Et ſane ante Pſeudo-Iſidori aetatem, ante Geſta Pontificalia, alius dies aſſignabatur. Nam Polemius Sylvius in latercuto ſuo, ſacra profanaque Feſta continente, anno Chriſti CCCCXLIX. evulgato, haec habet: VIII.Kal. (*Martii*) Depoſitio SS.Petri & Pauli. *De qua varietate alibi latius* ab eodem Pearſionio *diſputatur*. Antonius vero Pagius To.I. Critices in Baronium ad annum Chriſti 67. (juxta Baronium 69.) num. IV., habet:

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

„ Reliquiae Sanctorum iiſdem ſaepe diebus, qui eorum Natales erant, translatae. Quare ex laterculo Sylvii, ubi ad VIII. Kal. Martii legimus Depoſitionem SS. Petri & Pauli, intelligimus, horum Reliquias, die, quo jam Petrus Antiochiae celebratur, translatas fuiſſe. Translationes enim Sanctorum, Depoſitionis nomine ab Antiquis ſaepe expreſſas, pluribus exemplis conſtat. *Affert exemplum ex Melchiadis Hiſtoria: deinde*: Sic etiam anno CCLVIII. Sixtus Romanus Pontifex, cum eorumdem Apoſtolorum Corpora ad Catacumbas transferre voluit, ut, ardente perſecutione, Chriſtiani tutius Stationes ibi habere poſſent, non alium diem elegit, quam viceſimumnonum menſis Junii, eorum Natali dicatum, ut diſcimus ex laudato (*Bucheriano*) Indiculo: *III. Kalend. Julii Petri in Catacumbas, & Pauli Oſtienſe, Tuſco & Baſſo Coſs.* Quae verba Bucherius non intelligens, ibi in margine ait: Conſules fuiſſe luxatos: perſuaſus agi ibi de SS. Apoſtolorum Martyrio, cum tamen ſermo ſit de Translatione die eorum Natali facta. Pearſon in Annalibus Cyprianicis, ad annum CCLVIII., quo Tuſcus & Baſſus Conſules fuere, exiſtimat alia die Petri & Pauli martyrium accidiſſe, alia eorum Translationem; hancque ſecutam poſtea

poſtea Solemnitatem, & Feſtum: &, ante Pſeudo-Iſidori aetatem, & Geſta Pontificalia edita, Natalibus SS. Petri & Pauli alium diem aſſignatum, idque ex Sylvii laterculo conſtare. Sed fallitur Vir eruditiſſimus. Sixto enim ſedente, Petri & Pauli Reliquiae, quae antea in Vaticano, & Oſtienſi aſſervabantur, ut teſtatur Cajus, qui circa annum cc. floruit, ad Catacumbas translatae ſunt die xxix. Junii, quo eorum Solemnitas celebrari ſolita erat. *Haec ibi, cum aliis nunc omittendis, Criticus doctiſſimus. Ad annum vero 258. (261. ſecundum Baronium) pag. 266.* tit. S. Sixtus, Corpora Sanctorum Apoſtolorum transfert: *ſcribit n. III.* Nihil a Sixto in ſuo Pontificatu geſtum reperitur, niſi quod in Indiculo Depoſitionis Martyrum habetur: *III. Kal. Julii Petri in Catacumbas, & Pauli in Oſtienſe, Tuſco & Baſſo Coſs.* Bucherius cum hoc arcanum non intelligeret, ſcripſit in margine: *neſcio, quid heic ſibi velint hi Conſules, forte aliunde luxati.* Verum non de Sanctorum Apoſtolorum Paſſionis: ſed de Translationis tempore heic agitur. Idem habet Geſtorum Pontificalium auctor: ſed Pontifices permutavit, ut ſaepe ſolet, & pro Sixto, Cornelium poſuit; indeque Pſeudo-Iſidorus eamdem hiſtoriam fictitiae Cornelii

Indiculus Tabulae III. Saeculi I.

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

Epiſtolae inſeruit. Cajus, qui circa annum Chriſti cc. ſcripſit, tradit Apoſtolorum Tropaea tunc temporis in Vaticano, & Oſtienſi aſſervata fuiſſe. Haec igitur Tropaea in Catacumbas tranſtuliſſe videtur Sixtus, magis in dies ſaeviente perſecutionis ardore, ut ibi tutius Stationes haberi poſſent. Ita recte Pearſonius, qui ſubjungit *&c... Hic annotat Pagius, quae nos paullo ſupra deſcripſimus a verbis*: hujus obſervationis utilitas, *ad illa*, de qua varietate alibi ab eodem Pearſonio diſputatur. *Proſequitur deinde*: Haec Pearſonius, cujus librum, in quo de ea varietate agit, non vidi. Verumenimvero obſervatio haec vaniſſima. Petrus non ultimo Neronis anno, ſed undecimo martyrium ſubiit, ut ſuo loco demonſtravi, ejuſque Natale die viceſimonono Junii celebratur. Sed quia Translationes Sanctorum, eo ſaepe die, quo ad Deum migrarunt vel colebantur, fieri ſolitae erant, is dies a Sixto ad eam Translationem faciendam electus: quod etiam in Urbani Papae Translatione praeſtitum fuiſſe anno ccxxxi. notavimus. *Poſtea ſub tit.* Alia eorumdem (*Apoſtolorum*) translatio, *n.IV.* Nec refert(inquit) quod in Laterculo Sylvii legitur. Hinc enim tantum inferendum, aliam Sanctorum Apoſtolorum Translationem, quae etiam

etiam *Depoſitionis* nomine ab Antiquis deſignatur, in Feſto Cathedrae S. Petri factam eſſe. Nam VIII. Kal. Martii Cathedram S. Petri, non vero Natalem ejus celebratum fuiſſe, certum fit ex Indiculo Depoſitionis Martyrum (*Bucheriano*), Laterculo Sylvii antiquiore. In eo enim legitur: *Octavo Kal. Martii, Natale Petri de Cathedra*: ubi vides, etiam Natalis nomen cuilibet Feſto attributum fuiſſe. Ex hac Translatione apparet; immerito negaſſe Baronium, Sanctorum Apoſtolorum Corpora ad Catacumbas ſaepius fuiſſe translata: videlicet in morte S. Petri &c. *Patres Doctiſſimi Congr. S. Mauri Tom. II. Operum S. Gregorii Papae pag. 710. ac ſeq. haec notant, extrema Epiſtolae ad Conſtantinam Auguſtam verba dilucidantes*: His, quae S. Gregorius heic ſignificat, ſcilicet Corpora Apoſtolorum Petri & Pauli eodem loco remanſiſſe, quo fuerant prius condita, opponi poteſt prima S. Cornelii Papae & Martyris Epiſtola de ipſorum Translatione ſuo tempore facta. Verum Epiſtola haec ſuppoſitia .... Alius nodus difficilior ſolvendus ſupereſt: nempe in veteri Kalendario Romano, quod Aegidius Bucherius S. J. Presbyter eruditiſſimus edidit, legitur: *III. Kalend. Julii, Petri in Catacumbas, & Pauli Oſtien-*

ad

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

ſe, *Fuſco* (lege Tuſco) *&* *Baſſo Coſ.* ideſt, ut explicat noſter Theodoricus Ruinart in Actis Martyrum pag. *692*, an. 258, quo anno facta eſt Translatio Sanctorum Apoſtolorum eo ipſo die, quo eorum Feſtivitas agebatur. Certe Translationem hanc optime probat Eccleſiaſticae Hiſtoriae peritiſſimus Antonius Pagius ad annum 258., confirmatque ipſius Pearſonii conſenſu, & teſtimonio. Igitur negare non poſſumus, Gregorium, dum ad Conſtantinam ſcriberet, memoria lapſum.,, *Franciſcus Blanchinius patruus meus amantiſſimus Tom.II.Anaſtaſii p.205.&ſeq.in nota hiſtorica ad illa verba Vitae S.Cornelii,* rogatus a quadam Matrona Lucina&c.*haec habet*: Translatio prima ſacrorum Corporum Petri & Pauli ex loco ipſorum martyrii (ubi fuerunt primum depoſita, & ubi Tropaea Apoſtolorum indicabat Cajus ſcriptor ſecundi ſaeculi) ad Catacumbas prope Coemeterium Calliſti, praecedere debuit hanc ſecundam, quae ex Catacumbis retulit, Tuſco & Baſſo Conſulibus, eadem ſacra pignora ad priſtinum locum ſuae Confeſſionis. De prima vero Translatione cum ſit altum ſilentium, haec ſecunda attribuitur Cornelio, qui certe ſolido quinquennio ante Tuſcum & Baſſum Conſules Martyr occubuit. Jure igitur narratio

Digitized by Google

ratio ipſius Translationis tam Baronio, quam pluribus Hiſtoriae Eccleſiaſticae Scriptoribus viſa eſt obnoxia difficultatibus. Profecto hunc judico unum ex anacroniſmis, quos paulo ante memorabam irrepſiſſe in breviatores Actorum Cornelii, & haſce Vitas inde collectas, ſive ex lacunis Catalogorum, ſive ex confuſione Geſtorum in perſecutione Decii, & Galli, Valeriano Cenſore; & Decii filii, cum Gallo, poſt mortem Patris, Auguſta appellatione potiti, ac in Caeſarem confirmati per Gallum, necnon Voluſiano, in Cenſurae munere permanente Valeriano, & aliorum Geſtorum ſub Valeriano jam Principe, ad quem pertinet Tuſci & Baſſi Conſulatus, referendus etiam ad Pontificatum Sixti Secundi &c. Non igitur aſſentiar Pearſonio, interpretanti, Translationem Corporum utriuſque Apoſtoli de loco ipſorum martyrii ad Catacumbas, peractam fuiſſe Tuſco & Baſſo Coſs., eo quod in *Depoſitione Martyrum* tertii Opuſculi Bucheriani aſſignatur diei III. Kal. Julii memoria Depoſitionis Petri in Catacumbis, & Pauli Via Oſtienſi, eiſdem Conſulibus Tuſco & Baſſo, pertinentibus ad annum CCLVIII, ſexennio poſt martyrium Cornelii. Admittam facile, ex loco martyrii ad Catacumbas idcirco translata fuiſſe eadem

ſacra

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

ſacra Corpora, praecipue autem Petri, inchoante perſecutione Decii cum ejus Imperio, per Cornelium anno 251. ex illa cauſa, quam ibi Ceſtrienſis recenſet apud Pagium, nempe *ut ibi tutius haberi poſſent Stationes*. Addo id, quod Ceſtrienſis non attendit, nempe conſueviſſe haberi Ordinationes ad Petri Confeſſionem in Vaticano, ut pluribus demonſtravi in praefatione Tomi 1. num. 30. quemadmodum & Alexandriae, teſte Liberato in Breviculo cap. 20. Patriarcha ſucceſſor ſuper Deceſſoris defuncti Corpus excubias agebat, manumque dexteram ejus, ſuo capiti imponens, a ſepulto manibus ſuis accipiebat Pallium B. Marci, colloque apponebat; & tunc legitime ſedere cenſebatur. Romae, ſecluſa hac defuncti contrectatione, prope locum Petri Confeſſionis, ac depoſiti corporis Stationes habebantur in ſacris Ordinationibus, ut conſtat ex Sermonibus Leonis Magni. Dirigente igitur Decio perſecutionis ictus praecipuos in Sacerdotes, ut Epiſtolae Cornelii, & Cypriani, atque Euſebius teſtantur, neceſſe fuit ordinandos ſubducere a conſueto Stationis loco, Ethnicis jam ſatis noto ſub Imperio Alexandri. Cum tamen placeret ſervari veterem conſuetudinem vigilandi apud Corpus Principis Apoſtolorum, qui

qui in ſecunda Epiſtola ſua edixerat, daturum ſe operam diligenter, ut frequenter haberet poſt obitum ſuum Fideles ſibi concreditos; hoc ipſum Corpus Fundatoris Romanae Eccleſiae transferre conſtituit Cornelius ad Catacumbas, ubi Calliſtus ſatis amplum ac tutum Coemeterium, & conventum Epiſcopis, & plebi Chriſtianae aperuerat. Praeterquamquod Cornelius Gentis ſuae praedium Via Appia circa alterum ab Urbe lapidem, ubi Corneliorum veterum ſepulcra ſita fuiſſe Tullius memorat, fortaſſe poſſedit, & huic uſui liberaliter obtulit: ac Translationem tutius peragere potuit, utpote in proprium fundum, perinde ac ſi alicujus e Gente ſua funus curaret. Sixtus vero Secundus, Tuſco & Baſſo Coſs. retuliſſe videtur in priſtinam Sedem e Catacumbis, ſcilicet in Vaticanum, reliquias Petri; Pauli vero in praedium Lucinae Via Oſtienſi; cum a Stephani Papae Martyrio in Catacumbis perinde nota ſedes conventus Chriſtianorum haberi poſſet ad Coemeterium Calliſti, ac nota cenſeri antea poterat Statio ad Vaticanum. Utriuſque autem Translationis commixtio in textum irrepſit, ſive ex lacuna, quales in Catalogo Liberiano alias obſervavimus; conjungentes, ſuppreſſo hiatu, initia unius Pontificis, cum fine alterius;

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

Digitized by Google

INDICULI'S TABULAE III SAECULI I.

rius; ſive ex perturbata notitia Perſecutionis Decii Patris, Galli, & Filii Decii Hoſtiliani, per Valerianum Cenſorem, ſub iiſdem Caeſaribus, cum altera ipſius Valeriani jam Principis,ut ſæpe obſervandum monuimus.„ *Vignolius demum verbis ſui libri Pontificalis ad Vitam Cornelii pag.* 48. *num. IV, legentis*, CorporaApoſtolorum Petri & Pauli de Catacumbis levavit, *ſequentem appingit prolixam notam*:„ Atque haec eadem more ſuo Pſeudo-Iſidor. in Epiſt. 1. hujus Pontificis nomine inſcripta. Attamen Pagius in Crit. Baron. ad an.CCLVIII.....exiſtimat,hujus libri Pontificalis auctorem Cornelio tribuiſſe, quae Xyſti II. ſunt. Indiculus enim Depoſitionis Epiſcoporum & Martyrum extat apud Bucher. de Doctr. Tempor. in quo legitur: *Tertio Kalendas Julii, Petri in Catacumbas,& Pauli Oſtienſe,Tuſco & Baſſo Coſs.*, quo anno idem Xyſtus in Cathedra Epiſcopali Romae ſedebat. Sed, ut patet, Indiculus iſte Corpora Apoſtolorum neque a Catacumbis levata, ut heic habet liber Pontificalis, neque a Vaticano in eas translata perhibet, ut ipſa Indiculi verba Pagius minus recte interpretatur. *In Catacumbas* enim,pro *in Catacumbis* ſcribit, ut erat ſequiorum temporum minus culta ejuſmodi ſcribendi ratio. Vat. 341. *Hic levava-*

vavit Corpora Apoſtolorum Petri & Pauli de Catacumbis. Indiculus etiam, quum de die Natali S.Sebaſtiani agit, hac eadem formula utitur: *Decimotertio Kalendas Februarii in Calliſti, & Sebaſtiani in Catacumbas*: mox vero, *menſe Novembri, quinto Idus, Clementis, Semproniani, Claudii, Nicoſtrati in Comitatum*: atque item, *menſe Decembri, Idibus, Ariſton in Pontum*. Ita Mſs. hujus libri exemplaria paſſim *ſepultus eſt in Vaticanum*, pro *in Vaticano*, & alia hujuſmodi: e contrario in hoc Pontifice *noctu ambulavit Centumcellis*, pro *Centumcellas*. Quae vero parum attendi debent. Ex reliquis autem omnino patet, loca ibi appoſita ea eſſe, in quibus dies Natales Sanctorum celebrabantur, quorum Corpora condita in iis erant, ſicut infra diſertis verbis ita ſe explicat: *Decimo octavo Kalendas Octobris, Cypriani Africae, Cornelii* (ſicut lacunam explendam arbitror) *Romae celebratur in Calliſti*: in ejus nempe Coemeterio, ubi quieſcebat. Quod Cajus Presbyter ſcripſerit ſuo tempore, hoc eſt in Pontificatu Zephyrini Papae, Corpora Apoſtolorum in Vaticano, & in Via Oſtienſi eatenus extitiſſe; nihil impedit, quominus Cornelius e Catacumbis amovere, & in Vaticanum, & in Viam Oſtienſem ea iterum dedu-

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

cere potuiſſet. Potuit enim Pontifex quiſpiam alius Zephyrini ſucceſſor, & fortaſſe Calliſtus ipſe, qui ei proxime in Pontificatu ſucceſſit, in ſui nominis Coemeterium a ſe ampliatum, ad quod Catacumbae pertinent, una cum aliorum Praedeceſſorum ſuorum Pontificum Corporibus, ea transferre, & in iiſdem Catacumbis, tamquam in ſanctiori loco recondere, quod quidem vetera illa monumenta XIV. a Boſio ibidem viſa, ac numerata, ut ait lib. III. cap. XIII Romae Subterraneae, ſuadere quodammodo videntur. Ea enim totidem Pontificibus, qui ante Calliſtum ſederunt, optime reſpondent; ſi Petro & Paulo unum atque idem monumentum tribuas; & Clementem, qui in Graecia, & Alexandrum, qui in Via Nomentana, milliario ab Urbe VII, ſepulti fuere, non numeres. At quomodo Indiculus idem, qui ſub Xyſto II Corpus Beati Petri in Catacumbis, Beati vero Pauli in Via Oſtienſi extitiſſe refert, conciliari cum libro Pontificali valeat, qui Apoſtoli utriuſque Corpora ſub Cornelio e Catacumbis levata fuiſſe narrat, & quis proinde illorum mendax habendus, alii viderint. Libro quidem Pontificali ſuffragari videtur, quae in veteri atrio Baſilicae S. Petri pictura annorum mille,

le, & amplius extiterat, quam ex Boſio loco ſuperius citato, veluti hujus rei teſtem ob oculos ponimus „ (nu. 55). Singulas horum ſententias, quas ego junctim complexus hoc numero ſum, Cl. Morettus in Diſputatione, de Translatione Corporum SS. Petri & Pauli ad Catacumbas, inſerta Operi *de S. Calliſto Papa, ejuſque Baſilica*, ad examen revocandas, atque diſcutiendas judicavit; ut ſibi, & ceteris, quibus id acturum promiſerat, ſatisfaceret. Ejus verba, quae huc transferri poterant, praetermitto, ne ſim longior. Tantummodo recitabo, quod literis conſignavit p. 344, ut oſtendat ad quem uſum, inter plures, antiquitas inſtituerit Feſtorum Indiculos, ſeu Kalendaria ſacra. „ Ad indicandum (*inquit*) Fidelibus inſtituit, quo cujuſque Civitatis loco Sancti, quorum veneratio ſingularior eſſet apud eamdem, per publica Sacrificia, ſive Stationes Cleri, & Populi, aut alias honorarentur. Videantur prae ceteris Johannis Frontonis praenotata in pervetuſtum Kalendarium Romanae Eccleſiae, Praefatio Ruinartii ad Acta Sincera §. II. nu. 18. p. XVIII. editionis Veronenſis &c. De reliquo hunc fuiſſe maxime uſum Indic. Romani Bucheriani, ipſum, ubi totum non indiligenter percurratur, pretioſum monumentum, per ſeſe manife-

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

feſtat. Nullam enim, ſi paucorum excipias, feſtivam Depoſitionis Sanctorum memoriam offert, cui non annectat accuratiſſime Coemeterialis cujuſpiam, aut ſuburbicarii agri nomen. Nec equidem, uti loci ſepulturae, ſeu loci omnino continentis ſacras cujuſque Sancti reliquias: nam aliquando locum indicat, vel ex quo jam certe ſublatum fuerat ſacrum Viri Beatiſſimi illic honorandi Corpus, uti probat annotatio *VI. Id.* (Julii) .... *in Maximi, Silani ..... Hunc Silanum Martyrem Novati* (forſan *Novatiani*) *furati ſunt &c.*, vel quem conſtat diverſiſſimum eſſe a ſepultura, ut exemplo patet memoriae Sancti Cypriani. Porro nemo dubitat, ſepultum illum fuiſſe extra *Calliſti* Coemeterium. Attamen ſic memoratur in Kalendario XVIII. Kal. Octobris: *Cypriani Africae, Romae celebratur in Calliſti*. Quo reſpexiſſe exiſtimarim laudatum Ruinartium, ex hoc textu ita comprobantem uſum, quem aſſerimus: *Bucherianum* (Kalendarium) *ita Romanae Eccleſiae proprium fuit, ut, cum S. Cypriani nomen proferat, ſtatim ſubjiciat locum, ubi Romae ejus Feſtivitas celebraretur*, Romae celebratur in Calliſti. *Unde liquet, de iis tantummodo Martyribus in eo legi, quorum Feſtivitas in aliquibus Urbis Titulis, aut in Eccle-*

ecleſiis celebraretur; ita in cit. Praef. in Acta Martyrum §. 1. num. 17. pag. xv. Hoc autem uſu attento, quoties paulo diligentius lego verba, *III. Kal. Julii Petri in Catacumbas, & Pauli Oſtienſe, Tuſco & Baſſo Coſ.*, ſic ea intelligi debere vix dubito: *Die 29. Junii, Conſulibus Tuſco & Baſſo, Romae celebratur Depoſitio ſeu Feſtivitas S. Petri ad Catacumbas, S. Pauli ad Oſtienſe*. Feſtivitas, inquam, hoc eſt ſollemnis memoria toleratae (ut ſupra in noſtro Indic. n. 3. hujus Tab.) illa die Paſſionis a glorioſis Terrae Principibus,,.

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

56. CLAVUS ferreus Martyris, in Coemeterio repertus Sanctae Agnetis, de quo haec habet Aringhius Tom. II. *Romae Subter*. p. 688. *Alterum item heic ferreum clavum, quem in D. Agnetis Coemeterio Martyris capiti affixum adinveniri contigit, & nobis ab Illma Felice Rondanina Matrona piiſſima oblatum, tibi contemplandum offerimus. Clavum autem hunc, qui omnimodam uncini formam exhibet, ad torquendum & ad ſuſpendendum inſerviſſe aſſeri haud temere poteſt, de quibus forte Tertullianus locutus eſt, dum ait*: Cervices ponimus ante plumbum, & glutinum, & romphos, id eſt clavos. *Siquidem ad aliorum terrorem in publicis quandoque locis interfectorum capita appendebantur.*

Quid-

Quidquid autem ſit, Martyris certe capiti hunc affixum fuiſſe conſtat. De clavis, quibus Martyres confodiebantur, conſule Acta Sanctorum Marytrum Tarachi, Probi, & Andronici apud Ruinartium pag. 388., Sagittarium pag. 174., noſtrum Gallonium pag. 5. 163. & 188. lib. *de Sanctorum Martyrum Cruciatibus*, & Epiſtolam Nicolai Fontanae, in qua multa congeruntur de hujus martyrii genere. Ego vero, etſi poenale inſtrumentum, quod heic protuli ex Aringhio, clavi vocabulo appellari poſſe putem, tamen opinio illorum mihi videtur eſſe ad veritatem propenſior, qui UNCUM proprie dici oportere defendunt, quo Martyres ſuſpendebantur atque dilaniabantur. Arnobius lib. 2. *adverſus Gentes* pag. 45. edit. an. 1651. *Itane* (inquit) *illud non divinum & ſacrum eſt, aut ſine Deo, eorum tantas fieri animorum converſiones, vel cum carnificis unci, aliique innumeri cruciatus impendeant credituris?* Et Prudentius περὶ Στεφάνων Hymno V. pag. 96. an. 1625.

Laniatur uncis denuo.

Ac Hymno XI. pag. 140.

Inde furens quaeſitor, ait: Jam tortor ab unco

Deſine, ſi vana eſt quaeſtio, morte agito.

57. LUCERNA in Coemeteriis effoſſa, quam

quam exhibet noſter Aringhius Tom.I. *Rom. Subter*. pag. 517. Viſitur in ea arbor Palmae, circa quam quatuor columbae volant. Chriſtiani homines, qui pie ſančteque vivunt, *florebunt ſicut palma* in perpetuas aeternitates. Hujus ſymboli apud noſtros frequentiſſimus erat uſus etiam in vitris, in marmoribus, in picturis, ut conſtat ex Boſio, Severano, Boldetto, Bonarrotio, & aliis. Columbae, dicti nonnumquam Chriſtiani fuerunt, vel propter morum ſimplicitatem, quam, renati ex Spiritu, in baptiſmate induerunt, ut innuit S.Paulinus Epiſt. 32. num. 4. pag. 204.; vel quod Eccleſiae membra ſint, quae Columba dicitur a SS. Patribus Paciano Epiſcopo Barcinonenſi Epiſt. I. ad Simpronianum Tom. II. *Concil. Hiſpan.* Card. Aguirre pag. 80., & Auguſtino lib. 3. cap. 18. *de Baptiſ. contra Donat.* item lib. 5. cap. 16. & 21., ac *Tractatu 6. in Joannem* num. 3. & ſeqq. Vitis, cum racemis uvarum, quae ad oram hujus lucernae cernitur, Chriſtum ſignificat, qui ſe vitem veram eſſe dixit. Alias ſignificationes heic perſequi non eſt neceſſe; quoniam de vite, uviſque multa jam diſputavit idem Aringhius lib. 6. cap. 45. pag. 647. & ſeqq. Tomi II. *Romae Subterraneae*. Boldettus lib. 2. cap. 4. pag. 370. refert

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

ſert lapidem ſepulcralem, cui pariter inſculptae ſunt figurae racemi uvae, & columbae, quae palmam defert.

58. Aringhius *Romae Subterraneae* To. 2. pag. 405 ectypum exhibens hujus vitri, ait: *Vitrea Imago hiſce Imaginibus typis excepta eſt, quae in ſuperiori parte Beatos Apoſtolos Petrum & Paulum contemplandos, & quidem Beatum Petrum ad dexteram S. Pauli conſiſtentem, Euangeliorum autem volumen, quod Orbi annunciarunt, ſupernis reſperſum radiis exhibet: a Deo enim illud, non ab homine, ut Apoſtolus ait, Orbi promulgandum accepere. In inferiori vero parte duos pariter Beatos Martyres, Juſtum videlicet, & Timotheum, intermedium autem Sacroſanctum Chriſti nomen Graecis duabus literis expreſſum contemplandum praeſefert. Corpora autem eorumdem Beatorum Martyrum haud procul a loco, ubi eorum imagines pia Chriſtianorum manus expreſſit, forte olim extitiſſe exiſtimandum eſt.* Huic vitro, a nobis ex Aringhio relato, (cujus fit etiam a Fabretto mentio *Inſcript. Domeſt.* cap. 8. pag. 593.), omnino ſimile apud Illuſtriſſimum Praeſulem Joannem Lercarium adſervatur. Petro & Paulo in parte ſuperiore locatis, imminet diadema, indicium coronae, quam glorio-

ſo

ſo Martyrio ſunt conſequuti. In medio eſt volumen, quod unum Euangelium, ut Bonarrotius cenſet pag. 72., aut Canonicas Epiſtolas ab utroque Eccleſiae traditas, indicat. In inferiore parte dexter eſt SUSTUS, ſiniſter DAMAS, medium vero Monogram. Chriſti ☧. His duabus poſtremis figuris alii Juſtum, alii Suſtum Martyrem, & Damaſum Pontificem Summum demonſtrari exiſtimant: ego vero Syſtum II. & Damam. De Syſto II. vide quae data opera ſcripſimus ſupra nu. 24. hujus Tabulae: de Dama vero, qui item Romae Martyrium videtur conſummaſſe, quoniam in antiquis Martyrologiis nulla extat memoria, nihil heic ſtatuendum duco. S. Ignatius Martyr in Epiſtola ad Magneſianos relata ab Euſebio *Hiſt. Eccl.* lib. 3. cap. 36, Damam quemdam SSmum Epiſcopum memorat, eumque aſſerit *dignum eſſe Deo*. DAMAS quidem Graecum nomen videtur eſſe, ſed occurrit non ſemel etiam in Latinis Inſcriptionibus. Vide Gruterum p. 807. num. 10. & 991. num. 13., & alios veterum marmorum Collectores, quorum profert exempla Cl. Bonarrotius in lib. *Oſſervazioni ſopra alcuni frammenti di vaſi antichi di vetro* Tab. xix. fig. 3. Ego, qui antiquitates omnes harumce Tabularum pro viribus illuſtrare ſtatui, cum in

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

hoc vitrum, quod eſt maximi faciendum, deveniſſem, non quod Viros Doctos, qui ante me illud interpretati eſſent, non facerem, ut debebam, plurimi; ſed quod ita poſceret ratio Indiculi mei, in illam abire ſententiam minime judicavi, quam Doctiſſimus Bonarrotius videtur conſectari in memorato Libro *delle Oſſervazioni ſopra alcuni frammenti di vaſi antichi di vetro*. Scribit enim Tab. XIX. figura 3. *Se ſi voleſſe credere, come ragion perſuade, mutazione dell'* H *Greco in* A, *ſecondo il genio del dialetto Dorico, avremmo il Demas compagno nelle fatiche Apoſtoliche di S. Paolo, di cui egli fa più d'una volta ricordanza, ſpecialmente nella lettera a Filemone; ed un' altro Demas ſi trova inſerito nei Catalogi de' Settantadue Diſcepoli da me altre volte citati: anzi in quello, preſo dalla Cronica Aleſſandrina, vi è due volte queſto nome, e al ſecondo ſi nota eſſer lo ſteſſo, che è nominato da San Paolo nella predetta Epiſtola a Filemone*. Spero enim fore, ut a nemine reprehendar, ſi dicam, ex dialecto Dorica mutatum non fuiſſe Graecum H in A, ſcriptumque DAMAS, pro DEMAS, in noſtro vitro. Celebris quidem eſt in *Hiſtoria Eccl.* Demas Theſſalonicenſis, Apoſtolo Paulo primum addictiſſimus, cujus opera Romae utiliter ute-

utebatur. Eum enim non ſolum in Epiſtola ad Coloſſenſes cap. 4. verſ. 14., ſed etiam in illis, quas ad Timotheum, & Philemonem ſcribit, cum Luca conjungit, qui pariter cum Apoſtolo Romam profectus eſt. Sed Demas iſte poſt aliquot annos turpiter a Paulo receſſit, & Theſſalonicam, cujas erat, repetiit. Credunt quidam, Demam poſt apoſtaſiam, de qua in ſecunda ad Timotheum Epiſtola lamentabile extat teſtimonium, iterum rediiſſe ad Apoſtolum, eique in vinculis poſito operam ſuam praeſtitiſſe. Sed extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, alteram ad Timotheum Epiſtolam, in qua de Demae apoſtatica deſertione ſermo eſt, poſt illam ad Coloſſenſes fuiſſe ſcriptam: ideoque Cl. Bonarrotii ſententia defendi jure meritoque non poteſt. P. Calmetus in *Commen. Lit.* in eandem Epiſt. II. S. Pauli ad Timotheum cap. 4. v. 9. ad illa Apoſtoli verba: *Demas enim me reliquit, diligens hoc ſaeculum, & abiit Theſſalonicam*, habet: *hic idem eſt Demas, qui Romae erat cum S. Paulo poſt primum ejus iter ſuſceptum anno 61. vel 62, & cujus meminit in Epiſtolis ad Coloſſenſes IV. 14. & Philemonem verſu 24. Ille in poſtremo hoc itinere ſeſe pervertit, atque magiſtrum in periculo poſitum reliquit: utrum vero reliquerit fidem, an Deus*

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

Deus illi gratiam conceſſerit, ut reſipiſceret, & ex lapſu reſurgeret; an amor ſaeculi, quem illi exprobrat Apoſtolus, leve ſit erratum, & ex mera infirmitate profectum, non ſatis innoteſcit. Credit S. Epiphanius Haereſi 51. *illum deſciviſſe a fide, atque tranſiiſſe in Haereſim Cerinthi, Ebionis, atque aliorum, qui Jeſum Chriſtum ſimplicem hominem eſſe arbitrabantur. Dorotheus in Synopſi refert, illum Theſſalonicam reverſum, Idolorum Sacerdotem factum fuiſſe. Recentiores vero nonnulli (Grotius nempe, Eſtius, Menochius, & Cornelius) e contra putant, illum cum S. Paulo rediiſſe. Eſtius vero arbitratur, hunc eundem eſſe Demam, de quo verba facit S. Ignatius ad Magneſianos, & quem* Epiſcopum Deo dignum *appellat. Verùm haec omnia innituntur fallaci ſuppoſito, quod Epiſtola II. ad Timotheum ſcripta fuerit cum primum Sanctus Paulus Romae in vinculis eſſet, vel ſaltem ante Epiſtolas ad Coloſſenſes, & Philemonem.*

59. Vitrum Coemeteriale, cum iconibus SIMONIS, DAMAE, PETRI, & FLORI editum a Bonarrotio Tab. XIX. figura 3 Libri, cui titulus eſt, *Oſſervazioni ſopra alcuni frammenti di vaſi antichi di vetro*. Huic fere ſimile extat apud Boldettum pag. 201. figu-

figura 18 in Romanis item Arenariis effoſſum, in quo viſuntur SIMON, PHILIPPUS, DAMAS, & PETRUS. De Damaſo multa diximus ſupra num. 58. Sunt, qui credunt, Simonem, & Philippum Hieroſolymorum Epiſcopos in utroque vitro exhiberi. Simon (ſeu Simeon) Cleopae filius ſub Trajano Martyrium conſummavit, teſte Hegeſippo apud Euſebium lib. 3. *Hiſt. Eccl.* capit. 32. qui ait: *ex haereticorum numero* (loquitur de Sadducaeis, Phariſaeiſque, qui idcirco haeretici dicuntur, quod diviſiones, ſectaſque apud Judaeos facerent) *quidam Simeonem Cleopae detulerunt, quod de ſtirpe Davidis oriundus, & Chriſtianus eſſet. Atque ita Simeon, cum annos centum ac viginti natus eſſet, Martyrium ſubiit ſub Principatu Trajani Auguſti, Attico Conſulari Legato Syriam adminiſtrante.* Vide eundem Euſebium ibidem cap. 35. Simeone Sadducaeorum, atque Phariſaeorum ſcelere ſublato, ſequuti deinde ſunt in Eccleſiae Hieroſolymitanae adminiſtratione Judas cognomento Juſtus, Zacchaeus, Tobias, Beniaminus, Joannes, Matthias, PHILIPPUS, aliique, quorum nomina recenſet item Euſebius lib. IV. cap. 5. Verum haec momenta rationum, quibus permoti, de Simone, & Philippo in no-

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

noſtris vitris expreſſis ſic eſſe ſtatuendum putant, nullius prorſus ſunt ponderis: neque ego aſſequi poſſum, cur potius Hieroſolymitanis Epiſcopis, quam Romanis Martyribus annumerandi ſint hi, qui una cum Dama, Petro, & Floro commemorantur. Certe numquam inducam animum ut credam, extra Urbem, innumeris Martyribus decoratam, quaerendam eſſe memoriam illorum, quorum nomina perleguntur in Coemeteriis Suburbanis. „ Frequentior apud omnes (inquit eruditiſſimus Mamachius *Originum, & Antiquitatum Chriſtianarum* Tom. III. lib. 3. pag. 84), praecipueque apud Romanos, uſus pingendarum, ſculpendarumque SS. Petri & Pauli imaginum fuit; propterea quod ille Princeps ab Jeſu Servatore eſſet dictus Apoſtolorum, & in alias Civitates permultas, ac potiſſimum Romam importaſſet doctrinam, in eademque Urbe Eccleſiam conſtituiſſet; hic vero Doctor Gentium, & vas electionis ab ipſo Chriſto vocatus, peragratis tot Regionibus, quot ſunt a Luca in Actis Apoſtolicis numeratae, Romam perinde veniſſet, magnumque retuliſſet laborum, & incommodorum fructum, tandemque ita, ut Petro contigerat, Martyr, cum Nero in noſtros homines ſaeviret, deceſſiſſet. Ad Martyres

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

tyres quod attinet, nullum dubium eſt, quin idcirco pingi in Coemeteriis ſolerent, ut qui eorum imagines intuerentur, habere ſe Heroas in gloria ſempiterna intelligerent, quorum facta non ſolum admirarentur, ſed etiam, dum tempus moneret, imitarentur. Eſt vero hoc loco diligenter animadvertendum, in Arenariis Urbis, in quas olim Chriſtiani, declinaturi periculum, perfugiebant, vix alicujus, qui uſquam alibi Martyr obierit, perſaepe autem Martyrum Romanorum, effigies occurrere ſolere. Nam erat id Civitatibus quibuſque commune, ut ſuos quaeque praecipue Martyres veneraretur, civibuſque ad imitandum proponeret. Igitur SS. Laurentii, Agnetis, Juſti, Damae, Simonis, Petri, Flori &c. in picturis, vitriſque perſaepe videmus imagines; Cypriani autem, Vincentii Diaconi, aliorumque exterorum perraro „. Huc uſque laudatus Mamachius. Cui tantum non aſſentior, ubi de Dama loquens, in notis pag. 87. num. 3. haec literis conſignavit „. De Damas conſulendus Aringhius Tom. II. *Romae Subterraneae* p. 405. (qui pag. 404. e Dama, Timotheum facit, neſcio quo errore). Contra Bonarrotius Damam vocat: at qui ſit, quaeritat. Initio ſuſpicatur, antiquum aliquem Martyrem Ro-

 Da-

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

manum eſſe, cujus memoria interciderit. Damam inde fuiſſe initio ſecundi Saeculi Epiſcopum Magneſiorum addit, ut ex initio Epiſtolae Ignatii ad ejus Urbis Chriſtianos conſtat. Poſt, immutatum fuiſſe H in A putat, atque e Δάμα factum Δημᾶν Pauli Apoſtoli diſcipulum, cujus fit in Epiſtola ad Philemonem mentio. Multos denique vixiſſe olim Ethnicos, quibus id eſſet nomen; quae res Inſcriptionum quarundam, quas refert pag. 136. & ſeqq., auctoritate liquet. Mihi ea ſententia videtur ad veritatem propenſior, quae Demam auditorem Pauli, qui Romae cum eodem Apoſtolo verſatus eſt, hunc ipſum eſſe, quem vitra exhibent, ſtatuit. Nam Timothei quoque imago in vitris (*ut in ſequenti noſtrae Tab. ſignato num.* 50.) picta interdum cernitur(apudAringhium ibidem), quem ſcimus uſum Paulo fuiſſe inſtitutore. Haec ſi vera eſt opinio, Martyrem deceſſiſſe Demam oportet. Nam eſt ſaepe indicium Martyrii corona, ſeu diadema, expreſſum in vitro apud Bonarrotium Tab. XIX. fig. 3 „. Haec eſt Cl. Mamachii ſententia. Vide tamen, quae ego ſcripſi numero ſuperiori de *Dema*, primum Diſcipulo Pauli bene morato, ſed deinde in Apoſtaſiam lapſo, a qua an reſipuerit, & gratiam ac ſalutem conſequutus

ſit,

ſit, certe non liquet. Imo contrarium evinci videtur ex SS. Patribus; quorum, cum in interpretandis Scripturis, tum in hoc genere traditionum ſingularem eſſe conſtat auctoritatem. Ac ſi magis aliquibus hoc arrideat, ne minus illud quidem, quod eſt a nobis de Simone dictum in hac Tabula nu. 5, perſuaderi cuiquam diligenti & perito antiquitatis viro poteſt. In hoc enim Vitro, quod illuſtro, cum Simon & Petrus juvenes exprimantur, ad concludendam ſententiam optimo jure dici poteſt neutros, florente juventa, eſſe in Apoſtolis numerandos, quos aetate grandaeva in aliis omnibus monumentis effingere veneranda antiquitas conſuevit.

60. Vitrum Coemeteriale, in quo ſedentes viſuntur SUSTUS, & TIMOTEUS. Chriſtus ſuperne ſtans, utrique Martyri gloriae coronam imponit. Erunt fortaſſe, qui JUSTUM heic legendum exiſtiment, & de illo Pauli diſcipulo, cujus Apoſtolus meminit in Epiſt. ad Coloſ. cap. 4. v. 11. intelligendum putent. Sed de hoc argumento jam fuſo calamo egi in Indiculo hujus Tab. num. 24., ad quem Lectores meos ire volo. De Timotheo quoque, in noſtro vitro expreſſo, literis mandavi ibidem, in qua ſim ego ſententia. Qui Martyrem quemdam Romanum fuiſſe cre-

 dunt,

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

dunt, ad proximum volumen forte non reſpexerunt, de quo conſulendus Doctiſſimus Bonarrotius pag. 82. & ſeqq., item pag. 100. & ſeqq., ubi agit de Cathedris, & Sedibus Epiſcopalibus remotiſſimae antiquitatis.

61.) Doctiſſimus Pater Domnus Theo-
62.) dericus RuinartiusMonachusBene-
63.) dictinus e Congregatio ne S. Mauri
64.) venerandæ ac purioris antiquitatis
65.) ſtudio incenſus, concinnavit Opus
66.) egregium, ac cedro dignum, cui

fecit Titulum, *Acta Primorum Martyrum ſincera & ſelecta*; atque in ejus Praefatione Vir incredibilis eruditionis, laboris, & diligentiae haec inter cetera literis conſignavit pag. XI. ,, Viſum eſt, operae pretium eſſe, ut ſincera Martyrum Acta a falſis, aut dubiis ſejuncta, in unum faſciculum colligerentur. Id optabant Viri plerique, cum eruditione, tum pietate conſpicui, meque ad id operis aggrediendum hortati ſunt: atque, ut omnes excuſationum vias praecluderent, mihi cunctanti, ac repugnanti, operam polliciti ſuam, animos addiderunt. Unde, licet tenuitatis meae conſcius, diu ab hoc opere ſuſcipiendo deterritus fuerim, ceſſi tandem; ratus, etſi tanto molimini imparem me ſentirem, amicorum tamen auxilio utcumque a

me

me confici poſſe, quod optabant. Hunc itaque laborem in me ſuſcepi, collectiſque primum, quae in libris editis paſſim occurrerunt, Martyrum Actis, Codices etiam Mſs. conſulere viſum eſt; ut, ſi qua forte ejuſmodi monumenta in iis laterent, eruerentur; aut ſaltem iſtorum Codicum ope, Acta jam edita, primae & genuinae reſtituerentur puritati. Qua de re, luſtratis primum ditiſſimis, quae certe in hac Pariſiorum Urbe frequentes ſunt, Bibliothecis, alias etiam, quae in aliis Urbibus & locis habentur, quantum pro meae profeſſionis ſtatu licuit, inviſi; ac tandem ad noſtros ſodales, alioſque amicos ſcripſi, ut, ſi qui eſſent in Monaſteriis, aut Urbibus, ubi degunt, veteres codices, diligenter ſcrutarentur, ſicubi forte aliqua occurrerent, quae operi a me ſuſcepto eſſent profutura. Qua ſane in re habere mihi videor quod mihi gratuler, non ſolum ob diligentem ab amicis navatam operam, ſed etiam ob ipſius operae felicem ſucceſſum. Sic enim res ex animi ſententia ceſſit, ut, praeter aliquot Martyrum Acta, quae nondum lucem aſpexerant, nunc primum e tenebris eruta, vix unum aut alterum ex his ſacris monumentis habeatur, quod ad aliquem antiquum Codicem, ſaepius etiam ad plures, collatum & emen-

& emendatum non fuerit. Porro, etſi nihil omiſerim, ut, quantum in me fuit, haec Actorum Collectio accurata atque numeris omnibus abſoluta redderetur; non ita tamen rem me confeciſſe exiſtimo, ut nulla penitus, praeter ea, quae heic exhibemus, ſincera Martyrum Acta reperiri poſſe exiſtimem. Nec etiam animus eſt, ea omnia inter ſpuria rejicere, quae heic non habentur: quin, etſi aliquis nonnulla ex iis, quae a me forte rejecta ſunt, ſincera judicaverit, non refragabor; modo id argumentis certis probare queat: alias unuſquiſque in ſuo ſenſu abundet. Ego ea, quae mihi ſinceriora viſa ſunt, conſultis etiam Viris doctis, & in ejuſmodi ſacris monumentis diſcutiendis verſatiſſimis, edenda ſelegi: de ceteris ſuum unicuique liberum relinquens judicium.

Index Actorum, Passionum &c. quae in laterculis nostrae Tabulae Tertiae Saeculi Primi exhibentur sub numeris *61. 62. 63. 64. 65.* et *66*, ab eodem Cl. P. Domno Theoderico Ruinartio praefixus Actis primorum Martyrum sinceris et selectis, quae ex libris cum editis, tum manuscriptis ipse collegit, eruit, vel emendavit, notisque, et observationibus illustravit.

(*Anno*

(*Anno Chriſti 61. vel 62. ſub Nerone.*) Martyrium Sancti Jacobi primi Hieroſolymorum Epiſcopi. *Ex Hegeſippo apud Euſebium lib. 2. Hiſtor. Eccleſ. capit. 23. edit. Valeſianae.*

(*Anno circ. 104. ſub Trajano.*) Martyrium Sancti Simeonis Epiſcopi Hieroſolymitani. *Ex Hegeſippo apud Euſebium lib. 3. Hiſt. Eccl. cap. 32.*

(*Anno* 107.) Acta Sancti Ignatii Epiſcopi Antiocheni & Martyris. *Ex Editione Jacobi Uſſerii Armachani.*

Ejuſdem Sancti Martyris Acta genuina, cum ipſius Epiſtola ad Romanos a Cl. Ruinartio primum Graece edita cum nova verſione Latina. *Ex Cod. mſ. Bibliothecae Colbertinae.*

(*Anno* 120. *ſub Hadriano.*) Paſſio SS. Symphoroſae, & ſeptem Filiorum ejus. *Ex variis edit. & 2. Codd. mſ. uno Colbertino, & altero Sorbonico.*

(*Anno* 150. *ſub Antonino Pio.*) Paſſio SS. Felicitatis, & ſeptem Filiorum ejus. *Ex Codd. mſ. tribus Bibliothecae Regiae, quinque Colbertinis. Sorbonico* 1. *Abbatiae S. Genovefae Pariſienſis* 1. *S. Mauri Foſſatenſis* 1. *S. Cornelii Compendienſis* 1. *RR. PP. Fulien-*

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

lienſium Pariſienſium 1. *& S. Germani a Pratis* 4. *cum edit. Surii & Ughelli collata.*

(*Anno* 166. *ſub Marco Aurelio.*) Epiſtola Eccleſiae Smyrnenſis de Martyrio Sancti Polycarpi Epiſcopi. *Ex* 2. *Codd. Mſs. Colbertino* 1. *& altero Sancti Petri Pratellenſis, cum edit. Uſſerii Armachani, Euſebiana, &c. collata.*

(*Anno circ.* 166.) Martyrium Sanctorum Ptolemaei, Lucii, & alterius Anonymi. *Ex Apologia S. Juſtini Martyris, apud Euſeb. Hiſt. Eccl. lib.* 4. *cap.* 17.

(*Anno circ.* 167.) Acta Sancti Juſtini Philoſophi, & Sociorum ejus Martyrum. *Ex Surio, & aliis editis.*

(*Anno* 177.) Epiſtola Eccleſiarum Viennenſis, & Lugdunenſis, de Martyrio Sancti Pothini Epiſcopi, & aliorum plurimorum. *Ex Euſebii Hiſtoria Eccleſ. lib.* 5. *cap.* 1. *& ſeqq.*

(*Anno* 202. *ſub Severo.*) De Sancto Irenaeo Epiſcopo Lugdunenſi & Martyre.

(*Anno circ.* 178.) Paſſio SS. Alexandri, & Epipodii Martyrum Lugdunenſium. *Ex* 2. *Codd. Mſs. uno Colbertino, altero Archimonaſterii S. Remigii Remenſis, collata cum edit. Suriana, & Bollandiana.*

(*Anno circ.* 180.) Acta Sancti Symphoriani Mar-

Martyris. *Ex* 2. *Codd. mſs.* 1. *Monaſterii S. Petri Conchenſis in Diœceſi Ebroicenſi, altero Sancti Germani a Pratis, collata ad alios Codd. mſs. Cœnobii Ciſtercienſis* 1. *Sancti Cornelii Compendienſis* 1. *S. Mauri Foſſatenſis* 1. *Sorbonicum* 1. *Cl. Viri Boberii in ſupremo Senatu Divionenſi Praeſidis duos, S. Germani a Pratis* 3. *& alios complures, ſed interpolatos.*

(*Anno Chriſti circ.* 185. *ſub Commodo.*) De S. Apollonio Martyre.

(*Anno* 200. *ſub Severo.*) Acta Proconſularia Martyrum Scillitanorum. *Ex Baronio ad annum* 202.

Acta eorumdem Martyrum. *Ex Cod. mſs. Bibliothecae Colbertinae.*

Fragmentum de iiſdem Martyribus, *ex Cod. ms. Monaſterii Augienſis, a D. F. Mabillon editum.*

(*Anno* 203. *vel* 204.) Paſſio SS. Perpetuae & Felicitatis, cum Sociis earum, *ex* 2. *Codd. mſs. uno Eccleſiae Salisburgenſis, & altero S. Cornelii Compendienſis, collata ad edit. Lucae Holſtenii.*

(*Anno* 202. *& circ.* 210.) Martyrium Sanctorum Leonidis, Plutarchi, & aliorum plurimorum Martyrum Alexandrinorum.

Cccccccc *Ex*

Digitized by Google

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

Ex Euſebio lib. 6. Hiſtoriae Eccleſ. cap. 1. & ſeqq.

Martyrium S. Potamianae Virginis Alexandrinae. *Ex Hiſtoria Lauſiaca Palladii cap. 3.*

(*Anno* 249. & 250. *ſub Philippis, tum ſub Decio.*) Epiſtola S. Dionyſii Alexandrini Epiſcopi ad Fabium Antiochenum Epiſcopum, de Martyrio SS. Metrae, Apolloniae, & aliorum plurimorum Martyrum Alexandrinorum. *Apud Euſebium lib. 6. Hiſt. Eccl. cap. 41. & 42.*

(........*forte ſub Decio.*) Acta S. Saturnini Epiſcopi Toloſani & Martyris. *Ex Codd. mſſ. S. Mauri Foſſatenſis 1. Bibliothecae Colbertinae 1. Sorbonicae 1. S. Germani a Pratis 2. Monaſterii Conchenſis 1. Monaſterii Floriacenſis 1. S. Mariani Antiſiodorenſis Ord. Praemonſtratenſis 1. &c.*

(*Sub Decio.*) De S. Alexandro Epiſcopo Hieroſolymitano & Martyre.

(*Anno* 250.) Paſſio SS. Pionii & Sociorum ejus Martyrum. *Ex 4. Codd. mſſ. ſcilicet Bibliothecae Colbertinae 2. Principalis Monaſterii Einſidlenſis ſeu B. Mariae de Eremo Ordinis Benedictini in Helvetia 1. & 1. Illuſtriſſimi Abbatis de Noaliis.*

(*Anno* 251.) Acta diſputationis S. Achatii Epi-

Epiſcopi & Martyris, *ex Cod. ms. Illuſtriſs. Abbatis de Noaliis, cum Mombritio, & Bollando collata.*

Acta S. Maximi Martyris. *Ex Codd. mſt. Bibliothecae Colbertinae 4. S. Germani a Patris 3. S. Remigii Remenſis 1. RR. PP. Coeleſtinorum Pariſienſium 1. Monaſterii Silvae-Majoris Ord. Benedictini in Dioeceſi Burdigalenſi 1. Monaſterii S. Michaelis in Periculo-maris ejuſdem Ordinis 1. & editis.*

Acta Sanctorum Martyrum Petri, Andreae, Pauli, & Dionyſiae Virginis. *Ex Codd. mſt. Eccleſiae Metropolitanae Remenſis 1. Bibliothecae Colbertinae 3. S. Germani a Pratis 3. Illuſtriſs. Abbatis de Noaliis 1. S. Remigii Remenſis 1. RR. PP. Coeleſtinorum Pariſ. 1. Archicoenobii Ciſtercienſis 1. Monaſterii Longipontis Ord. Ciſtercienſis in Dioec. Sueſſionenſi 1. Monaſt. Urſicampi in Dioeceſi Noviomenſi ejuſdem Ord. 1. & editione Bollandiana.*

Acta SS. Luciani, & Marciani Martyrum. *Ex 2. Codd. mſt. 1. Bibliothecae Colbertinae, & altero Monaſterii Silvae-Majoris, & Mombritio.*

(*Anno Chriſti circ. 252. ſ. ſub Gallo.*) Hymnus Aurelii Clementis Prudentii de

Martyrio S.Hippolyti PresbyteriRomani, *ex editis*, *ad Cod. ms. S. Michaelis in Periculo-Maris collatus*.

De Sancto Dionyſio Epiſcopo Alexandrino. (*Anno* 258. *ſub Valeriano & Gallieno*.) Hymnus Aurelii Prudentii de Martyrio S. Laurentii, *ex editis*, *ad Cod. ms. S. Michaelis in Periculo-Maris collatus*.

Excerpta ex lib. 1. Officiorum S. Ambroſii de eodem S. Laurentio.

Vita & Paſſio S. Caecilii Cypriani Epiſcopi Carthaginenſis & Martyris, ſcripta per Pontium ejus Diaconum, *ex* 2. *Codd. mſs. uno S. Mauri Foſſatenſis, & altero S. Benedicti Floriacenſis, & editione Oxonienſi ad* 4. *Codd. mſs. exacta*.

Acta Proconſularia ejuſdem. *Ex editis & Mſs. Bibliothecae Regiae* 1. *Colbertinae* 2. *S. Mauri Foſſatenſis* 1. *S. Genovefae Pariſienſis* 1. *Monaſterii S. Petri de Conchis* 1. *Monaſterii Longipontis* 1. *S. Germani a Pratis* 3. *Illuſtr. Praeſidis Boherii* 1. *& aliis multis, ſed ut plurimum interpolatis*.

(*Anno* 259.) Acta Sanctorum Martyrum Fructuoſi Epiſcopi, Augurii, & Eulogii Diaconorum. *Ex compluribus Codd. Mſs. Colbertinis* 3. *S. Germani a Pratis* 2. *S. Cornelii Compendienſis* 1. *S. Benedicti Floriacenſis*

ſis 1. *RR.PP.Coeleſtinorum Pariſienſium* 1. *RR.PP.Fulienſium Pariſienſium* 1. *Illuſtr. Viri Boberii* 2. *S. Mariani Antiſiodorenſis* 1. *& aliis, cum editis collata.*

Paſſio Sanctorum Jacobi, Mariani, & aliorum plurimorum Martyrum in Numidia. *Ex Surio, Baronio, & Aprili Bollandiano.*

Variae lectiones ex Cod. ms. S. Remigii Remenſis habentur.

Paſſio Sanctorum Montani, Lucii, & aliorum Martyrum Africanorum. *Ex Cod. ms. Illuſtr. Abbatis de Noaliis, cum editis collata.*

Variae lectiones ex Cod. ms. Remigiano.

(*Anno circ.* 260.) Certamen Sancti magnique Martyris Nicephori, & contra injuriarum memoriam, Graece & Latine. *Graece nunc primum prodiit opera Ruinartii ex* 2. *Codd. mſs. uno ſcilicet Bibliothecae Regiae, altero Bibliothecae Colbertinae. Latine vero ex* 3. *item mſs. Codd. uno Bibliothecae Regiae, altero S. Germani a Pratis, & tertio ex Bibliotheca Chriſtinae, Sueciae Reginae in Appendice Februarii Bollandiani.*

De SS. Martyribus Priſco, Malcho, & Alexandro.

Mara

INDICULUS TABULAE III. SAECULI I.

Martyrium S. Cyrilli pueri. *Ex Tom. 7. Maji Bollandiani.*

Carmina duo S. Paulini Epiſcopi Nolani, de vita & confeſſione S. Felicis. *Ex nova ejus Operum editione Poema* 15. *&* 16.

(*Anno circ.* 262. *ſub Gallieno.*) Martyrium Sancti Marini Militis. *Ex Euſebii Hiſt. Eccl. lib.* 7. *cap.* 15.

(*Anno circ.* 274. *ſub Aureliano.*) De Sancto Mamante Martyre.

(*Anno* 285. *ſub Diocletiano.*) Acta Sanctorum Claudii, Aſterii, &c. Martyrum. *Ex* 4. *Codd. mſs. ſcilicet S. Germani a Pratis* 1. *Sanctae Genovefae Pariſienſis* 1. *Monaſterii Corbejenſis* 1. *&* *RR. PP. Carmelitarum Excalceatorum Pariſienſium* 1.

(*Anno* 286.) Paſſio Sancti Geneſii ex Mimo Martyris. *Ex* 5. *Codd. mſs. Bibliothecae Colbertinae* 1. *S. Germani a Pratis* 1. *RR. PP. Carmelitarum Excalceatorum Pariſ.* 1. *Monaſt. Ciſtercii* 1. *Illuſtr. Boberii* 1.

(*Anno Chriſti* 286. *ſub Diocletiano, & Maximiano Herculeo.*) Paſſio SS. Mauricii, ac Sociorum ejus Martyrum, auctore S. Eucherio Epiſcopo Lugdunenſi. *Ex Paulino illuſtrato Chifſletii, & variis Codd. mſs. Bibliothecae Regiae* 1. *S. Mauri Foſſatenſis* 1. *Sorbonae* 1. *S. Germani a Pra-*

Digitized by Google

Pratis 1. *S. Benedicti Floriacenſis* 1. *&c.*

Paſſio SS. Rogatiani, & Donatiani Martyrum. *Ex Codd. mſs. Sancti Germani a Pratis* 1. *Sancti Cornelii Compendienſis* 1. *Monaſterii Longipontis* 1. *Urſicampi* 1. *Monaſterii Floriacenſis* 1. *S. Germani Antiſiodorenſis* 1. *RR. PP. Carmelitarum Excalceatorum Pariſienſium* 1. *&c.*

(*Anno circ.* 290.) Paſſio SS. Victoris, Alexandri, Feliciani, atque Longini Martyrum. *Ex Codd. mſs. S. Germani à Pratis* 1. *RR. PP. Coeleſtinorum Pariſienſium* 1. *Monaſterii Longipontis* 1. *& Cl. Viri Boberii* 1.

(*Anno* 295.) Acta S. Maximiliani Martyris. *Ex Cod. ms. S. Michaelis in Periculo-Maris*, *& Tom.* 4. *Analectorum Mabillonianorum*.

(*Anno* 298.) Acta S. Marcelli Centurionis, & Martyris. *Ex Codd. mſs. Bibliothecae Colbertinae* 1. *& altera Monaſterii Silvae-Majoris*, *cum editis collata*.

Paſſio S. Caſſiani Martyris Tingitani. *Ex Cod. ms. Bibliothecae Colbertinae*.

(*Anno* 303. *ſub Diocletiano & Herculeo Imperatoribus*, *Conſtantio Chloro*, *& Galerio Maximiano Caeſaribus*.) Euſebii Caeſarienſis Epiſcopi deſcriptio Perſecutionis a Dio-

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

a Diocletiano, & Maximiano excitatae. *Ex lib. 8. Hiſt. Eccl.*

Ejuſdem Euſebii libellus de Martyribus Palaeſtinae.

Paſſio S. Theodoti Ancyrani, & ſeptem Virginum Martyrum. Auctore Nilo teſte oculato. *Ex Tom. 4. Maji Bollandiani.*

Paſsio S. Procopii Martyris. *Ex Codd. mſs. S. Germani a Pratis 1. Bibliothecae Corbejenſis 1. & Bibliothecae Colbertinae 1. cum Valeſii editione collata.*

Acta S. Felicis Epiſcopi Africani. *Ex veteri editione Suriana, collata ad editiones Mombritii, Baronii, Cotelerii, Baluzii, & Acherii, atque ad mſs. Codd. Urſicampi 1. S. Cornelii Compendienſis 1. S. Victoris Pariſienſis 1. RR. PP. Coeleſtinorum Pariſienſium 1. S. Mariani Antiſiodorenſis 1.*

Martyrium S. Romani. *Ex Euſebio Caeſarienſi lib. 2. de Reſurrectione &c.*

Martyrium Infantis, qui cum S. Romano paſſus eſt. Ex hymno X. Περὶ στεφάνων Prudentii.

(*Anno* 304.) Paſsio S. Vincentii Levitae, & Martyris. *Ex editis & Codd. mſs. Bibliothecae Colbertinae 3. S. Germani a Pratis 7. Illuſtriſs. Abbatis de Noaliis 2. Monaſterii Fiſcamnenſis 1. S. Remigii Remenſis 1. S. Benigni Divionenſis 2. Monaſterii*

ſterii Claraevallenſis 1. *Illuſtr. Boherii* 2. *Monaſt. S. Petri Pratel.* 1. *S. Mariani Antiſiodor.* 1. *Monaſt. B. Mariae Calenſis* 1. *RR. PP. Coeleſtinorum Pariſienſium* 1. *RR. PP. Carmelitarum Excalceatorum Pariſien.* 2. *Monaſterii S. Mariae Moſomenſis* 1. *&c.*

De S. Sotere Virgine & Martyre.

Acta Sanctorum Saturnini, Dativi, & aliorum plurimorum Martyrum in Africa. *Ex Codd. mſs. S. Cornelii Compendienſis* 1. *Monaſterii B. Petri de Pratellis* 1. *S. Benedicti Floriacenſis* 1. *RR. PP. Coeleſtinorum Pariſienſium* 1. *RR. PP. Fulienſium Pariſienſium* 1. *& editionibus Baluziana, & Bollandiana inter ſe collatis.*

Acta SS. Agapes, Chioniae, Irenes, &c. Martyrum. *Ex Surio, & Baronio.*

Acta SS. Didymi, & Theodorae Virginis, Martyrum. *Ex Aprili Bollandiano.*

Paſsio S. Irenaei Epiſcopi Sirmienſis. *Ex Codd. mſs. S. Remigii Remenſis* 1. *S. Cornelii Compendienſis* 1. *S. Michaelis in Periculo-Maris* 1. *Bibliothecae Colbertinae* 1. *Monaſterii Urſicampi* 1. *& RR. PP. Fulienſium Pariſienſium* 1. *cum edit. Bollandiana collatis.*

Paſsio SS. Pollionis, & aliorum Martyrum. *Ex Aprili Bollandiano.*

Digitized by Google

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

Paſsio S. Eupli Diaconi. *Ex edit. Mombritii, Surii, & Baronii, collata ad editionem Graecam Cotelerii, & mſs. Codd. Bibliothecae Colbertinae* 1. *& RR. PP. Congreg. Oratorii Vallicellae Romae* 1.

Ejuſdem ſecunda confeſſio. *Ex* 2. *Codd. mſs. laudatis.*

Paſſio S. Philippi Epiſcopi Heracleae. *Ex Cod. ms. Bibliothecae Corbejenſis, & Tomo IV. Analectorum D. Johannis Mabillonii.*

Acta SS. Tarachi, Probi, & Andronici Martyrum, a Cl. Ruinartio Graece primum integra edita *ex Cod. ms. Bibliothecae Colbertinae*; *Latinae vero ex Codd. mſs. Bibliothecae Colbertinae* 4. *S. Remigii Remenſis* 1. *S. Cornelii Compendienſis* 1. *Urſicampi* 1. *&c. cum editis collata.*

Acta S. Criſpinae Martyris. *Ex* 2. *Codd. mſs. S. Theoderici prope Remos.*

Aurelii Prudentii hymnus de Martyrio Sanctae Eulaliae Virg. & Mart. Emeritenſis. *Ex editis ad Cod. mſs. S. Michaelis in Periculo-Maris collatus.*

Paſſio S. Afrae Martyris. *Ex Velſera & Codd. mſs. Bibliothecae Regiae* 1. *Colbertinae* 1. *Sorbonicae* 1. *S. Germani a Pratis* 1. *Sancti Mauri Foſſatenſis* 1. *S. Genovefas Pari-*

riſienſis 1. *Monaſterii SS. Trinitatis Fiſcamnenſis* 1. *Monaſterii S. Petri de Canchis* 1. *S. Petri Vivi apud Senones* 1. *Bibliothecae Illuſt. Praeſidis Boherii* 1. *RR. PP. Carmelitarum Excalceatorum Pariſienſium* 1. *&c.*

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

Aurelii Prudentii hymnus de Martyrio Sanctae Agnetis Virginis. *Ex editis ad Cod. ms. S. Michaelis in Periculo - Maris collatus.*

Excerpta ex S. Ambroſio de eadem S. Agnete.

Paſſio S. Ferreoli Martyris. *Ex Codd. mſs. Colbertinae Bibliothecae* 2. *S. Genovefae Pariſienſis* 1. *S. Mauri Foſſatenſis* 1. *Illuſt. Praeſidis Boherii* 1.

De SS. Martyribus Vitali, & Agricola. *Ex S. Ambroſio lib. de exhortatione Virginitatis cap.* 1. *&* 2.

Aurelii Prudentii hymnus de SS. XVIII. Martyribus Caeſarauguſtanis, ubi etiam de aliis multis Martyribus agitur. *Ex editis ad Codd. mſs. Bibliothecae Regiae* 2. *unum S. Michaelis in Periculo - Maris &c. collatus.*

Martyrium SS. Domninae, Bernices, & Proſdoces. *Ex S. Johanne Chryſoſtomo Tomo* 1. *homil.* 51.

Theodori Epiſcopi Iconii Epiſtola, qua declaratur Martyrium S. Martyris Cyrici,

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

ac ejus Matris Julittae. *Ex Combeſiſio, cum antiqua Verſione mſ. Colbertini collata.*

(*Anno 306. ſub Galerio Maximiano, & Maximino*) Oratio S. Gregorii Nyſſeni Epiſcopi de magno Martyre Theodoro.

Martyrium SS. Apollonii, & Sociorum ejus. *Ex libro Rufini de Vitis Patrum ad Palladii Lauſiacam collatum.*

(*Anno 307.*) Beati Aſterii Amaſeae Epiſcopi Enarratio in Martyrium praeclariſſimae Martyris Euphemiae. *Ex Combeſiſio, & ex ſeptima Synodo Generali.*

Paſſio S. Sereni Martyris. *Ex Cod. mſ. Illuſt. Abbatis de Noaliis.*

Acta SS. Phileae, & Philoromi Martyrum. *Ex Codd. mſſ. Bibliothecae Colbertinae 2. S. Remigii Remenſis 1. S. Benedicti Floriacenſis 1. RR. PP. Coeleſtinorum Pariſienſium 1. RR. PP. Fulienſium Pariſienſium 1. & Februario Bollandiano.*

(*Anno 309.*) Paſſio S. Quirini Epiſcopi & Martyris. *Ex Mombritio, & Surio.*

Aurelii Prudentii hymnus de eodem S. Quirino *ad Cod. mſſ. 1. S. Michaelis in Periculo-Maris, & alterum S. Germani a Pratis collatus.*

(*Anno 311.*) Acta S. Petri Balſami. *Ex Codd. mſſ. S. Germani a Pratis 2. S. Cor-*

nelii

nelii Compendienſis 1. *Bibliothecae Colbertinae* 1. *Urſicampi* 1. *S. Mariani Antiſiodorenſis* 1. *RR. PP. Coeleſtinorum Pariſienſium* 1. *& editis*.

(*Anno* 312. *ſub Maximino poſt Galerii mortem*.) Martyrium S. Luciani Presbyteri Antiocheni. *Ex S. Johanne Chryſoſtomo*.

Homilia de S. Barlaamo Martyre. *Ex S. Baſilio, ad Codd. mſſ. Graecos collata*.

Oratio de S. Gordio Martyre. *Ex eodem S. Baſilio, ad Codd. mſſ. Graecos recognita*.

Martyrium S. Julittae. *Ex S. Baſilio M., ad Codd. mſſ. Graecos recognita*.

Martyrium S. Pelagiae Virginis. *Ex S. Johanne Chryſoſtomo*.

(*Anno* 320. *ſub Licinio*.) Homilia de Sanctis XL. Martyribus. *Ex S. Baſilio ad mſſ. Codd. Graecos recognita*.

(*Tempore incerto*.) Paſſio S. Arcadii Martyris. *Ex Agonibus Martyrum*.

Aurelii Prudentii hymnus de S. Caſsiano Martyre. *Ex editis collata ad Cod. mſ. Sancti Michaelis in Periculo-Maris*.

Acta SS. Januarii, Fauſti, & Martialis. *Ex Codd. mſſ. Bibliothecae Colbertinae* 1. *S. Cornelii Compend.* 1. *B. Mariae Silvae-Majoris* 1. *Clarevallis* 1.

Mar-

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

Martyrium S. Droſidis Virginis. *Ex S. Johanne Chriſoſtomo.*

Paſsio S. Geneſii Martyris Arelatenſis. *Ex editis, & Codd. mſs. Colbertinis 2. Sancti Mauri Foſſatenſis 1. S. Germani Antiſiodorenſis 1. Archicoenobii Ciſtercienſis 1. Illuſt. Boherii Praeſidis Divionenſis 1. Sancti Germani a Prațis 1. &c.*

Martyrium S. Juliani Martyris. *Ex S. Johanne Chryſoſtomo.*

Certamen SS. Leonis, & Paregorii. *Ex Cod. ms. Graeco Bibliothecae Regiae Latinitate donatum in Februario Bollandiano.*

Acta S. Julii Martyris. *Ex Cod. ms. S. Remigii Remenſis.*

Acta SS. Marciani & Nicandri. *Ex edit. & 5. Codd. mſs. Bibliothecae Vaticanae.*

Acta S. Patricii Epiſcopi & Mart. *Ex Cod. Graeco Bibliothecae S. Laurentii Florentiae, Latine edita in Aprili Bollandiano.*

Paſsio SS. XXXVII. Martyrum Aegyptiorum Pauli, Panſii, &c. *Ex Cod. ms. 1. Bibliothecae Colbertinae, & altero Illuſtr. Abbatis de Noaliis.*

Encomium in S. Phocam Martyrem. *Ex S. Aſterio Epiſcopo Amaſeno.*

(*Anno Chriſti 345. ſub Sapore.*) Martyrium S. Symeonis Epiſcopi, & aliorum plu-

plurimorum Martyrum in Perſide. *Ex Sozomeno lib. 2. Hiſt. Eccl. cap. 8. & ſeqq. edit. Valeſianae.*

Martyrium SS. Pherbutae ſeu Tarbulae Virginis, &c. *Ex Aprili Bollandiano.*

(*Anno 346.*) Martyrium S. Sadoth Epiſcopi, & aliorum CXXVIII. Martyrum in Perſide. *Ex Februario Bollandiano.*

(*Anno 362. ſub Juliano.*) De SS. Martyribus, qui ſub Juliano paſſi ſunt.

De Cyrillo, &c. *Ex Theodorito lib. 7. Hiſt. Eccl. cap. 7.*

De SS. Euſebio, &c. Martyribus Gazaeis. *Ex Sozomeno lib. 5. Hiſt. Eccl. cap. 9.*

De SS. Macedonio, &c. Martyribus. *Ex Socrate lib. 3. Hiſt. Eccl. cap. 15.*

Acta S. Baſilii Ancyrani. *Ex Martio Bollandiano, ad Cod. mſ. Graecum Bibliothecae Vaticanae collata.*

De eodem S. Baſilio. *Ex Sozomeno lib. 5. Hiſt. Eccl. cap. 11.*

De S. Theodoro Confeſſore. *Ex Rufino lib. 10. Hiſt. Eccl. cap. 35.*

Paſſio S. Theodoriti Presb. & Martyris. *Ex Codd. mſſ. Illuſtriſſ. Abbatis de Noaliis 1. Monaſterii S. Petri de Conchis 1. & Tomo IV. Analectorum Mabillon. collata ad Cod. mſ. 1. Colbertinum interpolatam.*

Acta

In dicu lus Tabulae III. Saeculi I. Acta SS. Bonoſi & Maximiliani. *Ex Cod. ms. Monaſterii B. Mariae Silvae-Majoris.*

De SS. Juventino & Maximino. *Ex Theodoriti Hiſt. Eccl. lib. 3. cap.* 15.

(*Anno 372. ſub Athanarico.*) Epiſtola Eccleſiae Gotthicae de Martyrio S. Sabae. *Ex ms. Graeco Vaticano, cum editis collata in Aprili Bollandiano.*

(*Anno 375. ſub Saporc.*) Paſsio S. Bademi Abbatis, & Martyris in Perſide. *Ex Aprili Bollandiano.*

(*Anno 397. a ruſticis Paganis.*) Epiſtola S. Vigilii Epiſcopi Tridentini, & Martyris ad Simplicianum Epiſcopum de Martyrio SS. Siſinnii, Martyrii, & Alexandri. *Ex Surio, Bollando, &c.*

Alia ejuſdem S. Vigilii Epiſtola ad Johannem Epiſcopum Conſtantinopolitanum de iiſdem Martyribus. *Ex Majo Bollandiano.*

Kalendarium Romanum vetuſtiſsimum. *Ex Bucherio.*

Kalendarium Carthaginenſe. *Ex Tomo 3. Analectorum.*

67. Tabula Capitolina aeneis typis impreſſa a Boiſſardo Part. III. p. 100. Ejus Inſcriptio figuris carens apud Gruterum p. 189. 4. videtur eſſe correctior, & ceteris editionibus praeferenda. In ea leguntur nomina MAGISTRO-

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

STRORUM vel Pagorum, vel Societatum, vel Vicorum, vel Collegiorum, vel Equitum &c. *qui omnes*, ut ſcribit Feſtus, *magis ceteris poſſunt : unde & Magiſtratus*; *qui per imperia potentiores ſunt, quam privati*. Signatur SER.GALBA II T R VINIO COS; ac, ſi mendum non cubet (ut ſuſpicor) in Tabula Boiſſardina, hoc par Conſulum ita legi oportebit, SERVIO GALBA II T.RUFINO VINIO. In antiquo lapide Faſtorum Municipalium in agro Caſſinenſi reperto, in quo habentur Conſules ab anno Aerae Chriſti Vulg.67, ad 75, & recenſio Magiſtratuum IIII.Virum, & Quinquennalium ejus Oppidi, vel Coloniae, ad quam lapis pertinuit, Imperator Servius Sulpicius Galba II. & T. Vinius Conſules ita nominantur: *Imp.Ser.g*ALBA.II T.VINIO COS. &c. Vide *Chron.* ad an.Ch.67. Galba namque Imperium adeptus an. 68, ſe Conſulem iterum in novum annum deſignavit.Nam inTab.aenea, (qua idem Galba,veteranis,qui militaverant in Legione prima Adjutrice, Honeſtam Miſſionem, & civitatem dedit), edita inter Inſcriptiones Urbium Etruriae Part.I. p. 257 à Doctiſſimo Gorio Florentino mei amantiſſimo, hic titulus extat: SER. GALBA . IMPERATOR . CAESAR . AUG. PONTI-

Eeeeeee FEX.

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

FEX . MAXIMVS . TRIB. POT. COS. DES. II. Iniit autem II. Conſulatum Kal. Jan. an. Aerae Chr. Vulg. 69. cum T. Vinio, ut in noſtro *Chronico* ad eundem annum. Tacitus Hiſt. lib. 1. cap. 1. *Initium mihi operis Ser. Galba iterum, T. Vinius Conſules erunt*. Tillemontius dat Sulpicio Galbae praenomen *Servilii*, & Petavius *Caji*. Sed uterque fallitur. Cardinalis Noriſius in *Epiſt. Conſul.* Tom. 2. pag. 903. & ſeq. inquit: „ A. U. 821. Chriſti 68, Nerone die 9. Junii ſua ſe manu interficiente, Galba, qui jam in Hiſpaniis Imperium invaſerat, Imperator a Senatu dictus eſt. Anno inſequenti (69) *Servius Sulpicius Galba Auguſtus II. ac T. Vinius Rufinus* annum in Faſtis ſignarunt. Petavius eos Conſules ita deſignat: *C. Sulpicius Galba, T. Vinius Criſpinianus*. Tu vero ſcribis: *Sergius Sulpicius Galba Aug. II. & T. Vinius*. Erratum in praenomine Galbae; non enim *Cajus*, aut *Sergius*, ſed *Servius* dicebatur, ut in priori ejuſdem Conſulatu A. U. 820. praemonſtratum &c. Porro collega Galbae non uno modo apud Scriptores invenitur. Panvinio in tabulis Faſtorum vocatur *T. Junius Criſpinus*: Anonymo apud Cuſpinianum *T. Junius*: in Faſtis Graecis, ac Idacianis *T. Rufinus*: in prioribus editionibus

bus Taciti, ac Plutarchi *T. Junius*. Ejus tamen nomen, ſeu Familia, ex Inſcriptione effoſſa, cum idem Panvinius eruditiſſimos Faſtorum Commentarios elucubraret, innotuit. Haec in eadem legebantur: **Indiculus Tabulae III Saeculi I.**

SER. GALBA. II. T. VINIO. COS.

Integrum epigramma recitat Gruterus pag. 189.4. Quare ibidem Panvinius T. Vinium Criſpinum appellandum tradit, quo eum nomine ſcribit nuncupatum ab Anonymo Cuſpiniani. At hoc falſum eſſe, apparet ex ejuſdem Cuſpiniani Commentariis, ubi ſemel & iterum hunc Conſulem *T. Junium* vocari teſtatur ab ignoto Auctore. Plutarchus in Galba ait, Othonem, collega Ovinio, deſignatum fuiſſe Conſulem; ubi pro *Vinio*, in Graecis exemplaribus legitur *Ovinius*. At M. Otho anno ſuperiori geſſerat Conſulatum Suffectum, ut ex ejuſdem nummis Panvinius oſtendit: nec Vinius habuit collegam Othonem, ſed Galbam Auguſtum. Jam de T. Vinii cognomine agendum. In Faſtis Graecis *T. Rufinus* appellatur; at Panvinius ait, nuſquam hoc cognomine T. Vinium nuncupatum. Hinc ſcribit, dicendum *potius* Criſpinum; *filiam enim Criſpinam habuiſſe a Tacito ſcribitur, quae nomen ex patris cognomine, ut tum conſuetudo erat, traxit*. Habes aucto-

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

rem cognominis *Criſpini*, T. Vinio adtributi. Id autem adeo Leunclavio placuit, ut, omiſſo nomine, in Conſulatu prefixo, lib.64 Dionis ſcripſerit: *Galba Caeſ. Aug. II. & T. Criſpinus*. Hoſce Conſules Dionis manu deſcriptos arbitrabaris; ſed eorumdem auctorem jam tibi monſtravi, ac toto hoc opere oſtendam. Verum plerique illud cognomen exile nimis judicarunt; ac proinde illud ipſum auxere magno, ut ait Ovidius, ore ſonandum, nempe *Criſpinianum* ſcribentes: Ita Calviſius, Petavius, Bucherius, Riccio- lius, aliique exſcriptores, quibus hic Conſul dicitur *T. Vinius Criſpinianus*, qui antea erat *Criſpinus*, nomenclatore Panvinio. Ceterum ratio cognominis a nomine filiae deducta, dubia plane & incerta eſt, ac perperam ejus aetatis conſuetudinem Panvinius appellat. Non ibo inficias, mulieres quandoque patrum cognomina retinuiſſe. Lollia Paullina uxor Caligulae, filia fuit M. Lollii Paullini; Poppaea Sabina materni avi Poppaei Sabini nomen ac cognomen tulit ex Tacito lib.13. At plerumque cognomen majorum diminutive inflexum ferebant. Ita Druſilla, ab avo Druſo: Plautia Urgulanilla uxor Claudii Auguſti, a M. Plautio Urgulanio, cujus elogium recitatur Gruteri pag. 452.

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

452. 6. Meſſallina altera ejuſdem Claudii uxor, a patre Valerio Meſſalla Barbato cognomina ſumpſere. Hinc T. Vinius a filia Criſpina *Criſpus*, non *Criſpinus* dicendus eſſet. Plerumque etiam cognomina, ſeu nomina habuere, quibus nihil cum cognomine patrum commune erat. Domitia Calvilla, filia fuit Calviſii Tulli bis Conſulis, ex Capitolino cap. 1. de Vita M. Aurelii; Julia Fadilla, nata erat ex Julio Lupo, ex eodem cap. 1. de Vita Antonini Pii. Criſpina Imperatoris Commodi uxor, filia erat Brutii Praeſentis. Et ſane ex nomine Criſpinae ridicule quis patrem Bruttium Criſpinum nuncuparet. Haec innumeris exemplis patent in vetuſtis Inſcriptionibus magni Theſauri a pag. 668. ad pag. 748. Hinc fit, ut nulla ſit conſuetudo, a Panvinio confiCta, ac incertum fundamentum, cui *Criſpini* cognomen innititur. At *Criſpiniani* cognomen nuper ſine teſte concinnatum, riſu potius excipiendum, quam vel uno verbo confutandum videtur. Longe probabilius hic Conſul eruditiſſimo Baronio nuncupatur *T. Vinius Rufinus*, quod hoc cognomine ſcribitur in Faſtis Graecis: quibus addere poſſumus omnium optimos Idacianos, quos evulgavit Philippus Labbeus: ibi enim legitur: *Galba II. & T. Rufino Coſs.*

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

Coſs. „ At haec de iſtis Conſulibus ſatis. Reliqua nunc expendamus. In baſibus trium Sphingium, quae in noſtra inſigni Tabula Capitolina, quam illuſtramus, obſervantur, Lector, inſculpta vides animalia, quae portentoſa Gentium ſuperſtitio Numinum loco habebat, ſcilicet Trochilum avem, Ibim, &c. ac ſimilia. Extat hic Sphingium Iconiſmus majoris formae apud Boiſſardum Parte III. p. 100, Gruterum edit. Amſtelaedami ann. 1707, pag. CLXXXIX., & Montfauconium Tom. II. Parte II. Operis, cui fecit titulum *l' Antiq. Expliq.*, Tabul. CXXIX. pag. 314. ubi ait: „ Sphinges ab Aegyptiis inter animalia ſacra numerabantur. Multi putarunt, Sphinges eſſe Simiae genus. Haec monſtra in Tabulis Aegyptiacis frequenter occurrunt, nec non in aliis monumentis, in nummis etiam Graecis. Thebana Sphinx, quae Oedipo oraculum emiſit, alis erat inſtructa. Aegyptiacae vero Sphinges non ſemper alatae ſunt. Tres illae Sphinges, quas (hoc num. 67) damus ex Boiſſardo, alis carent: hae longos & intextos capillorum cirros exhibent, baſeſque, quibus illae inſident, hieroglyphicis ſunt plenae. Sphinges ex virgine, & leone conſtabant: tales in monumentis viſuntur. Duae ex Muſeo Brandeburgico eductae,

Digitized by Google

ctae, ornatu capitis a praecedentibus differunt: altera longum exhibet mammarum ordinem &c. Sphinx eſſe dicitur ſymbolum Sapientiae. In Nummo quodam Minerva conſpicitur Sphingi inſidens, quae clypeo, haſta, & caſſide armatur, ut ſignificetur prudentia in bello neceſſaria. Thebana Sphinx oracula Oedipo fundens in ſepulcro Naſonum repraeſentatur,,. Sphinx viſitur & in Nummo Trajani apud Triſtanum p. 388. qualis ab Auſonio deſcribitur:

Terruit Auſoniam volucris, leo, virgo, triformis
Sphinx, volucris pennis, pedibus leo, & ore puella.

De Sphinge Aegyptiaca *ſilveſtri Numine accolentium* vide Plinium lib. 36. ſect. 17. Gergithos Urbs eſt in Aeolide: unde Gergithia Sybilla oraculorum interpres; cujus imago in Nummo Gergithiorum cum Sphinge inſculpta viſebatur, ut auctor eſt Phlegon Olympiadum libro ſecundo. Haec Sybilla octava dicitur, poſt Varronem, a Lactantio lib. 1. *de falſa Religione*, cap. 6. *Octavam Helleſpontiacam in agro Trojano natam, vico Marpeſſo, circa oppidum Gergithium, quam ſcribit Heraclides Ponticus, Solonis & Cyri fuiſſe temporibus.*

68. Num-

68. Nummus Galbae, cum epigraphe SER. SVLPI. GALBA. IMP. CAESAR. AVG. Caput Galbae laureatum. Servius Sulpicius Galba initio menſis Aprilis an. Aerae Vulg. 68. Imperium arripuit in municipio *Clunia*, Hiſpaniae TarraconenſisOppido, ut probat ex Nummis Spanhemius *Orbis Rom.* cap. 18. pag. 151. Suetonius *in Nerone* cap. 10. de eodem Galba ſcribit: *Conſalutatuſque Imperator, Legatum ſe Senatus, ac Populi Romani profeſſus eſt*: tum cap. 11. *ut occiſum Neronem cognovit, depoſita Legati, ſuſcepit Caeſaris appellationem*. Poſt Neronem (in quo Julia Familia extincta), etiam qui ab Auguſtis originem ducebant, Caeſares non appellabantur, donec a Patribus Imperatoribus eo Nomine ac Dignitate cohoneſtarentur; idque cum ſpe ad ſucceſſionem Imperii, ejuſdemque cum aliquo conſortio, ut animadvertit Pagius in Critice ad ann. Aerae Chr. 69. num. 4. Eam in rem Otho apud Tacitum lib. I. *Hiſt.* dicit: *Agendum, audendumque, dum Galbae auctoritas fluxa, Piſonis nondum coaluiſſet*. Nummus, quem heic exhibemus, exſtat apud Bellorium pag. 52. num. 8., Harduinum p. 727., Mediobarbum, in Theſauro Reg. Sueciae Tab. 5. num. 4, apud Vaillantium *de praeſt. Num. Imp. Rom.* To. 3. p. 110., & in Mu-

MuſeoMuſellianoTo.1.Tab.26.&To.3.p.74. Patinus *de Num. Imp. Rom.* p.125.de alio,in poſtica huic ſimili, habet: Nummus Galbae, cum epigraphe, IMP. SER. SVLP. GALBA CÆS.AVG.TR.P.NaſciturGalba propeTerracinam,patreServioSulpicioGalba,matreAchaja. Vir juſtae ſtaturae,capitis calvi,& coeruleis oculis, adunco naſo, qui in univerſo corpore morbo articulari conflictabatur: famae nec incurioſus,nec venditator; pecuniae alienae non appetens, ſuae parcus, publicae avarus. Hunc tandem aliquando deguſtaturum Imperium Tiberius praedixerat. Nec eventus fefellit: Nerone enim mortuo, Galba in Imperatorem eligitur a S.P.Q.R. Praetorianis militibus pecuniam petentibus, *legere*, inquit, *ſoleo milites*, *non emere*: ſed conjuratione in ipſum facta, trucidatur in Foro Romano aetatis LXXIII, Imperii menſe IX, an. Ch.70.(lege 69.)Ejus caput ad Othonem delatum eſt; qui lixis & calonibus deridendum donavit,teſte Suetonio.Uxorem,& quos ex ea liberos edidit, amiſit ante adeptum Imperium. Piſo, quem ante ſex dies adoptaverat, Othonis artibus etiam necatus eſt.,, Vide tamen noſtrum *Chronicum* ad an.AeraeChr.69. Joſephus enim Galbae aequalis lib.5. *deBello Judaico* c.6.ait,Galbam imperaſſe menſes VII.

Ffffff & dies

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

& dies VII. cui uterque Victor ſuffragatur. Et Clemens Alexandrinus, ac Theophilus Antiochenus habent, menſes 7. & dies 6. quia nempe diem emortualem excludunt. Lege quoque Pagium in Proleg. Diſ. Hypat. n. 19. Quod ſi a tempore, quo Imperator in Hiſpania dictus eſt, vivente adhuc Nerone, Imperium Galbae exordiri placeat, tunc, ut Xiphilinus, & Zonaras, ex Dione, habent cum Patino, regnavit menſes novem, ac dies tredecim.

69. Nummus Galbae. Ipſe ſtat in ſuggeſtu paludatus, cum Praefecto Praetorio; & Cohortes, ſigna Legionaria ferentes, alloquitur. Galba, cum in Hiſpania Legatus eſſet, fuit Imperator ab exercitu proclamatus, adhuc vivente Nerone. Senatus, poſt fugam Neronis ab Urbe, necemque ejus, Galbam Imperatorem accepit, & Veſpaſianus, audita Galbae ad Imperium proclamatione, Titum filium ipſi gratulatum miſit. Anno Aerae Chriſti 69, Galbae primo ac ſecundo, dum ipſe Kalend. Januar. init cum Vinio Conſulatum, Legiones in Germania ſuperiori ab eodem deficiunt. Secunda die Januarii deſciſcunt pariter Legiones inferioris Germaniae, quae Coloniae Agrippinae A. Vitellium Imp. Auguſtum proclamant: tertia ejuſdem menſis die Aulus Vitellius proclamatur

Im-

Digitized by Google

Imperator Aug. etiam a Germaniae ſuperioris Legionibus. Auditis hujuſmodi nunciis, Galba, qui filiis orbus erat, ut haberet vivens defenſorem, ac moriens ſucceſſorem, L. Piſonem Frugi Licinianum in filium adoptavit. Extat hic Nummus, quem illuſtramus, apud Joannem Petrum Bellorium, qui *in Adnotationibus in XII. priorum Caeſarum Numiſmata* pag.52. num.8. ipſum itadeſcribit: „ ADLOCVTIO. S. C. Imperator in ſuggeſtu milites (& Cohortes cum ſignis ſtantes) alloquitur, thoracatus, paludatus: a tergo,Praefectus Praetorio ſimiliter armatus ipſum comitatur. Tacitus de adoptione Piſonis nuncupanda: *Apud frequentem* (ait) *militem concionem Imperatoria brevitate,adoptari a ſe Piſonem more Divi Auguſti,& exemplo militari,quo vir virum legeret,pronunciat.* 'Aeneas Vicus ſellam Nummo appinxit, quae non extat; praeteriitque Praefectum Praetorio, ex Nummo vetuſtate conſumpto: ſed nos integrum heic exhibemus,ex eodemBellorio. Vide Patrem Harduinum pag. 727., Mediobarbum pag.100., Theſaurum Reginae Sueciae Tab. 5. mum. 4., Vaillantium Tom. 3. *Imp.Rom.Num.* pag.110., Theupolum *Muſ. Antiq. Num.* Tom.1. pag.408., & Muſeum MuſellianumTo.1.Tab.26.n.6,ac To.3.p.74,

 Cl.

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

Cl. Montfauconius, loquens de Columna Trajani, hunc Nummum ſimiliter exhibet; atque ſuggeſtum ejus ita mirifice illuſtrat *Antiq. Expliq.* Tom. 4. Part. 1. pag. 102. „ Imperatores (inquit), Duceſque, alloqui milites ſolebant, ſive ut initio expeditionis cujuſpiam hortarentur ad rem ſtrenue agendam, & ad acriter pugnandum; ſive ut gratias agerent, laudarentque, cum fortiter ſe geſſerant. Imperator, ut plurimum, in edito loco ſtabat, ad eam rem ſpeciatim ſtructo, cui nomen ſuggeſtus, aut tribunal: ad ejus latera erant Tribuni, primoreſque exercitus. Haec tribunalia in Columna Trajana fere ſemper lapidibus quadratis eleganter ſtructa viſuntur. Putat Raphael Fabrettus pag. *93*. & ſeqq. ſculptorem praecipuum, elegantiae ſtudentem, ut Columnae decorem adderet, ex lapidibus fere ſemper quadratis ſuggeſtus ſeu tribunalia exhibuiſſe, quae ex ceſpitibus tantum ſtructa erant. Id vero non de tribunali tantum intelligendum eſt, inquit, ſed etiam de plurimis aliis operibus, quae ejuſmodi repraeſentantur. His vero nititur ille rationibus, & argumentis: nullo modo veriſimile eſſe, exercitum, qui ſaepiſſime ſedes mutabat, ac loco movebatur, ſpatii, & temporis, quantum ſatis eſſet, habuiſſe, ut haec ſic ele-

Digitized by Google

eleganter conſtrueret: & accedunt, inquit, Scriptorum teſtimonia, Taciti lib. 1. Annalium, qui ait, *ſimul congerunt ceſpites, extruunt tribunal, quo magis conſpicua ſedes foret*; Dionis, cujus verba ſunt lib.62. *In Tribunal factum ex terra paluſtri, more Romano, conſcendit*; Plutarchi in Pompejo, *Tribunal nullum erat: neque adhuc militari more magnis ceſpitibus in vicem impoſitis ſuggeſtum excitaverunt*; Vopiſci, qui in Vita Taciti Imperatoris, hoc pacto narrat quomodo Probus Imperator ſit declaratus, *deinde concurſus, & ceſpititium tribunal, appellatuſque Imperator*; Ammiani Marcellini, qui de Juliano dicit, *ipſe aggere glebali aſſiſtens, coronaque celſarum circumdatus poteſtatum, talia ore ſereno diſſeruit*; demumque Plinii, qui in Panegyrico Trajani ait, *tribunal viridi ceſpite extructum, nec faſcium tantum, ſed pilorum, ſignorumque honore circumdatum*. Adjicit etiam Fabrettus verſus Lucani lib.5, Statii lib.6, & Prudentii, qui iſthaec tribunalia ex ceſpite facta dicunt. En multas auctoritates, quibus optime probatur, tribunalia hujuſmodi ex ceſpite facta fuiſſe: ſed non poſſumus oculis item fidem negare, qui in Columna quadratos politoſque lapides vident: divinando autem dicitur, ſcul-

ſculptorem praecipuum haec tribunalia elegantiae cauſa ſic efformaſſe, contra rei veritatem: nam, ſi elegantiae tantum cauſa, non autem quo modo re ipſa erant, ea repraeſentanda curavit; cur modo lapidea, modo ceſpititia, vel nulla arte ſtructa tribunalia repraeſentat? certe rei veritatem exhibuit, qui, cum nullam elegantiae ſpeciem tribunalia haberent, ea, ut erant, exhibuit. Quae difficultas, haec tribunalia modico tempore ſtruendi, affertur, non tanta eſſe videtur in adeo numeroſo exercitu, ubi milites omnes operi manum admovebant. Aliunde vero ſcimus, Trajani tempore etiam lapidea tribunalia facta fuiſſe: cum Julianus infauſtam Parthicam expeditionem ſuſcepit, Sithiam pervenit (inquit Zoſimus lib. 3.), hinc Megiam, inde Zaragardam oppidum, ubi ſublime lapideum tribunal erat, quod incolae vocabant Trajani, quoniam a Trajano extructum. Ammianus Marcellinus item ait lib. 24. c. 5 Trajani fuiſſe. Pro loci opportunitate igitur aut ceſpetitia, aut lapidea fiebant.

70. Nummus Galbae. In antica legitur, SER. SVLPIC. GALBA. IMP. CAES. AVG. TR. P. *Caput Galbae laureatum*: in poſtica vero, HISPANIA. CLVNIA. SVL. S. C. Imperator paludatus ſedens, qui ſiniſtra parazonium ge-

gerit, & dextra victoriolam accipit a figura muliebri ſtante, lævaque cornucopiam tenente. Vide Vaillantium *Num. Imp. Rom.* To. 1. p. 23. & Theupol. *Muſ. Antiq. Numiſ.* Tom. 1. pag. 408. Petrus Bellorius *in Adnotationibus in XII. priorum Caeſarum Numiſmata* p. 53. num. 20. ſcribit: „ Clunia, quae & Sulpicia dicta fuit a Gente Sulpicia, ex qua Ser. Sulpicius Galba genus duxit, celebris Urbs erat, & Conventus Hiſpaniae Citerioris, in qua ipſe Provinciam adminiſtrans, auſpicatus & conſalutatus fuit Imperator. Suetonius: *& confirmabatur* (inquit) *cum ſecundis nimis auſpiciis, & ominibus*; *tum virginis honeſtae vaticinatione: tanto magis, quod eadem illa carmina, Sacerdos Jovis Cluniae ex penetrali, ſomnio monitus, eruerat, ante ducentos annos ſimiliter a fatidica puella pronunciata. Quorum carminum ſententia erat, oriturum quandoque ex Hiſpania Principem, Dominumque rerum.* Unde in Nummo, Hiſpania appicta eſt, quae ſiniſtra copiae cornu tenet, & dextra victoriam Imperatori ſedenti porrigit.„ Plinius lib. 3. ſect. 4. *Clunia* (inquit) *Celtiberiae finis.* Hodie pagus eſt *Cruña*, *vel Coruña* ad Durium, in Caſtella vetere. CLUNIA legitur & in Tiberii Nummo apud Patinum p. 17., cui Nummo bos inſculptus, deductae index

Co-

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

Coloniae eſt. Hinc COLONIA CLUNIA apud Goltzium in Theſauro pag. 239.

71. NummusGalbae, cum epigraphe in poſtica, SALVS GEN. HVMANI. Figura muliebris ſtans; quæ dextra pateram ſuper Aram ignitam, laeva temonem inverſum tenet. Per *genus humanum*, heic intelligitur Orbis terrarum, tanquam ſub Imperio Romano fere totus comprehenderetur. Suetonius narrat cap. 9. Jul. Vindicem Galliarum Praeſidem hortatum eſſe Galbam Hiſpanis Praefectum, ut vellet ſe *Humano Generi* aſſertorem praeſtare, id eſt P. Romanum in libertatem vindicare: quod Galba ſe praeſtitiſſe gloriatur hoc ſchemate, ut animadvertit Vaillantius *Numiſm. Imp. Rom.* Tom. 2. pag. 73. Vide Theupolum *Muſei Antiq. Numiſm.* Tom. 1. pag. 136. Eoſdem pene Titulos aliis item Auguſtis attributos (ad referendam Romani Imperii amplitudinem majeſtatemque) reperio in Lapidibus Gruterianis, hujuſmodi verbis conceptos. Veſpaſianus dicitur, GENERIS HUMANI AMOR ET DESIDERIUM pag. CLV. 3. Lucius Septimius Severus Pertinax, PACATOR ORBIS pag. LVI. 5. 6. L. Domitius Valerianus, CONSERVATOR ORBIS pag. CCLXXVI. 5. L. Domitius Aurelianus, RESTITUTOR ORBIS p. CCXXXVI.

4. Fl.

4. Fl. Valerius Conſtantinus, SALUTIS OMNIUM COMMUNIS AUCTOR pag. mlxxxvi.6. Fl.Conſtantius, ORBEM TERRAE ROMANO NOMINI SUBJUGANS cclxxxi. 2. Magnentius, LIBERATOR URBIS ET ORBIS TERRARUM pagina cclxxxi. 10; & Claudius Julianus, DOMINUS ORBIS TERRARUM pag.mlxxxvi.7..

72. Nummus Galbae. Legitur in antica, GALBA IMP. *Caput Galbae laureatum*. In poſtica vero, HISPANIA.GALLIA. Duae figurae militares, dextras ſibi jungentes: una clypeum cum duabus haſtis, altera ſpiculum tantum gerit. Hiſpania, & Gallia Provinciae dextras ſibi jungunt in concordiae ſignum; quod illae primum Galbam pro Imperatore agnoverint: Gallia enim ſub Julio Vindice tumultuari contra Neronem coepit: & inHiſpania,Galba conſalutatus eſt Imperator:atque ita omnes fereHiſpaniarum,Galliarumque Civitates, teſte Suetonio cap.9, ipſi acceſſerunt. Vide Vaillantium *Num. Imp. Rom.* Tom. 2. pag.70. & ſeqq., *Gotham Numariam* Liebe p.422. & Harduinum *Numiſ. Antiq.illuſtrat.* pag.179. Joannes Petrus Bellorius *in Adnotationibus in XII.priorum Caeſarum Numiſmata* pag. 54. nu.10, alium referens Nummum ex argento, in cujus antica

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

legitur, IMP.SER.GALBA. AVG., in poſtica autem, GALLIA. HISPANIA, „ Gallia, (*inquit*) & Hiſpania habitu militari jugatae, & galeatae, invicem jungentes dextras. Refertur hic Nummus ad alium poſitum in noſtra Tab. n.76 cum epigraphe *Concordia Provinciarum*. Cuſus uterque fuit, poſteaquam Virginius Rufus, qui Victor Gallias tenebat, cum exercitu Germanico Galbae acceſſit, de quo Plutarchus. Sagatam militari habitu Galliam, cum haſta, ſeu gaeſa, deſcribit Claudianus:

.... Tum flava repexo
Gallia crine ferox, evinctaque torque decoro,
Binaque gaeſa tenens, animoſo pectore fatur.

Sed ante Claudianum, Virgilius:

Aurea caeſaries ollis, atque aurea veſtis,
Virgatis lucent ſagulis, tum lactea colla
Auro innectuntur, duo quiſque alpina corruſcat
Gaeſa manu ſcutis protecti corpora longis.

De Gallorum habitu Tacitus Hiſt. lib. 2, loquens de Caecina, *ornatum ipſius Municipia, & coloni in ſuperbiam trahebant, quod verſicolore ſagulo brachas, tegmen barbarum, indutus, to-*

togatos alloqueretur. Huc uſque Bellorius. Indiculus Tabulae III Saeculi I.

73. Nummus Galbae. Caput ejus laureatum, cum epigraphe, GALBA IMP. Vide Vaillantium *Numiſm. Imp. Rom.* Tom. 2. pag. 70., Theupol. *Muſ. Antiq. Numiſm.* Tom. 1. pag. 135., & *Muſeum Muſellianum* Tom. 3. pag. 74. Poſtica hujus Nummi, numero praecedente (nempe 72.) exhibetur, atque ibidem a nobis pro viribus illuſtratur.

74. Nummus Galbae. Dele in ſchemate S.C. *Senatus Conſulto*: quae duae literae oſcitantia chalcographi heic fuerunt inſcalptę, licet non habeantur in typo, & abſint etiam a Numiſmatibus Vaillantii, & Theupoli. Petrus Bellorius tamen eas vidit in alio quamſimillimo Nummo, de quo nos egimus ſupra n.70. hujus Tab.

75. Nummus tributus Galbae. Ser. Galba cum in Hiſpaniis Proconſul eſſet, die 3. menſis Aprilis Imperium arripuit in Municipio Clunia anno Aerae Chr. Vulg. 68, Silio Italico & Valerio (vel Galerio) Trachalo Coſs. Die 9. Junii, occiſo Nerone, ſolus imperare coepit ad diem xv. Januarii anni ſequentis 69. Etenim Joſephus, qui tum vivebat, lib. v. *Belli Judaici* ſcribit, Galbam *imperaſſe menſes VII. ac totidem dies*. Et Tacitus lib. I. *Hiſt.* ait: *XVIII. Kal. Februarii ſacrificanti pro Aede Apollinis Galbae, haruſpex Umbricius triſtia*

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

exta, *& inſtantes inſidias*, *ac domeſticum hoſtem praedicit*: ac paullo poſt, eadem die 15. Januarii, occupante Imperium Othone, occiſum tradit: cui ſimiliter ſuffragatur Suetonius c.19. in Galba. Porro a die 9. Junii Neronis emortuali, ad diem 15. Jan., quo Galba occiſus eſt, numerantur menſes 7. ac dies ſeptem, ut optime ſcripſit Joſephus. Vide ſupra n.72., Noriſium de Epochis Syromacedonum Diſ.I. c.3. p.45., Pagium in Critice, & Nummum, Galbae effigie obſignatum, cum epigraphe in antica SER. SVL. GALBA CAES., & in poſtica ΕΠΙ ΜΟΥΚΙΑΝ Υ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΕΤ. ΖΙΡ., ideſt *ſub Muciano anno Antiochenorum* CXVIII. Proficiſcitur hic annus ab anno Periodi Graeco-Romanae 5445. ideoque Kal. Septembribus anni Aerae Chr. Vulg. 68. inchoatur. Anno vero 69. Kal. Januarii Galba Conſulatum iniit cum T. Vinio, ut idem Noriſius in *Epiſt. Conſulari* Tom.II. p.903. 904. & 905. &, poſt ipſum, Tillemontius, Almelovenius, & Stampa tradunt. Imperium adeptus, ſe Conſulem II. deſignavit, ut conſtat ex tabella aenea honeſtae miſſionis, edita in noſtra Chronologia ad an. Ch. 68. in qua legitur, SER. GALBA. IMPERATOR. CAESAR. AVGVSTVS. P. M. TRIBVNICIA. POTESTATE. CONSVL. DESIGNATVS

TVS II. &c. Haec Tabella conſignatur A. D. XI. K. IANVAR. C. BELLICO NATALE P. CORNELIO SCIPIONE COSS. nempe anno Ch. 68. Quare Tacitus *Hiſt.* lib. I. cap. 1. (ut ſupra retulimus num. 67.) ſcribit: *Initium mihi operis Ser. Galba iterum, T. Vinius Conſules erunt.* Miror ergo, cur Antonius Auguſtinus exhibuerit hunc Nummum, de quo hoc numero ſcribere ingreſſus ſum, cum literis in antica, SER. GALBA. IMP, in poſtica vero cum epigraphe COS. V. & figura equeſtri. Pertinere namque videtur non ad Galbam, qui Conſul *iterum* tantum fuit, ſed ad Domitianum. Vide Bellorium p. 81. n. 20., Mediobarbum p. 129, Muſeum Arſchotanum Tab. 31. num. 10. & Muſellium Tom. 3. pag. 91. num. 7.

Indiculus Tabulae III. Saeculi I.

76. Nummus Galbae. Legitur in antica, SER. GALBA IMPER. in poſtica vero, CONCORDIA PROVINCIARUM. *Figura muliebris ſtolata ſtans, quae dextra ramum oleae, ſiniſtra cornucopiam tenet.* Ut Numen Concordia colebatur, & ipſi Templa conſtruebantur. In declivio Capitolii, Templi Concordiae rudera hodieque ſuperſunt. Ipſa frequenter in Nummis expreſſa cernitur, necnon in anaglyphis, modo cum figura humana, & modo per ſymbola. Cl. Montfauconius To. 1. Parte 2. *Antiq. Expliq.* p. 356. alium exhibet Gal-

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

Galbae Nummum, in quo *Concordia Provinciarum* ſedens, tenenſque dextra pateram. Tertium protulit Petrus Bellorius (*in Adnotationibus in XII. priorum Caeſarum*), cum epigraphe CONCORDIA PROVINCIARVM. In eo Dea Concordia, quae dextra oleam gerit, ſiniſtra caducaeum. Suetonius in Galba cap. 12.: *etiam per Provincias edicta dimiſit: auctor ſingulis univerſiſque conſpirandi ſimul, & ut qua poſſet quiſque opera, communem cauſam curaret*. De Provinciarum ſtatu ſub Galba, conſule Tacitum. Cuſi ſunt iſti Nummi, oppreſſis Nimphadio Sabino Romae, in Germania Fontejo Capitone, in Africa Clodio Macro Legatis. Vaillantius *Num. Imp. Rom.* To. 2. p. 70. figuram, quam heic exhibemus, ita interpretatur: „ *Mulier illa ſtolata, Pax eſt, quam ramus olivae (ejus ſymbolum) ab ea prolatus dextra, denotat; ut & laeva cornu copiae, quo omnium rerum abundantia procuratur. Illam autem conciliatam exiſtimat Galba* CONCORDIA PROVINCIARUM, *quae ad ſuam electionem conſpiravere*. Liebe in *Gotha Numaria* p. 422. alium illuſtrans Nummum, (in quo habetur altera ex parte caput Galbae nudum, cum Inſcriptione, SVLPICIVS GALba CAEſar AVGuſtus IMPerator, ex altera vero dextrae jun-

junctae, e quibus ſpicae prodeunt, addita epigraphe, L. CANINIO AGRIPPA IIVIro CORinthi), ſcribit: „ Extant Nummi Galbae argentei, inſcripti, CONCORDIA PROVINCIARVM, quibus verbis intelligitur, omnes Romani Orbis Provincias in deferenda Galbae ſumma poteſtate conſpiraſſe. Tametſi enim Hiſpaniarum, Galliarumque Civitates adhuc unae cunctantius ei acceſſerint (gravioribus propterea tributis, atque ex parte & murorum deſtructione punitae); acceſſerunt tamen: unde & in alio ejuſdem Galbae Nummo GALLIA & HISPANIA dextras, concordiae, cauſa, jungunt. Ut igitur intelligeret novus Imperator, Provinciam Achajam a ceteris nihil diverſum ſentire, ſed de eo ſibi, aeque ac ceterae, gratulari, laetaque omnia ſperare, L. CANINIUS AGRIPPA IIVIR COR*inthi* concordiae ſymbolum, dextras junctas, (unde ſpicae prodeunt, omnium rerum abundantiam, quae concordiam ſequitur, deſignantes) Nummo huic inſculpſit. Acaja, ceteroqui Provincia Populi Romani Praetoria, ordine ſeptima earum, quas recenſet Strabo lib. xvii. ſub finem, & Dio lib. liii. pag. 504; tametſi, ex Auguſti inſtituto, qui mittebantur in eas, nihilominus Proconſules dicebantur. Equidem

dem ſub Tiberio eadem Provinciis Auguſti acceſſit, ut quam, Tacito teſte Annal. lib. I. cap. 76, una cum Macedonia onera deprecantem levari, Proconſulari imperio tradique Caeſari placuit; ſed brevi poſt ſub Claudio rediit ad Populum, prout Dio, & Suetonius teſtantur lib. IX. pag. 680. in Claud. cap. 25. Vide Theupoli *Muſeum Antiq. Numiſm.* Tom. I. pag. 135.

77. Nummus Galbae. In antica IMP. SER. GALBA CAES. AVG. TR. P. Caput Galbae laureatum. In poſtica, quam heic exhibemus, ROMA. XL. R. S. C. *Roma. Quadrageſima remiſſa. Senatus Conſulto.* Roma galeata ſtans, quae dextra globum, cui victoriola impoſita eſt, & ſiniſtra ſignum militare, nempe Aquilam legionariam, tenet. Quadrageſima fuit portorium, quod publicanis pendebatur. Quintilianus *Declamat.* p. 359. *praeter inſtrumenta itineris, omnes res Quadrageſimam publicano debent*. Tacitus *Annal.* lib. 13. cap. 51. *Aliaque admodum aequa, quae brevi ſervata, dein fruſtra babita ſunt. Manet tamen abolitio Quadrageſimae, Quinquageſimaeque, & quae alia exactionibus illicitis nomina publicani invenerunt*. Loquitur de Nerone; cujus tamen abolitio vel *brevi ſervata*, vel *fruſtra habita eſt*. Galbam quoque abo-

le-

leviſſe *Quadrageſimam*, nonnullis ſatis probatum videtur argumento hujus Nummi, qui *Senatus Conſulto*, ad tradendam poſteris beneficii memoriam, in honorem ejus fuit percuſſus. Quod vero ſcribit Tacitus, manſiſſe adhuc aetate ſua abolitionem *Quadrageſimae* per Neronem factam; non ita intelligendum putant, quaſi, per Neronis Conſtitutionem, perpetua & conſtans ejus viguerit obſervatio; ſed quod (quia Galbae Imperium, & breve, & obſcurum) id ignoraverit, aut diſſimulaverit Tacitus. Vide Caſaubonum *in Suet.* Galb. cap. 15, & Urſatum de *Notis Romanorum* Theſaur. Antiq. Rom. Graevii Tom. XI. p. 949. Cuſis igitur ſub Galba Nummis, quibus Quadrageſima ab eo dicitur remiſſa, potius quam Tacito, ajunt credi oportere. At, ſi attentius totus Taciti locus conſideretur, manifeſte portoria non fuiſſe penitus ſublata a Nerone patebit. Dicit enim Tacitus, *dubitaſſe Neronem annon omnia vectigalia*, quibus portoria proprie intelliguntur, *omitti juberet*; *idque pulcherrimum donum generi mortalium daret*. *Sed impetum ejus attentum a Senatoribus, qui dicebant, diſſolvi eo pacto Imperium: cum omnia ita proviſa eſſent, ut ratio quaeſtuum, & neceſſitas erogationum inter ſe congruerent.* Aperte Senatores, hoc diſſuadentes, reſpe-

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

xerunt ad Commentarios, ſive Rationarium, quod Auguſtus de viribus Imperii confecerat, & quo omnes reditus, & onera inter ſe comparata erant; hocque ad Succeſſores tranſmiſerat, qui ſecundum illud, Imperii vires ſemper exigebant. Docebant ergo Senatores, Neronem, ſi portoria tolleret, quae magnam redituum partem conſtituebant, diſſolvi vires Imperii; & rationem, & ordinem ſubverti, ſi ordinaria commoda auferret: ſuadebant potius, ſi liberalitate aliqua vellet homines ſibi devincire, ut aboleret vectigal, quod extra ordinem erat inductum, & quod in Rationarium Imperii non relatum, nihil incommodi afferret aerario, vel fiſco, ſi tolleretur; cum rationes impenſarum ad hoc vectigal non eſſent comparatae. Sed, inquies, quodnam vectigal extra ordinem? Repono, vectigal *Quadrageſimae litium*, diverſum a portorio, quod publicanis pendebatur. De eo Suetonius, in Caligula c. 40. *pro litibus atque judiciis ubicumque conceptis, exigebatur Quadrageſima ſummae, de qua litigaretur*. Commodum itaque viſum eſt Neroni abolere *Quadrageſimam litium*, quam, non in uſus Imperii, ſed ad ſuſtinendos nepotinos ſumptus, Caligula, cum reliquis novis vectigalibus, introduxerat. Item nec a Galba ubique aboli-

tam

tamQuadrageſimam portorii fuiſſe opinor:id enim exNummis non elicitur:nec tam pingue erat Galbae beneficium,ut ipſe omnino tollere poſſet hoc vectigal. Solum *de remiſſa Quadrageſima* loquunturNummi.Jam vero notiſſimus eſt ille Imperatorum mos ' ut aliquibus Civitatibus,velProvinciis,bello,aut aliis calamitatibus afflictis,vectigal aliquando ex parte remitterent,quo earum miſerias levarent;aliis in quoſdam tantum annos immunitates a vectigali darent,manente tamen,& non abolito ubique vectigali. Sic Suetonius narrat,Caligulam *ducenteſimam auctionum*,*Italiae*,non reliquis Provinciis *remiſiſſe*: de qua remiſſione Nummi quoque extant.Non inde tamen recte concluditur,*ducenteſimam* ab eo ubique ſublatam. Recte ergo omnia ſe habebunt, ſi Nummum,quem illuſtramus, de peculiari, aut temporaria aliqua remiſſioneQuadrageſimæ(quo beneficio auſpicia Imperii ſui aliquibus commendaret) interpretemur, non de perpetua portorii abolitione, ac generali; cum illud etiam poſt ea tempora ſuperfuerit.Suetonius in Veſpaſiano c.1.n.4.*Publicum*,inquit,*Quadrageſimae in Aſia egit*: atque, ut ſcribit Symmachus Epiſt. v. *63*, *Quadrageſimae portorium, ſive vectigal, non recte poſcitur a Senatoribus candidatis*. Vide Pitiſcum in Lexico,qui hanc

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

inſuper refert veterem Inſcriptionem, Q. VINCTIO AVG. TABVLARIVS XXXX. GALLIARVM, quam *de Tabulario Quadrageſimæ* interpretatur Cl. Reineſius. Egregie hunc (inquit idem Pitiſcus) lapidem, & ſenſum illuſtrat, in quo XXXX. pro *Quadrageſimae* portorio eadem ratione ſignatur. Duos quoque allegat Nummos ejuſdem Galbae, noſtro perſimiles in epigraphe. Unum, cum viro ferente ſpolia, & inſcriptione, XXXX. REMISSA. S. C., alterum, qui rarior eſt, cum Arcu, & literis, QUADRAGESIMA REMISSA. Utriuſque meminit etiam Petrus Bellorius *in Adnotationibus in XII. priorum Caeſarum Numiſmata* p. 54. n. 14, qui item Nummum, de quo loquimur, his verbis deſcribit: „ Nummus (inquit) Galbę ex aere, ROMA. XL. R. Roma. Quadrageſima Remiſſa. Caſaubonus in Taciti Comentariis ſcribit, nomen id eſſe portorii, quod publicanis pendebatur, de quo idem Tacitus lib. XIII. Annalium, de Nerone loquens. Sed vectigal ipſum, a Nerone aut non abolitum, aut abolitione brevi ſervata, ex Taciti verbis: *aliaque admodum aequa, quae brevi ſervata, dein fruſtra habita ſunt. Manet tamen abolitio Quadrageſimae, Quinquageſimaeque.* Haec revera provenit ex indulgentia Galbae, teſtibus pl urimis Nummis a Senatu percuſſis,

cuſſis , ad tradendam poſteris hujus beneficii memoriam , ut inquit idem Caſaubonus . Sed , quod fuit Galbae imperium breve , & obſcurum , nullus Scriptorum meminit ; ipſamque liberalitatem aut ignoravit, aut diſſimulavit Tacitus . Legitur in aliis , REMISSA XXXX. & praeter hunc , cum ſimulacro Romae , & alium cum ſimulacro Libertatis ſupra notatum , extat tertius Nummus , cum Arcu Triumphis inſigni , & eodem titulo . Optima vero conjectura Triſtanus cenſet , denarios argenteos Marci Antonii , Lugduni ſignatos cum numerica nota A. XL. , ex hoc vectigali ſolutos, literaſque A.XL. argentum Quadrageſimale, aut Quadrageſimae ſignificare, ut in argenteis Auguſti nu. 3. Notat etiam ex Plutarcho , Gallos , qui cum Vindice adverſus Neronem conſpiraverant , Romana civitate donatos a Galba , immuneſque factos tum ceteris vectigalibus , tum Quadrageſima ; quod etiam innuit Suetonius : *Galliae ſuper memoriam Vindicis obligatae recenti dono Romanae Civitatis , & in poſterum tributi levamento* „ . Vide Vaillantium *Numiſm. Imp. Rom.* Tom. I. pag. 24. ac Teupol. *Muſ. Antiq. Numiſm.* Tom. I. pag. 410.

78. Teſſera Gladiatoria, quam ego ſic lego, *Myrtilus Attiae ſervus pugnavit III. Nonas Ju-*

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

Junias, Lucio Sulla (Felice) & *Lucio Sulpicio* (Galba) Conſulibus, nempe anno Aerae Chr. Vulg. 32. Vide noſtram Chronologiam ad eundem annum. Litera S (ut in hac Teſſera) cum ſequitur nomina propria, ſervum, vel ſervam denotat:exempli cauſa AVG.N.S. *Auguſti noſtri ſervus*, ut animadvertit Urſatus *de notis Romanorum* in Theſauro Antiq. Rom. Graevii To.x1.p.949. In Tabula tamen Nolana apud Gruterum p. 1087. hi Coſs. ſic nominatur, SER. SVLPICIVS. GALBA. L.SVLLA. FELIX. COS. Quare Pagius in Critice ad annum Chriſti 33. n. 1. „ Galba, *inquit*, qui poſtea imperavit, dicitur etiam Servius a Tacito lib. 6, & a Dione lib. 58, ubi hujus anni Conſules laudant. Cardinalis Noriſius tamen in Epiſtola Conſulari pag. 16., poſtquam retulit hunc Suetonii locum in Galba cap. 4 (*adoptatus a noverca ſua*, nempe Galba, *Livii nomen, & Ocellae cognomen aſſumpſit, mutato praenomine. Nam & Lucium mox pro Servio, uſque ad tempus Imperii uſurpavit*), ait: *ego mallem in Conſulatu Lucium vocare* (nempe Galbam), *quod illud praenomen tunc ferebat, eodemque in publicis monumentis ejus anni obſignabatur*. At, cum in mox laudata Inſcript. Nolana, atque a Tacito, & Dione, *Servius*, non *Lucius*, appelletur, Gal-

Digitized by Google

Galba, manifeſtum eſt (proſequitur Pagius) *Lucii* praenomen in Faſtis ei attribuendum non eſſe. Certe Romani ſępe quibuſdam nominibus vulgo inſigniebantur, quibus tamen in publicis monumentis nuncupari non ſolebat. Sic Cajus in Nummis ſaltem Latinis numquam Caligula vocatur: ſic Gallienus Minor in Nummis eo nomine numquam vocatur. „ Teſſera Gladiatoria, de qua loquimur, extat apud memoratum Eminentiſs. Noriſium *in Epiſtola Conſulari* p. 18. & apud Fabrettum *Inſcriptionum* pag. 39. Eandem, vel ſimilem ſe quoque habuiſſe teſtatur Fulvius Urſinus in Notis ad librum 6. Taciti; quam tamen, (allatum Suetonii teſtimonium in Galba cap. 4. non obſervans), haud recte exponit. Ex hac Teſſera ſemeſtris Conſulatus Galbae a Suetonio memoratus intelligitur, ſimulque *Lucii* praenomen, quod, pro *Servio*, ab adoptione uſque ad acceptum Imperium tulit. Hac occaſione Plutarchus mihi, ex eodem Noriſio, corrigendus eſt, dum de L. Sulpicio Galba in Vita illius ſcribit: *Erat etiam Liviae uxori Caeſaris Galba genere conjunctus: itaque opera Liviae ex Palatio Conſul proceſſit*. At Livia Auguſti uxor ac Tiberii mater, ante quadriennium, quam Galba Conſulatum gereret, e vita deceſſerat: quare non

ejus

ejus opera Conſul deſignatus fuit. Quod Galba eximie Liviam coluerit, ſcribit Suetonius cap. 5. *Et vivae gratia plurimum valuit, & mortuae teſtamento pene ditatus eſt. Nam HS. quingenties illi legavit, haerede Tiberio Legatum ad quingenta revocante, ne haec quidem accepit.* Fortaſſis pro pecunia Conſulatum tulit. Ea ſumma Legati valebat Romanae monetae millionem, uti vocant, ducenta ac quinquaginta millia ſcutatorum. Relatae Pagii ſententiae de praenomine Galbae inhaeret Stampa in continuatione Faſtorum poſt Sigonii Faſtos. At Cl. Georgius in Notis ad eundem Pagium ſcribit: *cum in Teſſera apud Fabrettum, quae Conſulatum Galbae praefert,* LUCII *praenomen legatur, non immerito Blanchinus* (Patruus meus) LUCII *praenomen in ſua Chronologia retinuit.* Suffectum *Galbae* Conſulem eodem anno (32. juxta noſtram Chronologiam) fuiſſe *L. Salvium Othonem* patrem Othonis Imperatoris, docet Suetonius in Vita cap. 6. *Evenitque, ut in eo, ipſe* (Galba) *L. Domitio patri Neronis, ipſi Salvius Otho pater Othonis ſuccederet, velut praeſagium inſequentis caſus, quo medius inter utriuſque filios extitit Imperator.*

79. Nummus Galbae, cum epigraphe, SER. GALBA. IMP. CAESAR. AVG. P. MAX.

MAX. TR. POT. *Caput Galbae laureatum*. Vide Vaillantium Tom. I. *Numiſmat. Imp. Rom.* pag. 63. De hoc Nummo dicetur infra num. 81., ubi poſticam ejus prae oculis poſitam illuſtrare conabor.

80. Inſcriptio Galbae. Extat in Aedibus MuſeiCapitolini,Cubic.I.num.xvii.Ipſa vero Horriorum (lege *Horreorum*) Sergii Galbae Imperat. Auguſti clare meminit:uti etiam *Notitia Dignit.Imper.Occid.*, quam videre licet apud Nardinum *Rom. Vet.* lib. vii. cap. 9. Quare miror,Cl.Pitiſcum ſcribere inLexico, *Horrea Galbae non lego, ſed Galbionis, quia non Galbana, ſed Galbiana vocantur a Victore in XIII. Urbis Regione*, Horreorum Galbianorum Fortunae: *quod dicitur, quia Simulacrum Fortunae Conſervatricis bis* Horreis *adſtabat*; *quod ea tueri a Gentibus credebatur, ut haec oſtendit Inſcriptio*:

SACRVM . FORTVNAE . CONSER
VATRICI . HORREOR .
GALBIANORVM
M. LORINVS . FORTVNATVS MAGISTER
S. P. D. D.

Lorinus Sacrum *illud ſua pecunia dedicavit*. *Appellatur* Magiſter, *nimirum Regionis XIII.*

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

Galbio, unus fuit ex Ducibus Valentiniani, contra Bonifacium Africae Tyrannum miſſus circa an. 420., ut auctor eſt Proſper; a quo GALBIANA HORREA (*quae forte ille Annona impleverat, aut ad hunc uſum Reipublicae tradiderat*) *ſunt appellata*. GALBANA *vero, a Galba Principe, vel alio ex ea Familia derivantur: ſed aliqua anterioribus temporibus eorum mentio fieret*. Ego tamen ſic exiſtimo: ſi a Galbione illis Horreis a Victore memoratis factum nomen foret, non Galbianorum, ſed Galbionorum ſcribendum fuiſſet: tum & in Notitia vitium eſſet, in qua legitur, HORREA GALBAE: demum noſtra haec Inſcriptio (quæ extat in baſi cujuſdam columnæ, olim forte ad uſum Haec Pitiſcus. Horreorum) edita a Muratorio Tom. I. *Novi Theſ. Vet. Inſcr.* p. CCCVII. nu. 2, nullum relinquit amplius Antiquitatis cultoribus de *Horreis Galbae* dubitandi locum. Horrea in ſingulis Urbis Regionibus conſtruebantur. Numerus, ex P. Victore, pertingit ad trecenta & novem. Erant vel publica, vel privata. Cognomina pleriſque addita fuere ab Auctore. Memorantur ſaepe a veteribus horrea Aniceti, Vargunteji, Sejani &c. Item, ut de illis ab Imperatoribus conditis loquar, horrea Auguſti, Germanici, Agrippinae, Galbae, Domitiani, & Dio-

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

Diocletiani &c.quae in antiquis Deſcriptionibus Urbis nominantur. Illorum uſus erat non tantum ad reponenda frumenta, verum etiam ad alia commoda, nempe ad aſſervanda depoſita, pignora, ac pretioſiſſima quaeque, ut conſtat ex Cod. *de pignor. act.* & Paull. l. 3. ff. *de Offic. Praef. Vig.* ac l. 6. ff. *de edendo*. Vide Samuelem Pitiſcum, Strevvech.*in Vegetium* lib.III.c.7,Pancirolum*Deſcript. Urb.Rom.*, Bulengerum *de Imper.Roman.* lib. vi. cap. 5., Salmaſium *in Lampridium*, & Briſſonium *Ant. ſelect.* lib.4. c.18. At haec, de *Horreis* dicta, ſint ſatis. Nunc reliqua noſtri marmoris Capitolini breviter expendamus.AnnoAerae Chriſti Vulgaris 68 Conſules proceſſere Silius Italicus & Trachalus. Vide noſtram Chronologiam ad eundem annum. Cum Imp. Nero menſe Martio, Neapoli commorans in Campania, defectionem Vindicis in Galliis audiviſſet, *urgentibus aliis ſuper alios nuntiis, Romam praetrepidus rediit*, ut ſcribit Suetonius in ejus Vita cap.41. *non tam poenitentia, quam perficiendi deſperatione; credenſque expeditionem neceſſariam, Conſules ante tempus privavit honore, atque in utriuſque locum ſolus iniit Conſulatum, quaſi fatale eſſet, non poſſe Gallias debellari niſi a Conſule*. Silius autem Italicus &

Trachalus in ſex primos tantum menſes dicti an. 68. Conſules dati erant. Mos enim fuit Neroni, eodem Sueton. teſte c. 5, ut in ſenos menſes Conſulatum plerumque daret. At Romae (ut animadvertit Cl. Præſul Georgius in notis ad Criticam Pagii) in Aedibus fel. rec. Marchionis Alexandri Gregorii Capponii ſequens extat veteris lapidis fragmentum, in quo Neronis *quintus Conſulatus*, ejuſque Collega Trachalus legitur:

............DITORIO VINAR VTA
.... ALPIAE . QVARTILLAE . VXORI
.... SVE . V. A. LXX.
............O. FACT. EST . NERONE . V. ET . TRACHA
.... QVI . AD . HOC . OFFICIVM . VENISTIS
.... STIO . NOLITE

Quintus hic eſt, & noviſſimus Neronis Conſulatus, nuſquam in veteribus monumentis memoratus; de quo plane tamen loquitur Suetonius. Vide Plinium in Panegyrico Trajani capite 57, & lib. 3. Epiſt. 7. Collega Neroni Trachalus a marmorario in allato lapide datus eſt, ignota nobis de cauſa: nam alioqui lapis iſte cum Suetonio pugnaret. Silius autem poſt Conſulatum, quem cum Nerone geſſit, a Republica receſſit, & honeſto otio ſe

ſe mancipavit, ut patet ex Martiale lib. 7. Epigram. 63. Die nona Junii ejuſdem anni 68, Nerone interfecto, ſuffecti fuerunt Kal. Septembris Conſules in noſtro Lapide memorati, nempe *C. Bellicus Natalis*, & *P. Cornelius Scipio Aſiaticus*. Eorum nomina leguntur & in baſi (quæ olim extabat in Aedibus Maffejorum) apud Gruterum pag. 238. n. 12. itemque in antiquo Lapide apud Fabrettum *Inſcript.* pag. 108. num. 262, necnon in alio *Veteris Latii* To. 2. p. 196, & in Tabula aenea Honeſtae Miſſionis, quam edidimus ſupra in noſtra Chronologia nu. 68. Ibi vero Inſcriptio Capponiana erroribus expurgata comparet, quos, facta diligenti cum marmore collatione, heic etiam a vitiato Cl. Georgii loco in Notis ad Pagium, nos ſumma cura expungi curavimus.

81. Nummus Galbae. Legitur in antica, (quam vide ſupra num. 79.) SER. GALBA IMP. AVG. P. MAX. TR. POT. in poſtica vero, cujus heic typum repraeſentamus, SENATVS PIETATI AVGVSTI S. C. Imperator Galba paludatus ſtans, coronatur a Genio Senatus, ſiniſtra ramum gerente, ut interpretatur Cl. Vaillantius *Num. Imp. Rom.* Tom. I. pag. 23. & 25. Pietas, ut Dea a Veteribus colebatur; eaque vel Auguſtorum, Au-

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

Auguſtarumque, vel Romana, aut Senatus. *Pietas Auguſti in Galba*, (inquit Montfauconius Tom. I. *Antiq. Expliq.* pag. 352. n. 4.) *ſedens, manum hominis capiti imponit, fortaſſeque Imperatoris*. Galba, ad ſublevandam Remp. Neronis tyrannide oppreſſam, in Hiſpania a militibus electus eſt, favente Senatu. Pietas Senatus, etiam in Nummo Commodi repraeſentatur per Senatorem, manum alteri figurae porrigentem; atque ea fortaſſe figura Imperatorem exprimit. Quae Graecis εὐσέβεια, Latinis PIETAS dicebatur. Romani potiſſimum eidem Templum aedificavere, cujus veſtigia hodieque ſuperſunt. De eo ſic Livius lib. 7. capite 36. *Aedes duae eo anno dedicatae ſunt. Altera in Foro Olitorio Pietatis: eam Aedem dedicavit M. Acilius Glabrio Duumvir, ſtatuamque auratam, quae prima in Italia ſtatua aurata eſt, Patri Glabrioni poſuit. Is erat, qui ipſe eam Aedem voverat, quo die cum Rege Antiocho ad Thermopylas depugnaſſet, locaveratque idem ex Senatus Conſulto*. Et Plinius, *locus ille eidem conſecratus eſt Deae* (Pietati), *C. Quintio M. Acilio Coſs. Templo Pietatis extructo in illius carceris Aede, ubi nunc Marcelli Theatrum eſt*. Igitur Aedes Pietatis erat in Foro Olitorio, ubi poſtea Marcel-

li

li Theatrum, in quo nunc viſuntur Aedes Principum Sabellorum. In aliis Nummis Pietas aliis exprimitur modis. Vide eundem Montfauconium ibid. pag. 354., ubi Nummus exhibetur, in quo Mulier ſedens, cujus caput velo obtegitur, laeva quaſi ſceptrum tenet, lilio ſuperne terminatum; dexteramque manum imponit capiti pueri ramum tenentis, cum epigraphe PIETAS AVGVST. In alio Nummo Antonini Pii, Pietas dextera manu globum, & ſiniſtro brachio infantem geſtat; ad ejuſque pedes duo alii parvuli ſtant, cum literis PIETATI AVG. COS. IIII. In Matidiae Nummo Pietas ambas manus capitibus duorum parvulorum imponit, cum inſcriptione PIETAS AVGVST. De Galbae Imperio, moribus, diſciplina, & ſtudio militari, adventuque in Urbem, conſulendi Suetonius, Plutarchus, Tacitus, ac Dio. Forte in noſtro Nummo Galba ſtans, ac ſiniſtra ramum gerens, L. Piſonem Frugi Licinianum nobilem juvenem ab eo in filium adoptatum, & Cæſarem creatum repræſentat. Vel, ſi lubet, Senatus, qui Nummum in Galbae honorem cudit, ad illud reſpexit, quod Suetonius in Nerone cap. 10. de ipſo Galba literis commendavit, ſcribens: *Conſalutatuſque Imperator, Legatum ſe Senatus ac Populi Romani pro-*

Auguſtarumque, vel Romana, aut Senatus. *Pietas Auguſti in Galba*, (inquit Montfauconius Tom. I. *Antiq. Expliq.* pag. 352. n. 4.) *ſedens, manum hominis capiti imponit, fortaſſeque Imperatoris*. Galba, ad ſublevandam Remp. Neronis tyrannide oppreſſam, in Hiſpania a militibus electus eſt, favente Senatu. Pietas Senatus, etiam in Nummo Commodi repraeſentatur per Senatorem, manum alteri figurae porrigentem; atque ea fortaſſe figura Imperatorem exprimit. Quae Graecis εὐσέβεια, Latinis PIETAS dicebatur. Romani potiſſimum eidem Templum aedificavere, cujus veſtigia hodieque ſuperſunt. De eo ſic Livius lib. 7. capite 36. *Aedes duae eo anno dedicatae ſunt. Altera in Foro Olitorio Pietatis: eam Aedem dedicavit M. Acilius Glabrio Duumvir, ſtatuamque auratam, quae prima in Italia ſtatua aurata eſt, Patri Glabrioni poſuit. Is erat, qui ipſe eam Aedem voverat, quo die cum Rege Antiocho ad Thermopylas depugnaſſet, locaveratque idem ex Senatus Conſulto*. Et Plinius, *locus ille eidem conſecratus eſt Deae* (Pietati), *C. Quintio M. Acilio Coſs. Templo Pietatis extructo in illius carceris Aede, ubi nunc Marcelli Theatrum eſt*. Igitur Aedes Pietatis erat in Foro Olitorio, ubi poſtea Marcel-

li

li Theatrum, in quo nunc viſuntur Aedes Principum Sabellorum. In aliis Nummis Pietas aliis exprimitur modis. Vide eundem Montfauconium ibid. pag. 354. ubi Nummus exhibetur, in quo Mulier ſedens, cujus caput velo obtegitur: laeva quaſi ſceptrum tenet, lilio ſuperne terminatum; dexteramque manum imponit capiti pueri ramum tenentis, cum epigraphe PIETAS AVGVST. In alio Nummo Antonini Pii, Pietas dextera manu globum, & ſiniſtro brachio infantem geſtat; ad ejuſque pedes duo alii parvuli ſtant, cum literis PIETATI AVG. COS. IIII. In Matidiae Nummo Pietas ambas manus capitibus duorum parvulorum imponit, cum inſcriptione PIETAS AVGVST. De Galbae Imperio, moribus, diſciplina, & ſtudio militari, adventuque in Urbem, conſulendi Suetonius, Plutarchus, Tacitus, ac Dio. Forte in noſtro Nummo Galba ſtans, ac ſiniſtra ramum gerens, L. Piſonem Frugi Licinianum nobilem juvenem ab eo in filium adoptatum, & Cæſarem creatum repræſentat. Vel, ſi lubet, Senatus, qui Nummum in Galbae honorem cudit, ad illud reſpexit, quod Suetonius in Nerone cap. 10. de ipſo Galba literis commendavit, ſcribens: *Conſalutatuſque Imperator, Legatum ſe Senatus ac Populi Romani pro-*

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

profeſſus eſt. Quamvis enim, teſte eodem Suetonio, *ut* (Galba) *occiſum Neronem cognovit, depoſita Legati, ſuſceperit Caeſaris appellationem*, demiſſi tamen piique animi ſpecimen dedit in prima Imperatoris Caeſaris Auguſti conſalutatione.

82. Inſcriptio Galbae. Extat Tuſculi in aquaeductu; eamque a Dominico Matthaejo acceptam edidit Cl. Muratorius *in Novo Theſ. Veter. Inſcr.* pag. 476. nu. 2. Quid ſibi ipſa velit, ediſſerat felicior aliquis. *Felix* cognomen eſt, teſte Sigonio *de Nom. Rom.* cap. 5. In Cornelia Gente Syllae adhaeſiſſe, probant ejuſdem denarii: patetque, vere adſertum ab Appiano *Bel. Civil.* lib. 1. pag. 410 illam *Felicis* appellationem, Syllae ab adulatoribus tributam, poſtea eidem in cognomen vertiſſe, & Statuam Equeſtrem pro roſtris S. C. illi cum hoc nomine erectam. Frequens poſtea apud Romanos evaſit: unde paſſim in marmoribus *Felix*. Scilicet boni ominis loco habitum fuit apud Veteres fauſtum id genus nominis, ut animadvertit Spanhemius *de praeſt. Num. Differt. VI.* pag. 530., & Syllae exemplo a Caeſaribus poſtmodum fuit admiſſum. *Commodo*, peculiari Senatus Decreto conceſſum legimus apud Lampridium c. 8: *inter haec* (inquit) *Commodus, quum occidiſſet* Pe-

Digitized by Google

Perennem, appellatus eſt FELIX. *Inter plurimas caedes multorum civium, quaſi quidam novus Sylla.* Vide laudatum Spanhemium ibidem *Diſſert. VIII.* pag. 725. Si divinari liceret, ita hunc lapidem interpretarer: *Felix armis Imperator Servius Galba Vir Clariſſimus.* Galba, qui in Hiſpaniis Proconſul erat, die 3. menſis Aprilis ab exercitu proclamatus, Imperium arripuit, & Julii Vindicis hortatu arma in Neronem coepit. Mortuo Nerone, Imperator ad Urbem venit, a quo petierunt Praetoriani Neronis, ut in eodem gradu militiae relinquerentur, quo hactenus fuerant. Galba ſe deliberaturum reſpondit: illi contra ſunt tumultuati: ſed Galba, qui dixit, ſe non emere militem, ſed legere; immiſſo exercitu 7000 Praetorianos occidit, & reliquos mortem deprecantes decimavit, ut narrat Xiphilinus. Aelius Marcianus, qui floruit ſub Antonino Pio, Senatores *Viros Clariſſimos* dicit, Lege *deferre* 18. in princip. *de jur. fiſc.* Vide etiam Pancirolum *in Notitia Dignitatum Imperii Orient.* cap. 1. & Bulengerum *de Imp. Romano* lib. II. cap. 19. Idem titulus deinde in Provinciarum Magiſtratus, aliosque tranſiit: & in primis Conſules, mox Proconſules (ut erat GALBA, quando a militibus Imperator ſalutatus eſt) *Viri*

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

ri *Clariſſimi* dici coeperunt. Ita eos Antoninus Pius in coll. leg. Rom., & Severus appellant in leg. 3. Cod. *de his, qui not. infam.* In *Clariſſimis* quoque *Viris* recepti ſunt Conſulares, ideſt Praeſides Conſularibus ornamentis decorati; quorum Dignitas *Clariſſimatus* vocatur leg. 2. Cod. *de dom. & prot.* Scribebatur autem *Vir Clariſſimus* his notis, V.CL. vel V.C. cujus rei multa ex legum ſubſcriptione, & lapidibus patent exempla.

83. Nummus Clodii. Mors Neronis omnibus grata, varios animorum motus pro Galba excitavit, praecipue apud Legiones, & apud Populos. Evulgato Imperii arcano, poſſe Principem alibi, quam Romae fieri, ingens novis rebus materia. In Africa Clodius Macer, in Germania Fontejus Capito aliquid moliti ſunt. Tacitus de aliis Provinciis loquens, Hiſtor. lib. 1. *duae*, inquit, *Mauretaniae, Rhetia, Noricum, Thracia, & quae aliae Procuratoribus cohibentur; ut cuique exercitui vicinae, ita in favorem, aut odium, contactu valentiorum agebantur.* Tandem utraque Mauretania Galbam electum probavit. Cum enim ille uni L. Albino eas Provincias regendas dediſſet, eodem Hiſtorico teſte Hiſt. lib. 2. *Albinus a Nerone Mauretaniae Caeſarienſi praepoſitus, addita per Galbam Tingi-*

gitanae Provinciae adminiſtratione, haud ſpernendis viribus agebat: Babbenſes Numidiae Tingitanae, Neronis ſtudioſi, tandem ipſius extorſiones & rapinas experti, Galbae partes ſecuti ſunt, Victoriamque, coronam dextra geſtantem, ob Clodium Macrum in Africa per Garucianum Procuratorem interemptum, in ejus Nummis percuſſerunt, ut ſcribit Vaillantius *de Coloniis* Tom. I. p. 184. Patinus *de Num. Imp. Rom.* p. 124. hunc Nummum Clodii ita deſcribit: „ in antica legitur, CLODIVS MACER. S.C. Effigies Clodii: in poſtica, PROPRAETOR AFRICAE. *Navis Praetoria*. Cum Neronem publicum Humani Generis odium oppreſſiſſet, multis, ut ſcribunt Suetonius, Tacitus, ac Plutarchus, rerum novarum ea viſa eſt occaſio. Vindex in Gallia vivo Nerone ceciderat. Galba Hiſpaniae Tarraconenſi Praefectus, Imperator Senatus decreto deſtinatur: Romae Nymphidius turbas, in Germania Rufus, poſtque eum Capito. Hos inter L. etiam Clodius Macer Africae Propraetor, avaritia & crudelitate magnus, de cetero tantis coeptis per omnia impar, ſeſe eminere prorſus ſperavit: talia molientem Trebonius Garucianus Procurator juſſu Galbae interemit. Ejus effigiem refert perrarus Nummus in una parte; in altera eſt navis,

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

qua ſibi Mare liberum, ceteris clauſum, contendebat: quibus artibus, Italiam fame preſſurum minabatur, ſi alter eligeretur Imperator; frumentis ditaturum, ſi ſibi cederet Imperium „. Huc uſque Cl. Patinus. Sed Liebe in *Gotha Numaria* pag. 245. §. v. inquit, „Clodio Macro, (quem in Africa haud dubie turbantem Trebonianus Garucianus procurator juſſu Galbae interfecit, prout Tacitus teſtatur, qui alibi eundem *Dominum minorem* vocat, inter Imperatores Romanos, quem tot alii tyranni tenent locum) abjudicat Illuſtr. Spanhemius Tom. II. pag. 241. Cum tamen Nummi ejus extent, quorum aliquem ipſe ex ſchedis Morellianis laudat Vir ſummus, tametſi eum, quem Triſtanus primo, deinde & Patinus vulgarunt, adulterinis accenſeat, neque inter familiarum Romanarum Nummos adhuc comparuerint, non abs re fuerit eum, quem Theſaurus noſter ſervat, hoc loco producere. De ejus fide ſi quis dubitandum putarit, ei nihil nunc aliud reſpondeo, quam Morellio noſtro, non imperito harum rerum judici, eundem probatum eſſe: unde & ectypus ejus, una cum tribus aliis hujus Macri Nummis, inter miſcellanea, quae ille operi ſuo de Nummis Romanarum Familiarum ſubtexuit, locum obtinet. Adverſa pars, caput

caput Leonis praefert, Africae ſymbolum, (leonum enim ferax Africa), cum literis L. C. MACRI S. C. Averſa aquilam Legionariam inter duo ſigna Cohortium, cum Inſcriptione LEG. III. AVG. LIB. Hunc Nummum ſi conferamus cum eo, quem a Georgio Barbaro Senatore Veneto acceptum cum ſexcentis aliis, raritate, mole, & elegantia conſpicuis, Theſauro Regio Verſalienſi ſe intuliſſe ſcribit Vaillantius, haud una diverſa reperiemus. Inter averſas equidem paginas nihil magnopere diſcriminis intercedit; niſi quod in epigraphe, LEG. III. AU G. vox poſtrema diverſum locum occupat, & ſupra aquilam: in noſtro praeterea literae LIB. expreſſae cernuntur. Sed adverſa in parte non tantum typus differt, (in Verſalienſi enim caput femininum propoſcide elephantina inſigne; in hoc caput Leonis) ſed etiam Inſcriptio. In illo enim legitur: C. CLODI. MACRI LIBERA S.C. in hoc L. C. MACRI S.C. ubi, ut vocem LIBERA taceam, quae in Verſalienſi, non item noſtro comparet; praenomen in utroque Nummo diverſum ſeſe offert. In hoc enim Clodius Macer L. hoc eſt LUCIUS appellatur; in Verſalienſi C. hoc eſt CAJUS, de quo praenomine ita Vaillantius ad Seguinum pag. 411. *Notandum eſt*, inquit, *in utro-*

utroque & Triſtani, & Patini Nummo, literam L, *ideſt* LUCII, *praenominis Clodii Macri, pro* C, *ideſt* CAJI, *eſſe ſignatam*: *conſtanter autem litera* C *in Nummo Regio legitur, & Sole clarior apparet*; *Cum* C. *non multum differat a litera* L., *an alter ab altero, qui Nummum male legerit, mutatus eſt literam? Praenomen enim Lucii, ex Suetonio, genti Claudiae aptari nequit*: & quae ſequuntur. Sed Nummum Nummo opponere licet: ex quibus ſi alteruter νοθείας accuſandus, ſuſpicione forte majori laborat Verſalienſis, quam Gothanus, ei, quem Occo, & Patinus produxere, hac ex parte conformis; cum Verſalienſi gemini Nummi teſtimonium deſit. Neque verò Occonis iſte, & Patini Nummus, ad quem provoco, ſpurius, ille aereus eſt, quem Triſtanus primo, deinde & idem Patinus inter Nummos Imperatoris vulgavit; in quo hinc caput Macri, cum Inſcriptione L. CLODIVS MACER S. C., illinc triremis, cum literis PROPRAE. AFRIC. De diverſo longe mihi ſermo eſt, eo nempe, de quo Vaillantius ad Seguinum p. 410.: *Rem penitus confirmat elegantiſſimus ille argenteus Nummus a Cl. Patino vulgatus, aut ab ipſo obſervatus, aut ex Occone excerptus, in quo ipſa Libertas ſtans cum pileo, ab una parte ſignatur* C. CLODI. MACRI. *& in*

aver-

averſa, ſigna militaria cum epigraphe LEG. I. MARIANA LIB. Ubi, ut de errore typographico taceam, quo MARIANA poſitum eſt, pro MACRIANA, a vero alienum eſt, quod Vaillantius affirmat, in eo Nummo legi C. CLODI. MACRI; cum & apud Occonem, & in Icone Patini praenomen L. reperiatur. His accedit, in quatuor illis Nummis, quos Morellium inter Miſcellanea Operis de Familiarum Romanarum Nummis, repraeſentaſſe dixi, idem praenomen, non C. ſculptum cerni. Inter illos, ſecundum locum occupat Verſalienſis; in cujus adverſa parte inſcriptio non eſt, ut apud Vaillantium, C. CLODI MACRI LIBERA S.C. ſed L. CLODI MACRI LIBERTAS S.C. Familiam vero ducit, quem in Schedis Morellianis a ſe viſum tradit Illuſt. Spanhemius cum Inſcriptione, M. CLODIVS MACER PROPR. AFRICAE. In eo hinc caput Macri, cum Inſcriptione, L. (non M.) CLODI. MACER; illinc triremis, cum verbis PROPR. AFRICAE. Unde patet, ſi typum ſpectes, non magnopere eum differre a ſpurio illo Triſtani, & Patini, de quo dixi: id tamen ſatis utrumque ab invicem ſecernit, quod ille aereus eſt, Morellianus vero argenteus, perinde ac ceteri, quos ille delineatos dedit.

Quod

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

Quod vero Cl. Vaillantius e Suetonio obſervat, praenomen Lucii Genti Claudiae haud uſurpatum fuiſſe, id num ſatis ad rem faciat, ipſe viderit;qui;an Claudia & Clodia Familia una eademque ſit, nec ne,definire non audet. Lucium certeClodium haud unum memorat vetus Inſcriptio apud Gruterum pag. 866. 2.

T. CLODIVS . L. F. CORSVS . PETILLIA
M. MAENA . L. CLODIVS . L. F. ET . C.
CLODIVS . L. F. ET . T. CLODIVS . L. F. FECIT
LAETVS . LIBERTVS . ET . FIRMVS
LIBERTVS . QVOD . TESTAMENTO
FIERI . IVSS.

Huic Inſcriptioni jungo aliam ex Reineſio Claſs. VI. 26. pag. 406.

L. CLODIO . C. F. SERG.
VITELLINO . II. VIR . I. D.
IVDIC. EX V. DEC.
EQVO . PVBL.
VIC. DEFVNCTVS . ORDO
DECVRIONVM . LOCVM
SEPVLTVRAE .

Haec de Praenomine: de Cognomine MACRI, unde MACRINUM comminiſcitur Cl. Harduinus (Hiſt. Aug. Opp.Sel.p.729.)

Scri-

Scriptorum graviſſimorum auctoritate confirmato, nihil addo. Neque enim deſunt exempla Nominum propriorum, gignendi caſu poſitorum in Nummis, & ſi MACRI*nus* legendum eſſet, litera N. haud dubie adjecta cerneretur. Ita legitur in Nummis, A. ATILIA. F. CALATIN. non CALATI; L. PISO L.F.CÆSONIN., non CAESONI.; M.MARCELL.M.F.M.N.AESERNIN., non AESERNI.; TI.MINVCI., C.F. AVGVRIN., non AVGVRI.; T.QVINCTIVS. CRISPIN. non CRISPI.; L.SEMP.ATRATIN. non ATRATI.; C.SENTIVS C. F. SATVRNIN., non SATVRNI. Mirum autem, cur idem Vir Doctiſſimus Nummum Occonis vitioſe deſcriptum, tanto conatu in ſuſpicionem adducere laboret, quem non ignorabat, emendatiorem a Patino exhiberi; cujus quidem delineationem ſi ob oculos habuiſſet Clariſs. Harduinus, Nummum propterea, quod CLODI. non CLOD. ſcriptum in eo ſit, quodque Libertatis effigies pateram ſiniſtra teneat, non damnaſſet.,, Huc uſque Liebe in *Gotha Num.*

84. Fragmentum Faſtorum Municipalium, in vico S. Pauli prope Nolam effoſſum, atque editum a Grutero *Inſcript.* pag. 1087. n. 12. in quo legitur: SER. SVLPITIVS GALBA & L.SVLLA FELIX COSS. Hi proceſſerunt

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

anno Aerae Chriſti Vulg. 32. Vide noſtram Chronologiam, & quae ſcripſimus ſupra num. 78 hujus Tabulae. Lucius Galba, qui poſtea imperavit, heic dicitur *Servius*. Eminentiſſimus Card. Noriſius in *Epiſt. Conſ.* Tom. 2. pag. 866. & ſeq. „ Anno, (*inquit*) U. 786. Chriſti 33. (juxta nos 32.), a Tacito lib. 6 laudantur Conſules *Ser. Galba*, *L. Sulla*; a Dione lib. 58. *Servius Galba, is qui deinde Imperator factus eſt, & L. Cornelius Sylla*. Qui iidem Conſules Leunclavio in Indice Conſulari lib. 58, Glandorpio, Ricciolio, ac tibi etiam integre deſcribuntur, *Sergius Sulpicius Galba & L. Cornelius Sylla*, ſive *Sulla*. Error eſt in Praenomine: nam *Servius*, non Sergius, dicebatur Sulpicius Galba Imperator. Dioni recte loco citato ſcribitur Γάλβας ὁ Σερούιος, *Servius Galba*, quod Praenomen Leunclavius interpres, poſt Xylandrum, perperam *Sergium* latine ſcripſit. Idem tamen optime haec ex Dione recitat lib. 63. *Vindex, cum Principatum ſibi parare minime ſtuderet, Servio Sulpicio Galbae &c. imperium detulit*. Sulpicii, tum Patritii, tum Plebeji, Servii dicebantur. De Plebejis ſcribit Cornelius Nepos in vita Attici: *Ipſe adoleſcentulus propter affinitatem P. Sulpicii, qui Tribunus Plebis interfectus eſt*,

Digitized by Google

eſt, non expers fuit illius periculi: namque Anicja Pomponii conſobrina nupſerat M. Servio fratri Sulpicii. Audin P. Sulpicium, ac M. Servium fratres fuiſſe? Galbae etiam Sulpicii patritiae Gentis, Servii itidem dicebantur. Cicero in Bruto ait, Luſitanos *a Servio Galba Praetore* contra datam fidem interfectos. Is fuit Servius Sulpicius Galba Conſul A. U. 610. idemque ſua aetate Romanorum eloquentiſſimus, quem ibidem eximie Cicero commendans, ait: *De Servio autem & tu probe dicis*; de quo Brutus proxime loquutus: *Tum*, inquit, *de te, & de Servio Sulpicio cogitans, eſſe quamdam vobis cum illis ſimilitudinem judico*. Hinc Imperator Otho mortem ſibi illaturus, nepotem hiſce apud Tacitum verbis l. 2. Hiſt. ſolabatur: *Satis ſibi nominis, ſatis poſteris ſuis nobilitatis quaeſitum, poſt Julios, Claudios, Servios, ſe primum in Familiam novam Imperium intuliſſe*. Ita Galbam, Serviae Gentis dicit. Plutarchus in Vita Galbae ſcribit, eumdem *ampliſſima Serviorum domo natum*. Igitur *Servius* Gentilitium nomen Sulpicii Galbae fuit, loco tamen praenominis uſurpatum; ac proinde *Sergius* perperam dicitur. Vide ſupra in Indiculo hujus Tabulae nu. 78. ubi fuſius quaeſitum eſt, an Galba an. Aerae Chr. Vulg.

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

juxta nos 32., quo Conſulatum geſſit cum L. Cornelio Sulla Felice, *Servii*, vel *Lucii* praenomen habuerit.

85. Protome Servii Sulpicii GALBAE Imperatoris, cujus delineamenta graphice deſcribit Suetonius in ejus Vita cap.21. *Statura* (inquit) *fuit juſta, capite praecalvo, oculis caeruleis, adunco naſo, manibus, pedibuſque articulari morbo diſtortiſſimus; ut neque calceum perpeti, neque libellos evolvere, aut tenere omnino valeret*. Nec tantum aduncus, ſed & ſimus illi naſus erat, ut animadvertit Doctiſſimus Praeſul Bottarius Tom. I. Muſei Capitolini pag. 18: quare (ait) de eo uſurpatum eſt carmen illud ex Attalanis, teſte Suetonio ibid. cap. 13., *venit io ſimus a villa*. Ex ea autem Aquilae ſimilitudine, quae in ore ejus elucebat, Auguſtum illi Imperium ominatum fuiſſe ſcribit Sponius *Recherch. d' Antiq*. Diſs. 24. Verum laudatus Cl. Praeſul ſe legiſſe meminit, vel Auguſtum, vel Tiberium (hunc ego potius reor, in Xiphylino), Imperium illi praedixiſſe, ſed non hac de cauſa. Vide Suetonium in ejus Vita cap. 4., Joſephum *Antiq. Judaic*. lib. 18. cap. 7., Tacitum *Annal*. lib. 6. cap. 20., Dionem lib. 57. p. 616., & lib. 64. pag. 728. Senatus Galbae ſtatuam de-

decrevit, ut tradit idem Suetonius in ejus Vita circa finem, *roſtratae columnae ſuperſtantem, in parte Fori, qua trucidatus eſt: ſed Decretum Veſpaſianus abolevit*. Quod ni feciſſet, qui a partibus ejus ſteterant, plures illi erexiſſent. Attamen, teſte Tacito *Hiſt.* lib. I. cap. *36.*, *in ſuggeſtu, in quo paullo ante aurea Galbae Statua fuerat, medium inter ſigna Othonem collocant*. Quod ſi illi Simulacrum ex auro poſitum fuit, certe multo plura ex marmore; cum ex Suetonio in ejuſdem Galbae Vita cap. 2. diſcamus, illum titulis Statuarum in honorem ſui poſitis adſcribere ſolitum, PRONEPOTEM SE Q. CATVLI CAPITOLINI. Unde eruitur, nonnullas extitiſſe ejus Statuas: e quibus dejectis, quae ſuperſunt in Muſeis capita, ac praeſertim in Capitolino, ea nobis obvenire potuerunt. Protome, quam in praeſentia illuſtramus, maximi facienda eſt; tum quia Galbae Statuae admodum rarae ſunt, tum etiam quia ipſa elegantis opificii praeſtantia excellit, ac nummis omnino reſpondet.

86. Inſcriptio Galbae, edita a Grutero p. 238. n. 12. Olim extabat Romae in baſi marmorea in Aedibus Maffejorum ad Thermas Agrippinas, teſte Smetio, qui eam vidit.

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

dit. Vegetius lib. II. cap. 6. *Imagines* (inquit) *Imperatorum, hoc eſt divina & praeſentia Signa, veneramur*. Nomen Imperatoris noviter creati vexillis inſcribere ſolebant milites, teſte Dione lib. 40. pag. 128.: *Signum unum ex iis, quae magna ſunt, & velorum ſimilia, & puniceas literas inſculptas habent, ad indicium exercitus, & Imperatoris ſui faciendum*. Et Suetonius in Veſpaſiano: *nomenque ejus vexillis omnibus ſine mora inſcripſerunt*. Imagines Imperatorum in parvis orbibus adnectebantur haſtis ſignorum, ſub literis, de quibus Dio, & Suetonius loquuntur. Eas lacerabant, qui ab Imperatore deficiebant. Xiphilinus lib. 65. p.737. *& tunc* (ait) *Vitellii imagines de ſignis detrahunt*: & Tacitus Hiſtor. lib. 3. cap. 31. *Primores Caſtrorum nomen, atque imagines Vitellii amoliuntur*. Attilius Vergilio vexillifer Cohortis comitantis Galbam, cum vidit milites ad eum occidendum advenire, *dereptam* GALBAE *imaginem ſolo affixit*, ut narrat idem Tacitus *Hiſtor.* lib. 1. c. 41. Ex Legionibus etiam Germanicis nonnulli ſaxa in GALBAE imagines jecerunt; & Legiones duae, quarta nempe, & decima octava, eaſdem imagines diruperunt, ex eodem Tacito lib. 2. cap. 55. ubi tamen id quoque literis con-

conſignavit: *populum* (nempe) *cum lauru, ac floribus* GALBAE *imagines circum templa tuliſſe, congeſtis in modum tumuli coronis juxta lacum Curtii, quem locum* GALBA *moriens ſanguine infecerat*: & lib. 3. cap. 7. ſcribit, Antonium ſub Veſpaſiano GALBAE *imagines diſcordia temporum ſubverſas, in omnibus Municipiis recoli juſſiſſe*. De cultu imaginum, ſignorumque Caeſarum Auguſtorum, inſignia extant Veterum teſtimonia, quae heic coacervabo. Modeſt. *de Vocab. rei militaris* ait: *totius Legionis inſigne, ſunt imagines Imperatorum, quas tanquam divina & praeſentia ſigna ſinguli venerantur*. Suetonius quoque in Caligula c. 14. *Artabanus* (inquit) *Parthorum Rex aquilas, & ſigna Romana, Caeſarumque imagines adoravit*: & Capitolinus de Maximino cap. 24. *Milites, interfectis publicis hoſtibus, recepti ſunt ab Oppidanis, rogantes, ut primum ita, ut ante, imagines Maximi, & Balbini, & Gordiani adorarent*. Item Tertullianus in Apologetico capite 16. ait: *Religio Romanorum tota Caſtrenſis ſigna veneratur; ſigna jurat, omnibus Diis praeponit. Omnes illi imaginum ſuggeſtus in ſignis monilia crucium ſunt*. Solebant vero imagines Caeſarum etiam in Foro, vel alio loco pu-

publico, aut privato locare, ut eis cultus adhiberetur. Habuit id ab Auguſto initium. Tiberius tamen cum honorem ſui Principatus exordio ſibi fieri vetuit, ut ſcribit Suetonius in ejus Vita cap. 26. *probibuit etiam ſtatuas, atque imagines, niſi permittente ſe, poni: permiſitque ea ſola conditione, ne inter ſimulacra Deorum, ſed intra ornamenta Aedium ponerentur*. Poſtea per totum Imperium circumferebantur, cum quis Auguſtus creabatur. Zoſimus lib. 2. cap. 12. ſcribit: *Maxentius, ſe jam conſtabilitum putans habere Imperium, mittebat in Africam, & Carthaginem, qui ejus imagines circumferrent.* Hae a Gratiano *ſacri vultus* appellantur l. 1. Cod. de pub. laetitia: *Si ſacros* (inquit) *vultus inhiantibus populis inferimus, hoc ſine immodico praetio nuntiari, excipique ſancimus*. Ut vero religioſe colerentur, velut idola Diis dicata, conceptis verbis conſecrabantur; nec eas amplius imagines cuique vendere licebat, qui laeſae majeſtatis crimen incurrere nolebat, cum alias a ſtatuariis publice venire poſſent. Marcianus lib. 5. ad leg. Jul. Majeſt. *non videtur* (inquit) *contra majeſtatem fieri, ob imagines Caeſaris nondum conſecratas venditas*. S. Ambroſius Hexaemeron lib. 6. cap. 9. ait: *ſola aere ſua Prin-*

Principum capita, & ducti vultus de aere adorantur: & S. Gregorius Nazianzenus Orat. adverſus Julianum III. ſcribit: *nec enim coronae, & diademata, & purpurae nitor, & memorabiles leges, & tributa, & ſubditorum multitudo, ad approbandum, gratulandumque ipſis Imperium ſufficiunt: ſed adorationem quoque accedere neceſſe eſt, ut Auguſtiores appareant. Parumque habent ipſi adorari, niſi idem quoque ſibi in imaginibus, picturiſque praeſtetur, quo cumulatior ſit ipſis, perfectiorque veneratio*. Signum Galbae, quod illuſtramus, IMAGINVM DOMVS AVG. CVLTORIBVS publice expoſitum a Curatoribus (vel operum Publicorum, aut Vicorum, ſeu Statuarum, de quibus loquitur Caſſiodorius *Variarum* lib. VII. Ep. 13.), *dedicatum fuit IdibusOctobribus C. Bellico Natale* & *P. Cornelio Scipione Aſiatico Conſulibus*, nempe anno Aerae Chriſti Vulgaris 68., quo Galba in Hiſpania oblatum Imperium recepit, & Neronis nomen ex ſignis abraſit, atque Romano Imperio, poſt fata ejuſdem Neronis portentoſi monſtri, *reſtituit libertatem*.

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

87. Arcus Galbae, cum epigraphe in poſtica XXXX.REMISSA. extat in libro Chalcographiae Romanae, inſcripto *Veteres Ar-*

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

cus Aug. pag. 52., & apud Montfauconium *Antiq. Expliq.* Tom. iv. Parte I. Tab. cxi. pag. 172. Galba in quadrigis triumphalibus coronatur a Victoria. Fuerunt olim in Regionibus Urbis Arcus ſex & triginta. Vide Nardinum *Rom. Vet.* lib. viii. cap. 1. & Pancirolum *de XIV. Urbis Regionibus* Theſ. Antiq. Rom. Graevii Tom.III. pag.322. Sed univerſi amplius non ſuperſunt. Tres in prima Regione ſtatuuntur, Veri Parthici, Trajani, & Druſi. Victor addit in eadem Regione Arcum bifrontem, & in quarta Arcum Titi. In ſeptima, qui adhuc extat, eſt Arcus novus. Victor addit Veri, & Marci Auguſtorum: & in octava Arcum Fabianum. Conſtantini Arcus eſt in undecima, in capite Viae Appiae. Arcus Domitiani in Via Flaminia, & Severi in Foro Boario adhuc viſuntur. Hi ſunt duodecim. Reliquorum non extat memoria. De Arcu Galbae apud Romanarum Rerum Scriptores altum ſilentium. Arcus Triumphales his ſolebant erigi, qui Provincias,& Urbes,aut exteras Nationes expugnaſſent. Tam intra Urbem, quam extra, erigebantur in viis publicis e marmore, alioque lapide, ornati columnis, & reliquo elegantioris ac perfectioris architecturae apparatu. Hos quoque S.P.Q.R. publice,vel S.C. de-

decernebat in honorem Imperatorum, qui fecerant, aut refecerant vias publicas, & pontes, portuſque, viarum neceſſarias partes, & appendices. Docent hoc Arcus erecti Auguſto, Veſpaſiano, & Trajano. Patinus *de Num. Imp. Rom.* pag. 126 Nummum exhibet Galbae, noſtro fere perſimilem, quem ita erudite deſcribit: *In antica*(inquit) *legitur* SER. GALBA IMP. AVG. *Caput Galbae: in poſtica*, QVADRAGENS. REMISSAE. S. C. *Arcus triumphalis, ſuper quem duo equites: infra, quatuor captivi. Rem mirandam, & dolendam! Romanos ſuae famae ita cupidos, infinita pene geſſiſſe, quae vel temporum injuria, vel Scriptorum negligentia perierunt; ut in hoc Nummo cernitur. Circum Arcum triumphalem magnificentiſſimum, quantum magnitudo Nummi capere poteſt, legitur Remiſſio Quadrageſimarum. Quadrageſimae autem, vectigal erant, a ſumma nomen habens. Eam exactionem, ut plures alias ejuſdem generis; Neronem quondam ſuſtuliſſe auctor eſt Tacitus Annal. lib.* XIII. *: verum eo loco addit, illa Neronis decreta* brevi ſervata, dein fruſtra habita. *Illam abolitionem adhuc ſua aetate manſiſſe ſcribit. Quis hoc vectigal remiſerit, ignoraremus; niſi ſingularis ille Nummus doceret, in hujus beneficii memoriam hunc Ar-*

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

cum fuiſſe extructum. Cur ſiluerit Tacitus, ea ratio eſt: Principum, qui non diu regnavere, aetas frequenter, ut nulla, praeteritur. Tanti autem momenti eſſe hunc Nummum exiſtimavit Doctiſſimus Caſaubonus, ut eum unum ſculpi curaverit, in iis quos ſcripſit Suetonii Commentariis. Huc uſque laudatus Patinus. Vide Vaillantium *Num.Imp.Rom.* To.1.pag. 24., Angelonum pag. 67. num. 9. & quae nos ſcripſimus ſupra de XXXX. REMISSA numero 77. hujus Tabulae Tertiae.

88. Protome Lepidae uxoris Galbae, ex Muſeo Parmenſi. Aeneas Vicus *de Auguſtarum Imaginibus* pag. 161. ſcribit: *Lepida unica fuit Galbae uxor, cum privata is uteretur fortuna: ex quo duos peperit filios, quo tempore Agrippina Germanici filia viduata morte Domitii, ita eum omnibus ſollicitaverat modis, ut Lepida repudiaretur; ipſaque in ejus locum uxor a Galba duceretur; ut in conventu matronarum correpta jurgio, atque etiam manu pulſata ſit a matre Lepidae. Neque unquam ſane poſt Lepidae mortem ceſſavit, ſed eum fruſtra importunavit, veluti narrat Suetonius in Galba. Nec deſunt, qui hanc Neronis amitam fuiſſe ſcripſerint: de qua neque illud ſilentio praetermittendum exiſtimo, quod ſcribitur a Tacito libro duodecimo: „ Lepida* (ait

(ait ille) *ex Antonia Majore nata, mulier fuit impudica, infamis, vinoque dedita, quae, cum gratia praeſtare contenderet cum Agrippina, apud Neronem nuper ad Principatus ſucceſſionem deſignatum ab Agrippina accuſata fuit, quia veneficiis Claudii Imperatoris conjugium expetiſſet, in Meſſapia ſervos coegiſſet, exercitumque congregaſſet, Italiaeque pacem ſubvertiſſet. Quare capitis condemnata fuit. (Dii faxint, ut quicumque ſimilia aggrediuntur, hoc ipſum patiantur ſupplicium) : ſed Narciſus libertus ad eam defendendam ſe fortiter ſtudioſeque convertit „*. *Scriptum eſt a Suetonio in Nerone, eam idcirco accuſatam fuiſſe, quia cum ſuo fratre concubuiſſet : verum Tiberii mortem fuiſſe impedimento, quominus ejus facta ſit inquiſitio*.

89. Nummus M. Salvii OTHONIS Imperatoris, cum ejus capite, & epigraphe in antica ΑΥΤΟΚ. ΜΑΡΚ. ΟΘΩΝΟΣ. ΚΑΙ ΣΕΒ. *Imperator Marcus Otho Caeſar Auguſtus*. In poſtica vero ΡΩΜΗ ΛΑ. *Roma. anno I.* Caput Romae galeatum. Vide Vaillantium *Numiſ. Graec.* pag. 19., Patinum pag. 103., Theupolum Tom. 2. pag. 1106., & Muſeum Muſellianum Parte I. Tab. 28. num. 6, ac Parte 3. pag. 76. Vix Otho Imperium arripuit, cum alter

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

alter Imperator Vitellius in Germania a Legionibus electus eſt. Provinciis ergo, & Legionibus in utriuſque partes diviſis, cum ſors pro Vitellio ſtetiſſet, Otho poſt tres menſes, potius Imperio oſtenſus, quam datus eſt. Quis vero neſcit, Syriam pro Othone contra Vitellium ſtetiſſe; & Mucianum ipſius Provinciae Rectorem Legiones in ea collocatas ſacramento illius Imperatoris adegiſſe? Vaillantius *de Coloniis &c.* Tom. I. pag. 188. „Accedat (inquit) teſtis luculentus Tacitus *Hiſtor.* lib. I. *Judaicum exercitum Veſpaſianus, Syriae Legiones Mucianus ſacramento Othonis adegere: ſimul Aegyptus, omneſque verſae in Orientem Provinciae nomine ejus tenebantur.* Unde Nummi Othonis in Aegypto cum epigraphe ΑΥΤ. ΜΑΡΚ. ΟΘΩΝΟΣ. ΚΑΙΣ. ΣΕΒ. & L. A. ideſt *anno primo* percuſſi in Cimeliis aſſervantur,„. Card. Noriſius Tom. 2. p. 56. *Diſſert.* 1. *de Anno Macedonum*, ait: „Otho, qui Galbae vitam cum Imperio eripuit, dicitur Dioni imperaſſe *dies nonaginta.* Suetonius cap. ult. de Vita ejuſdem, tradit illum celeriter funeratum *trigeſimo octavo aetatis anno, & nonageſimo quinto Imperii die.* At Joſephus lib. 5. cap. 8. ſcribit, Othonem ſemet interfeciſſe, *poſtquam biduum, treſque menſes Imperium tenuit:*

Otho,

Otho, cum *mane* (ut ait Suetonius cap. 19 citato) Galba ſacrificaret, inde digreſſus (ſiquidem ſacrificio eidem aderat), a militibus Imperator conſalutatus fuit. Occiſo vero Galba, eadem xv. Januarii *vergente jam die*, Otho in Senatum, a Praetore advocatum, ingreſſus, coactum ſe dixit ad ſuſcipiendum Imperium &c. ex Suetonio cap. 7. ac Tacito lib. 1. laudato. Quare cum Otho ante necem Galbae Imperator ſalutatus fuerit, dies xv. Januarii fuit Natalis Imperii ejuſdem, a qua menſes tres, ac biduum ejuſdem Principatus cum Joſepho numerantes, erimus ad diem xvi. Aprilis, quam Otho Imperii ac vitae ſibi poſtremam fecit. Otho, teſte Dione, vixit *annos triginta ſeptem, detractis diebus undecim*. Natus erat, ex Suetonio cap. 2. de Vita ejuſdem, *IV. Kal. Maji*, M. Furio Camillo Scriboniano & Cn. Domitio Ahenobarbo Coſs. A. U. Romae 785. Chriſtianae Aerae 32. Adde annos vitae illius 37. quot eum vixiſſe etiam Tacitus teſtatur; eris ad A. U. 822. Chriſti 69. quo die 27. Aprilis Otho annum vitae 37. expleviſſet: cui tamen complendo cum dies xi. defuerint, idem die xvi. Aprilis ſuo ſe pugione interemit. Scribit de eodem Tacitus lib. 2. *luce prima in ferrum pectore incubuit*, nem-

nempe ſub auroram ejus diei XVI. Aprilis,,.

90. Nummus Othonis. Legitur in antica, IMP. M. OTHO CAESAR. AVG. in poſtica vero, quam heic exhibemus, VICTORIA OTHONIS. Baronius in *Annal. Eccl.* ad annum Chriſti 71. ſcribit: Galba in Foro a militibus occiſo, *arripuit Imperium favore militum, quos in Galbam concitaverat M. Silvius Otho Neroni olim cariſſimus, a quo in Hiſpaniam miſſus fuerat Quaeſtor: tenuitque menſes tres, ac dies quinque. Nam exercitus Romanus in Germania haud ratam habens ejus electionem, adverſus eum creavit Imperatorem A. Vitellium, qui in Italiam praemiſit exercitum, de ſumma rerum cum Othone ipſe poſtea dimicaturus: cum ille, ſive rerum deſperatione, vel ne ſui cauſa (ut tradunt) bello Civili inter ſe milites necarentur, ſibi ipſe prudens volenſque mortem conſcivit.* Obſervat tamen Card. Noriſius in Diſſert. I. *de Epochis Syromacedonum* cap. 3. Othonem in Hiſpaniam miſſum fuiſſe a Nerone, non Quaeſtorem (ut ſcribit Baronius), ſed *Quaeſtorium*, poſt Quaeſturam nempe in Urbe adminiſtratam: fuit enim in Luſitania Legatus Auguſti Propraetor: *Provinciam* (ſcilicet Luſitaniam) *adminiſtravit Quaeſtorius per decem annos moderatione atque abſtinentia*

tia ſingulari, inquit Suetonius *in Othone c.3.* Itaque M. Salvius Otho, occiſo Galba, die ſequenti ſe Conſulem cum L. Salvio Othone Titiano dixit, atque occupato exercitu Urbano, Imperium contra Vitellium uſurpavit. Deinde Senatus ab Urbano Praetore convocatus, Othoni Tribuniciam Poteſtatem, Imperium, & Auguſti nomen decrevit, ex Tacito, Plutarcho, Suetonio, Xiphilino, Pighio, Tillemontio, & aliis. Quare M. Salvius Otho Imp. Aug. pridie Idus Martias expeditionem contra Vitellium ſuſcepit. Sed apud Bebriacum cum C. Fabio Valente, & A. Caecina Vitellii Legatis acie congreſſus, Othonis exercitus profligatus eſt: quo audito, ipſe Otho, qui Brixellis ſubſtiterat, ſe interfecit xvi. Kal. Maji. Vide laudatum Noriſium in *Epiſt. Conſul.* Tom. 2. pag. 905. Quid ergo (inquies) hic Nummus Othonis innuit, in quo Victoria gradiens, dextra lauream, & ſiniſtra palmam gerens? VICTORIA AUGUSTI (ni fallor) reſpicit ad illam victoriam principio a ſuis relatam adverſus Vitellianos. Nam Suetonius in ejus Vita cap. 9. ſcribit: *& tribus quidem, verum mediocribus, praeliis apud Alpes, circaque Placentiam, & ad Caſtoris, quod loco nomen eſt, vicit: noviſſimo maximoque apud Be-*

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

briacum fraude ſuperatus eſt . Plutarchus quoque narrat, penes Othonem fuiſſe victoriam ; ſed non completam, fraude Ducum : quare ejus copiae tandem apud Bebriacum fuſae ſunt . Forte tamen & de externa Victoria Sarmatica per Apronium relata idem Nummus intelligendus venit, de qua Tacitus : *laeto* (inquit) *Othone, & gloriam in ſe trahente, tanquam & ipſe felix bello, & ſuis Ducibus, ſuiſque exercitibus Rempublicam auxiſſet*. Vide Vaillantium *Num. Imp.* Tom. 2. pag. 78, Bellorium *in Adnotationibus in XII. priorum Caeſarum Num.* p.55., & Theupol. *Muſ. Antiq. Num.* Tom. I. pag. 137.

91. Protome Marci Salvii OTHONIS Imperatoris (ex marmore Capitolino),quae Nummis omnino reſpondet . „ Nil in ejus ore(inquit Doctiſſimus Praeſul Joannes Bottarius rei antiquariae cultor eximius in Animadverſionibus in Tomum II. Muſei Capitolini pag. 19.) barbae apparet, quod eam quotidie velleret. Capilli in fronte tanta ἀκριβείᾳ diſpoſiti, oſtendunt, gyrum illum, quo caput quodammodo coronatur, adſcititium fuiſſe, ea ferme ratione, qua hodie quoque fronti emendicati circumponuntur capilli propriis commixti. Hoc autem Otho facie-

faciebat, quia naturales rari erant. De eo audiendus eſt Suetonius, qui in ejus Vita cap. 12. ita ſcribit: *fuiſſe traditur & modicae ſtaturae, & male pedatus, ſcambuſque: munditiarum vero pene muliebrium, vulſo corpore, galericulo capiti propter raritatem capillorum adaptato, & annexo, ut nemo dignoſceret* (quod nunc quoque fit), *quin & faciem quotidie raſitare, ac pane madido linire conſuetum, idque inſtituiſſe a prima lanugine, ne barbatus unquam eſſet*. Haec fortaſſe nimia & exquiſitior formae elegantia illi Neronis amicitiam conciliavit, de quo poſtremo Tacitus *Annal.* lib. 13. cap. 12. ait: *aſſumptis in conſcientiam Othone, & Claudio Senecione adoleſcentulis decoris*. Quod in Muſeo Magni Ducis Etruriae adſervatur hujus Imperatoris marmoreum caput, ſupra quam dici poſſit, exquiſitiſſimi opificii eſt, quum in laeviſſimo marmore, & ſubflavi coloris, ut alabaſtrites videatur, excuſum ſit, ac tantopere glabrum, ut pane madido linitum diceres, qui lacte fortaſſe aſinino infectus erat, monente Plinio Hiſtor. lib. 28. cap. 12. *cutem in facie erugari, & tenereſcere, candorem cuſtodire lacte aſinino putant*. Haec enormis mollities, & quae minime Romanum Imperatorem deceret, acri-

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

ter, ut ſolet, improbata fuit, & ludibrio habita a Juvenale Satyra 2. illis carminibus :

Ille tenet ſpeculum pathici geſtamen OTHONIS,
Actoris Aurunci ſpolium, quo ſe ille videbat
Armatum, quum jam tolli vexilla juberet;
Res memoranda novis Annalibus, atque recenti
Hiſtoria, ſpeculum virilis ſarcina belli.
Nimirum ſummi Ducis eſt occidere Galbam,
Et curare cutem ſummi conſtantia civis &c.
Et preſſum in facie digitis extendere panem.

Verum, ut in hac imagine videre eſt, formoſus ille fuerat, vel potius pulcher, atque mollitia diffluens : unde Sidonius cecinit in Panegyrico Majorani : Carm. 5. ver. 320.

Hunc ambit fama quiſquis ſic incipit olim
Poſt Capreas Tiberi, poſt turpia munia Cai,
Cenſuram Claudi, citharam thalamoſque Neronis,

Poſt

Poſt ſpeculi immanis pompam, quo ſe ille videbat . .

Hinc turpis, quod pulcher OTHO *&c.* At Cornelius Tacitus *Hiſtor.* lib. 1. cap. 22. eum ab hac nota purgare ſatagit, ſcribens: *non erat Othonis, mollis & corpori ſimilis, animus*,,. Vide Patinum *de Num. Imp. Rom.* pag. 129.

92.) Nummus Othonis, cum epigraphe

93.) in antica IMP. OTHO. CAESAR. AVG. TR. P. *Caput Othonis nudum*. Poſtica exhibetur inſequenti num. 93. atque in ea ita legitur, PONT. MAX. *Imperator paludatus equo decurrens, dextra haſtam vibraturus*. Typus iſte Othonis eſt, ad expeditionem contra Vitellianos proficiſcentis; qui equo celeri vectus, haſtam contra hoſtes vibraturus exprimitur. De iſta expeditione ad rem noſtram Suetonius in ejus Vita c. 7. ſic ſcribit: *Expeditionem autem impigre, atque etiam praepropere inchoavit*. Vide Tacitum in Annal. Angelonum pag. 61., Muſeum Arſchotanum Tab. 23. num. 3., Begerum Vol. 2. pag. 627., Belloriuin pag. 55. n. 5., Vaillantium *Num. Imp. Rom.* Tom. 2. p. 77., Erizzum pag. 238, Geſnerum Tab. 52. n. 19., Mediobarbum pag. 103., Theupolum *Muſ. Antiq. Numiſ.* Tom. I. pag. 137., & Muſeum Mu

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

Muſellianum Parte I. Tab. 28. Doctiſſimus Patinus *de Num. Imp. Rom.* pag. 129. inquit: *Quum lex mihi a me ipſo dicta ſit, ne quidquam aut commemorarem, aut depingerem numiſma, quod non eſſet indubitatae veritatis, videam autem a nonnullis, non tantum pro certo haberi, ſed doceri, nullos ſupereſſe, imo nec cuſos fuiſſe Othonis Nummos aereos; putavi officii mei eſſe, de re tantis ſtudiis agitata quaenam mihi ſit ſententia, ſine cujuſquam injuria, breviter dicere. Ajunt, multos jactatos falſos pro veris: non novum in re tanti pretii peccatum eſſe in fidem publicam a nonnullis, rei ſuae, quam publicae, diligentioribus. Itaque non mirarer, ſi plures ſuppoſititios, quam veros affirmarent: illud miror, quod videri non poſſe putent, quod a ſe viſum non eſt. Teſtes adducunt illuſtres viros, qui ſe vidiſſe pernegent: probarem; niſi plus in judicio duo teſtes oculati valerent in re probanda, quam in refellenda decem, qui ſe vidiſſe negarent. Utuntur etiam auctoritate Sereniſſimae Svecorum Reginae* CHRISTINAE ALEXANDRAE, *omnium rerum, quae ad literas pertinent, ut cetera taceam, peritiſſimae; atque hujus dictum commemorant: Qui aereum, inquit, Othonem reperit antiquum, philoſophicum lapidem invenerit. Grave*

*ve procul dubio teſtimonium, & illis peropportunum, niſi mihi etiam faveret. Nummus Othonis, philoſophici lapidis inſtar habendus eſt: credo, ſi Reginae magnificentiſſimae, atque in his ſumptuoſiſſimae offeratur, theſauro fortaſſis, ut eſt harum rerum cupida, Nummum rariſſimum redempturam. Quamquam, quid in interpretando Reginae Sereniſſimae dicto laborem; cum certis nuntiis compererim, habere eam apud ſe collectum olim ab Illuſt.*FRANCISCO COTTIFREDO*Nummorum antiquorum Theſaurum, inter quos unus eſt aereus Othonis indubitatus, cujus typum heic expreſſum ad me humaniſſime miſit idem Gottifredus*,,. Nummus, de quo Patinus loquitur, eſt ille, quem heic illuſtravimus.

94. Nummus Othonis, in quo legitur in antica, IMP. M. OTHO. CAES. AVG. *Caput Othonis laureatum*; & in poſtica, S.C. id eſt *Senatus Conſulto*, in laurea. Quamvis nota S. C. (ut inquit Vaillantius *de Coloniis* Tom. I. pag. 187.) Nummorum ſymbolum ſit Romanorum, hic tamen Nummus omnium Antiquariorum conſenſu extra Urbem percuſſus eſt; licet nec Coloniae, nec Municipii nomen praeferat in typo, quem illuſtramus. Latina epigraphe gaudet, quam ſine conceſſo cudendae monetae jure

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

re gerere profecto non poſſet. Sed in qua Urbe, ſeu in qua Provincia cuſus ſit, inquirendum. Nummi in omnibus fere Imperatoribus uſque ad Gallienum, cum S.C. in laurea, obſervantur extra Romam ſignati: ab Auguſto quidem, uſque ad Trajanum, cum epigraphe latina circa caput: a Trajano vero, uſque ad Gallienum, cum inſcriptione Graeca; quos in Syria, ex ipſorum forma, & incredibili copia, quae in hac Regione ad hanc uſque diem e terrae viſceribus eruitur, percuſſos augurati ſumus: noſtram vero ſententiam confirmant ſimiles fere Macrini, & Diadumeniani, cum iiſdem vocibus S. C. & Δ. E. Huic Provinciae facultas cudendae monetae, quam ſub Regibus ſuis habebat, tum relicta videtur, cum Pompejus illam redegit in Provinciam: ſed, ut a Senatu id juris conceſſum Syriae fuerat, in Nummis S. C. notam poſuit, & quidem in laurea, ut Populum Romanum omnium Gentium victorem denuntiaret. Vide etiam eundem Vaillantium *Num. Imp. Rom.* Tom. I. p.26., Theupolum *Muſ. Antiq. Numiſm.* Tom. I. pag.411., Octavium de Strada pag.43, & Patinum *de Num. Imp. Rom.* p.134. qui ait: *antiquitas* hujus *Nummi in ſuſpicionem adduci non debet, cum nihil penitus meo quidem ju-*

judicio in eo deſideretur. *Laureae* SENATUS CONSULTO *Othoni oblatae, ut olim Caeſari, ac Pompejo, nullus, quod ſciam, claſſicus Auctor mentionem facit.*

95. Nummus Othonis. Legitur in antica, IMP. OTHO. CAESAR. AVG. TR. P. in poſtica vero, quam heic exhibemus, PONT. MAX. *Othonis figura equeſtris cum haſta, quae ejus expeditionem contra Vitellium deſignat.* Fere ſimilis hic Nummus eſt illi, quem noſtra Tabula repraeſentat num. 93. Vide ergo, quae ibidem ſcripſimus in hanc rem, & conſule etiam, ſi lubet, Petrum Bellorium *in Adnotationibus in XII. priorum Caeſ. Numiſ.* pag. 55. num. 5., atque Cl. Vaillantium *Numiſ. Imp. Rom.* Tom. 2. pag. 77.

96. Nummus Othonis, cum epigraphe in antica IMP. M. OTHO. CAESAR. AVG. TR. P. *Caput Othonis laureatum.* In poſtica autem, quam heic exhibemus, PAX ORBIS TERRARVM. Figura muliebris ſtolàta, Pacem praefigurans: quae dextra caducaeum gerit, ac laeva ramum oleae. Otho, licet Civile bellum contra Vitellium ſibi ſuſcipiendum curaret, *munia tamen Imperii, ut in multa pace, obibat*, teſte Tacito: & cum nullum adeſſet bellum externum, Sarmatis repreſſis, Nummum cudit cum Inſcri-

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

ptione PAX ORBIS TERRARVM. Adeo cordi fuit Othoni pax, & concordia Romani Imperii, ut, ad dirimenda bella, ſibi mortem intulerit. Vide Muſeum Arſchotanum Tab. 23. num. 5., Begerum Volum. 2. pag. 627., Bellorium *in Adnotationibus in XII. priorum Caeſ. Num* pag. 55. num. 2., Harduinum pag. 727., Mediobarbum p. 103, Vaillantium *Num. Imp. Rom.* Tom. 2. p. 78., Theupolum *Muſ. Antiq. Numiſm.* Tom. I. pag. 137., & Muſeum Muſellianum Tom. I. Tab. 28. num. 4. ac Tomo III. pag. 76.

97. Protome Poppaeae Sabinae, quae OTHONIS, & Neronis uxor fuit, eximio opificio excalpta, & forte ſuper cetera Muſei Capitolini Signa Auguſtarum feminarum æſtimanda. Ejus deſcriptionem concinnavimus ſupra in Indiculo Tab. II. Saeculi I. nu. 173. Quare heic ſolum addemus inſignem Taciti auctoritatem ex *Annal.* lib. 13. cap. 45., ubi ait: *erat in Civitate Sabina Poppaea T. Ollio patre genita, ſed nomen avi materni ſumpſerat, illuſtri memoria Poppaei Sabini Conſularis, & triumphali decore praefulgentis &c. Huic mulieri cuncta alia fuere, praeter honeſtum animum: quippe mater ejus aetatis ſuae feminas pulchritudine ſupergreſſa, gloriam pariter, & formam dederat. Opes claritudini ge-*

generis ſufficiebant: ſermo comis, nec abſurdum ingenium: modeſtiam praeferre, & laſcivia uti: rarus in publicum egreſſus, idque velata parte oris, ne ſatiaret aſpectum, vel quia ſic decebat. Et cap.46.narrat, Othonem ſolitum *laudare formam elegantiamque uxoris; ſaepe ſibi conceſſam dictitans nobilitatem, pulchritudinem, vota omnium, & gaudia felicium*. Haec Poppaea primum nupta eſt Rufo Criſpino, ex quo filium ſuſcepit; deinde Othoni, qui poſtea Imperator fuit (& de quo loquimur), quamquam ad breve tempus. Etenim Nero, impudentiſſimus hominum, eam marito abductam, eidem Othoni ſuorum ſecretorum participi tradidit, potius loco depoſiti, quam nuptiarum; cum eam perdite amaſſet vel jam Criſpino copulatam, ut ſcribunt Plutarchus in Galba pag. 1061., Suenius in Othone cap. 3., & Tacitus *Hiſtor.* lib.I.cap.13. Hic tamen in Annalibus lib.13. c.46. narrat, Othonem a latere Criſpini conjugis avulſiſſe Poppaeam, quam, juventutis ejus flore pellectus, & cultu magnifico, Nero ſubinde, qui perquamfamiliariter Othone utebatur, eidem Othoni abſtulit; quod incautus Imperatori laſciviis dedito ejus formam elegantiamque ſummis laudibus extuliſſet. Haec eſt Poppaea Sabina, quam

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

Judaei adeo ſibi conciliarunt, ut, ejus ope & gratia, qui miſſi fuerant Legati pro Templo adverſus Agrippam Regem a Nerone reſcriptum acceperint, ut narrat Joſephus *Antiq.* lib. 20. cap. 7. S. Joannes Chryſoſtomus in *Act.* Homil. 24. meminit cujuſdam Neronis concubinae, quae creditur fuiſſe Poppaea, prae ceteris ab eo in deliciis habitae. *Dicitur* (inquit) Paulum *ſalutaſſe Neronis pocillatorem, & concubinam. Quanta putatis contra illum tunc dicta eſſe, ſed non juſte &c.* Doctiſſimus Praeſul Bottarius in Animadverſionibus in Tom. II. Muſei Capitolini pag. 18. inter gemmas, inquit, antiquas ab Auguſtino editas, caput Poppaeae extat, roſis coronatum; quod, quamvis praeferat animi ejus mollitiam, non tamen lineamentis oris hujus Auguſtae omnino reſpondet imago.

98.) Nummus A. Vitellii Imperatoris;

99.) cum epigraphe in antica A. VITELLIVS GERM. IMP. AVG. P. M. *Caput Vitellii laureatum*: in poſtica vero, ANNONA AVG. S. C. *Duae figurae, una ſtantis Imperatoris, altera Cereris ſedentis, prora navis intermedia*. Tacitus lib. 2. Hiſtoriae ait, Othonis mortem Romae nunciatam, *dum Cereales Ludi ex more ſpectabantur*. Hi Ludi tertio Idus Aprilis inchoabantur, &

die

die decimo tertio Kalendas Maji, ideſt 19. Aprilis abſolvebantur, ut patet ex veteri Kalendario a Lambecio in Bibliotheca Caeſarea pubblicato. Vitellius autem die 2. Januarii Imperator conſalutatus, tandem eidem Othoni ſucceſſit, quando hic ſe ipſum interfecit, *poſtquam biduum treſque menſes Imperium tenuiſſet* (ut ſcribit Joſephus lib. 5. *de Bello Judaico* cap. 8.), nempe die 16. menſis Aprilis anni 69. Cum ergo Otho Bebriaci (vicus eſt Veronam inter, & Cremonam ſitus) peremptus ſit, & Romam inter, & Bebriacum, aliquot dierum via intercedat; ſtatim ac nuncium mortis ejus advenit (advenit autem, dum adhuc Ludi Cereales celebrarentur), hic Nummus in honorem Vitellii ſucceſſoris ejus Senatus Conſulto percuſſus eſt. Suetonius *in Vita Vitellii* ſcribit cap. XI. *Allienſi die Pontificatum Maximum coepit*. Vide infra numerum 119. hujus Tabulae, Vaillantium Tom. I. pag. 27., & Theupolum Tom. I. pag. 412. Cum Vitellius Imp. Romam venit, Tiberis totam Urbem inundavit, & magna clade affecit; cum paſſim aedes aqua reſolutae ruerent, ut ſcribit Tacitus cap. 86. Vitellius ergo, ut caritati Civitatis occurreret, annonam convehi juſſit ex aliqua ex Provinciis frumentariis. Prae-

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

Praecipuae fuere Sicilia, Africa, Sardinia, Hiſpania, Boeotia, Macedonia, Cherſoneſus, Aſia, Syria, Aegyptus. Ex his omnibus, cum ſtante Rep., tum vero etiam collapſa, frumentum Romam advectum eſt, aut publicum ex vectigalibus, aut *Senatus Conſulto* coemptum. Sed poſtquam *Aegyptus* ab *Auguſto* Provincia facta eſt, ipſa unicum fere ſubſidium fuit habitum Urbis annonae, ut ſcribunt Plinius in Paneg. cap. 31. & Tacitus *Annal.* lib. 12. cap. 43. Quare ANNONA AUGUSTI forte ſignificat frumentaria ſubſidia, Vitellii Imperatoris Auguſti juſſu Romanis advecta ex Aegypto, quae fuerat ab Auguſto in Provinciam redacta.

100. Nummus Vitellii, cum epigraphe in antica A. VITELLIVS. GERMANICVS. IMP. AVG. P. M. TR. P. in poſtica vero, quam heic exhibemus, PAX AVGVSTI. *Figura togata ſtans, quae dextram porrigit figurae militari*. Vide ſupra nu. 96. Huic fere ſimilem typum edidit Patinus *de Num. Imp. Rom.* p. 138. n. 5. cum literis PAX AVGVSTI. S.C., ſcribitque: *pacem miror in Nummo ejus, qui arma vivo Othone ponere non potuit: niſi forte vir paludatus, togato dexteram porrigens, reconciliatum, Othone ſublato, Senatum exercitui ſignificat*.

101. Num-

101. Nummus Vitellii, cum epigraphe in poſtica VICTORIA AVGVSTI. *Victoria, ſcribens in clypeo arbori palmae appenſo* VIC. AVG., *cum pede ſiniſtro ſuper galeam*. Forte cuſus hic Nummus eſt ob victoriam a Vitellio Idib. Apr. contra Othonis exercitum reportatam Bebriaci, quod Oppidum eſt Cremonam inter, & Veronam; ubi Otho (qui tamen pugnae non adfuit) fraude potius, quam virtute hoſtium ſuperatus eſt. Vide infra num. 102. & 103. Quoniam vero *Palmae* arbor in Syriae, atque Judaeae Nummis paſſim occurrit, heic adnotaſſe non pigeat, Veſpaſiani juſſu (antequam ipſe proclamaretur Imperator) exercitus in Syria & Aegypto juraſſe in verba Vitellii. Sed poſtmodum ipſo Vitellio Romae in omnem laſciviam & libidinem profuſo, Tiberius Alexander Aegypti Praefectus Kal. Juliis anno Aerae Chriſti Vulg. 69 Legiones ſuas in partes Veſpaſiani ſacramento obſtrinxit. Idem fecit Judaicus exercitus v. Non. Julii: jamque ante Idus Julias Syria omnis Veſpaſianum Imperatorem ſuſcepit, & fidem ipſi ſacramento obfirmavit, Muciano Syriae Praeſide auctore. Territus hiſce nunciis Vitellius, expeditionem in Veſpaſianum molitur; atque jactanter ſibi victoriam pollicetur. Verum Mu-

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

Mucianus e Syria in Italiam properans,apud Cremonam octo Vitellii Legiones circa finem Octobris profligavit, ut ſcribit Tillemontius ex Tacito, Suetonio, & Xiphilino. Vide Vaillantium Tom. I. *Numiſ. Imp. Rom.* pag. 29. ac Tom. 2. pag. 83., & Theupolum Tom. I. pag. 139. ac 414.

102.) Nummus Vitellii, cum epigraphe
103.) in antica A. VITELLIVS. IMP. GERMAN. *Caput Vitellii laureatum*; in poſtica vero, VICTORIA AVGVSTI. *Victoria gradiens, & dextra clypeum gerens, in quo* S. P. Q. R. Vide Muſeum Arſchotanum Tab. 24. num. 6., Bellorium pag. 58. num. 15., Mediobarbum pag. 106., Theſaurum Reginae Sueciae Tab. 51. num. 37., Vaillantium *Num. Imp. Rom.* Tom. I. pag. 29. & To. 2. pag. 83., ac Theupolum *Muſ. Antiq. Numſm.* pag. 138. Otho Imp. Aug. pridie Idus Martias expeditionem contra Vitellium ſuſcepit, ſed apud Bebriacum cum C. Fabio Valente, & A. Caecina Vitellii Legatis acie congreſſus, Idib. Apr. profligatus eſt. Illam Vitellii Victoriam contra Othonem reportatam iſte forte Nummus expreſſit, ut ſcite adnotavit Patinus *de Num. Imp. Rom.* pag. 138. num. 3. ubi ait: *Hanc Vitellii Auguſti Victoriam ad eam referre non dubito, quam ad Be-*

Bebriacum per Legatos noviſſimo maximoque proelio, ut ait Suetonius in Othone cap. 9, *fraude conſequutus eſt*; *cum eam unam felicem me legiſſe meminerim.* Vide ſupra n. 101.

104. Nummus Vitellii, cum epigraphe in poſtica, quam heic exhibemus, IVPPITER VICTOR. *Juppiter ſedens, qui dextra victoriolam, & ſiniſtra haſtam gerit.* IVPPITER VICTOR cognominabatur, quod omnia vincere putaretur. Livius lib. x. cap. 42. *Papirius* (inquit) *in ipſo diſcrimine, quo Templa Diis immortalibus voveri mos erat, voverat* IOVI VICTORI, *ſi Legiones hoſtium fudiſſet, pocillum mulſi, prius quam temerum biberet, ſeſe facturum.* Ejus Templum erat in monte Palatino: quod vovit Fabius bello Samnitico, in quo P. Decius filius, ejus collega, ſe pro Legionibus Romanis devoverat, ut ſcribit idem Livius lib. x. cap. 29. *Ipſe* (Fabius) *Aedem Jovi Victori, ſpoliaque hoſtium quum voviſſet, ad caſtra Samnitium perrexit.* Quoniam vero poſtea dicatum Jovi Victori Templum illud fuit Idibus Aprilis, ut canit Ovidius *Faſtor.* lib. IV. verſ. 621.,

> *Occupat Apriles Idus cognomine* VICTOR
> IVPPITER: *haec illi ſunt data Templa die*,

 pro-

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

propterea eadem die Romani Feſtum ejus celebrarunt. Videtur ergo, ni fallor, hic Nummus Vitellii cuſus cum inſcriptione Jovis Victoris, quod die Feſti ejus (nempe Idib. Apr.) Vitellii exercitus Victor, Othonis copias ad Bebriacum fuderit. Graeci Nicaeum, Jovem Victorem dixere; neſcio an a Victoria, ideſt νίκης dictum, an a loco. Meminit ejus Livius lib. 43. cap. 21. *alio Rex Perſes profectus, altero die ad templum Jovis, quem* NICAEUM *vocant, poſuit caſtra*. Vide Gyraldum *Syntag. Deorum* lib. 2. pag. 79., Briſſonium *de Form.* lib. I. pag. 48., Roſinum *Antiq. Rom.* lib. 2. cap. 5., Vaillantium *Num. Imp. Rom.* Tom. II. pag. 81., Theupolum *Muſ. Antiq. Numiſm.* Tom. I. p. 138., & Montfauconium *Antiq. Expliq.* Tom. I. Part. I. pag. 39.

105. Nummus Vitellii, cum epigraphe in poſtica LIBERTAS RESTITVTA. *Figura ſtolata, quae dextra pileum tenet, atque ſiniſtra haſtam*. Eadem reſtitutae Libertatis inſcriptio reperitur etiam in Nummo Galbae, ubi mulier genuflectens ante Imperatorem, ad latus habet militem armatum. Novo Principi Vitellio honores, aliis ſancitos, decrevit Senatus; ut de eodem ſcribit Tacitus: *in Senatu cuncta longis aliorum Prin-*

Principatibus compoſita ſtatim decernuntur. Vide Bellorium *in Adnotat. in XII. priorum Caeſarum Numiſmata* pag. 58. num. 5., & Theupolum *Muſ. Antiq. Num.* To.I. p.138. Romanorum Imperatorum Nummi, LIBERTATEM cum tota ſtatura ſua repraeſentant. In Nummo Galbae, occurrit illa cum hoc titulo, *Libertas Publica.* Mulier dextra pileum tenet libertatis ſymbolum, laevaque haſtam, ſeu virgam, qua heri ſervos percutiebant, quando illos libertate donabant. In Nummo Claudii Libertatem videmus, cum inſcriptione, *Libertas Auguſta*: tenet illa pileum manu dextera, & ſiniſtram extendit. Contra vero in Nummis Conſularibus ſolum Libertatis caput expreſſum intuemur, aliquando non velatum, ut in Nummo Familiae Caſſiae, & in alio Familiae Corneliae; & aliquando velatum, ut in duobus aliis earundem Familiarum, necnon in alio Familiae Fufiae. Lauro coronatur in duobus Familiae Serviliae. In Seſtia vero Libertas velata conſpicitur, & in alio Nummo ejuſdem Familiae comparet pileus, libertatis ſymbolum, cum duobus pugionibus: qui typus etiam in Nummo Bruti occurrit in Familia Junia, cum inſcriptione EID. MART. *Eidibus Martiis*, qui fuit xv. dies ejuſdem Menſis,

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

quo Brutus, Caſſius, aliique conjurati Julium Caeſarem occiderunt, ut Romanae Reip. antiquam redderent libertatem.

106. Nummus Vitellii, cum epigraphe in poſtica, LIBERI. IMP. GERMAN. Vaillantius Tom. 2. *Num. Imp. Rom.* pag. 82. ſcribit: *Vitellii in hoc Nummo ſcalptorum filiorum nomina ignorantur. De uno loquitur Tacitus* Hiſtor. II. *quum Vitellio allatum eſt de morte Neronis nuncium.* Erizzus opinatur, Petronium ex Petronia, & P. Vitellium ex Galeſia Fundana Imperatoris Vitellii filios heic exhiberi: ſed Petronium Vitellius interemit ante adeptum Imperium.,, LIBERI vero ſunt (inquit Bellorius *in Adnotat. in XII. priorum Caeſarum Numiſm.*) ex Galeria Fundana, de quibus Suetonius: *Duxit mox Galeriam Fundanam praetorio patre, & de hac quoque liberos utriuſque ſexus tulit*. Major, nomine Vitellius, Lugduni *Germanicus* fuit appellatus. Tacitus: *Mox univerſum exercitum occurrere infanti filio jubet: perlatum, & paludamento opertum, ſinu retinens, Germanicum appellavit, junxitque cunctis fortunae principibus inſignibus.* Periit tamen infelix ſoboles a patre interfici juſſus, teſte eodem Suetonio c. 18. in Vitellio. De filia, idem Suetonius commendans Veſpaſiani clementiam,

tiam, ait: *Vitellii hoſtis ſui filiam ſplendidiſſime maritavit, dotavitque etiam, & inſtruxit.*

107.) Nummus Vitellii, cum epigra-
108.) phe in antica A. VITELLIVS IMP. GERMAN. *Caput Vitellii laureatum*: in poſtica vero, CONSENSVS EXERCITVVM. *Mars Gradivus, dextra haſtam, ſiniſtra tropaeum humeris impoſitum gerens. Gradivus Mars* (inquit Feſtus) *appellatus eſt a gradiendo in bella ultro citroque: ſive a vibratione haſtae, quod Graeci dicunt* κραδαίνειν. Nummus hic Vitellii, ante mortem Othonis cuſus videtur. Martem autem exhibet Gradivum, ideſt bellatorem ad arcendos hoſtes: quem ominis gratia Vitellius adhibuit, cum quidam ei Divi Julii Caeſaris enſem ex Martis Templo extractum attuliſſet, teſte Tacito, poſtquam ex utriuſque exercitus Germanici conſenſu Imperator fuiſſet electus, ut obſervat Vaillantius *Num. Imp. Rom.* Tom. II. pag. 81. Vaillantio facem praetulit Suetonius *in Vitellio* cap. 7. & 8: ſcribit enim: *Vitellius a Galba in inferiorem Germaniam contra opinionem miſſus eſt, quod Galba prae ſe tulit, nullos minus metuendos, quam qui de ſolo victu cogitarent, ac poſſe provincialibus copiis profundam ejus exple-*

r:

ri gulam, ut cuivis evidens ſit, contemtu magis, quam gratia electum. In Caſtris degens, ſubito a militibus e cubiculo raptus, Imperator eſt conſalutatus; circumlatuſque per celeberrimos vicos, ſtrictum Divi Julii gladium tenens detractum delubro Martis, atque in prima gratulatione porrectum ſibi a quodam &c. conſentiente deinde etiam ſuperioris Provinciae exercitu, qui prius a Galba ad Senatum defecerat, cognomen GERMANICI *delatum ab univerſis, cupide recepit,* AVGVSTI *diſtulit &c.* Haec Suetonius, quae meo judicio, inquit Patinus, hunc Nummum explicant. CONSENSVM EXERCITVVM Imperator Martis habitu, apertius etiam exponit inſcriptio circum caput A. VITELLIVS IMP. GERMAN.; cum Auguſti nomen nondum aſſumpſerit. Vide Muſeum Arſchotanum Tab. 24. num. 6., Bellorium pag. 58. num. 15., Mediobarbum pag. 106., Theſaurum Chriſtinae Reginae Sueciae Tab. 51. num. 37., Theupolum Tom. I. pag. 138., & Muſeum Muſellianum Tom. I. Tab. 29. num. 3., ac Tom. 3. pag. 77.

109. Nummus Vitellii, cum epigraphe in poſtica, VRBEM. RESTITVTAM. S.C. *Imperator paludatus ſtans cum duobus adſiſtentibus militibus, & ſublevans figuram mu-*

lic-

liebrem in genua provolutam. Vide Vaillantium *Num. Imp. Rom.* Tom. I. pag. 29. Scribit Tacitus cap. 86. *Vitellium illis diebus, quibus venit Romam, Tiberim totam Romam inundaſſe, & magna clade Vrbem affeciſſe; cum paſſim Aedes aqua reſolutae ruerent*. Tunc ergo a Vitellio Urbem pluribus Aedificiis reſtitutam fuiſſe opinor, in pignus fauſti feliciſque ejus adventus.

110. Nummus Vitellii. Legitur in poſtica, quam heic exhibemus, CONCORDIA AVG. S. C. *Concordia Dea in ſubſellio, ſceptrum tenens*. Extat alius Vitellii Nummus, cum epigraphe CONCORDIA AVGVSTI S. C., & figura ſedente, quae dextra pateram ſuper aram, & ſiniſtra cornucopiam tenet. Vide Angelonum pag. 65., Bellorium pag. 57. num. 9., Geſnerum Tab. 54. nu. 3., Mediobarbum pag. 106., Theupolum To. I. pag. 412., & Muſeum Muſellianum Tom. III. pag. 77. num. 4.

111. Nummus Vitellii, cum epigraphe in poſtica CLEMENTIA IMP. GERMAN. Figura ſedens, quae dextera manu ſpicas & laeva haſtam tenet, Deam Clementiam praefigurat. Montfauconius *Antiq. Expliq.* Tom. 1. part. 2. pag. 354. ,, Romae (inquit) Clementia cultu divino honorabatur. Caput ejus in

in Nummo Julii Caeſaris repraeſentatur, in cujus poſtica parte Templum eſt: proxime poſitum ramum habet. Statura ejus integra obſervatur in Nummo Veſpaſiani, ubi in ſella ſedens ramum tenet. Sedens item in hoc Nummo Vitellii. In Hadriano ſtat, dexteraque pateram tenet, ac laeva haſtam. Innixa item columnae Clementia cernitur, & haſtam dextera tenens: ut mulier repraeſentatur in Tacito; & ut vir in alio ejuſdem Imperatoris Nummo: ibi vir militari veſte, dextera ramum, ſiniſtra haſtam tenet. In Probo vir ſignum militare tenens, globum Imperatori porrigit: inſcriptio eſt, *Clementia Temp.* In Nummo Tiberii clypeus rotundus viſitur, in cujus medio caput, & inſcriptio circum CLEMENTIAE: in alio MODERATIONI,,. Vitellius cognomen *Germanici* ſibi delatum ab exercitu ſuperioris Germaniae, cupide recepit: mortuo Othone, pepercit ejus fratri Titiano, quem ob pietatem excuſavit: Mario Celſo Othonis Duci Conſulatum ſervavit: nec ultra in defectores, aut bona cujuſcumque ſaeviit: de quo Tacitus, *Vitellius Victor* CLEMENTIAE *gloriam tulit*. Vide Vaillantium *Num. Imp. Rom.* Tom. 2. pag. 80. lin. 3. Petrus Bellorius *in Adnotationibus in XII. priorum Caeſarum Nu-*

Digitized by Google

Numiſmata pag. 59. num. 2. „ cuſus eſt (inquit hic Nummus) ante adventum Vitellii ad Urbem : & notat Tacitus Hiſt. 2 : *introitum Urbis in acclamationibus populi. Vulgus tamen vacuum juris , & ſine falſi verique diſcrimine , ſolitas acclamationes edoctum : clamore , & vocibus adſtrepebat , abnuentis nomen Auguſti expreſſere , ut aſſumeret tam fruſtra , quam recuſaverat* „ . In antica legitur, A. VITELLIVS . IMP. GERM.

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

112.) Nummus Vitellii, cum epigraphe

113.) in antica A. VITELLIVS AVG. IMP. GERMAN. *Caput Vitellii laureatum*. In poſtica vero legitur, CAPITOLINVS I. O. MAX. Juppiter ſedens in templo . IVPPITER CAPITOLINVS Romae in Capitolio ſumma veneratione eſt cultus , & ſummo honore habitus , ut Scriptores omnes, ac veteres Inſcriptiones teſtantur. Huic proprium erat cognomen OPTIMI MAXIMI, quod (ut Ethnici ajebant) vellet , & poſſet omnibus prodeſſe : & Optimus quidem , antequam Maximus ; quia majus eſt certe, gratiuſque prodeſſe, quam magnas opes habere. Cicero Dom. cap. 57. *quocirca te*, *Capitoline* (inquit) , *quem propter beneficia populus Romanus* OPTIMUM , *propter vim* MAXIMUM *nominavit*. Et *de Finibus* lib. 3. cap.

 20. *Jo-*

20. *Jovem cum* OPTIMUM, *&* MAXIMUM *dicimus, hoc intelligi volumus, ſalutem hominum in ejus eſſe tutela*. Lactantius quoque l. 10. ait, *quod omnium horum pater Juppiter, qui ſolemni precatione* OPTIMUS MAXIMUS *nominatur*. Vide Gyraldum *Syntag. Deor.* lib. 2. pag. 79. *Rycq. de Capitolio* cap. 20. Ouzel. *in Minuc. Felic.* pag. 199. Marlianum *Topogr. Urb. Rom.* lib. 2. cap. 4. & Pitiſc. *in Sueton. Jul.* cap. 39. num. 2. Ornamenta Jovis Capitolini erant I. fulmen aureum. Livius lib. 32. cap. 1. *Cn. Flaminio & Cn. Servilio Coſs. Decemvirorum monitu decretum fuit, fulmen Jovi aureum quinquaginta pondo fieret*. Et Minucius Felix pag. 198. *Juppiter, cum Capitolinus dicitur, tunc gerit fulmina*. II. barba aurea. Suetonius de Cajo Jovem imitaturo cap. 52. *Aurea* (inquit) *barba fulmen tenens &c.* & Petron. Fragm. Tragur. pag. 29. *licet Jovem Olympium clames .... aut ego me non novi, aut non deridebis, licet barbam auream habeas*. III. Sceptrum aureum, vel eboreum. S. Auguſtinus *de Civit. Dei* lib. 4. cap. 9. *Ipſum* (inquit) *Jovem, Deorum, Dearumque Regem eſſe volunt. Hoc ejus indicat ſceptrum, hoc in alto colle Capitolium*. Et Ovidius Faſtorum lib. v.

Aſſi-

Digitized by Google

Aſſidet inde Jovi, Jovis eſt fidiſſima cuſtos,
Et praeſtat ſine vi ſceptra tremenda Jovi &c.

Vitellius in pleriſque Nummis Templum Jovis Capitolini, quod milites Veſpaſiani, fratrem in arce obſidentes, incenderant, tamquam a ſe mox aedificandum ſignari juſſit; cauſatus, quod hoc facinus luctuoſiſſimum foediſſimumque P. Romano non culpa ſua accidiſſet, ut ſcribit Vaillantius *Num. Imp. Rom.* To.2. p.81. Liebe in Gotha Nummaria de quodam Nummo Veſpaſiani ſcribens, ait: „ Capiti Veſpaſiani laurea ornato addita eſt inſcriptio: *Imperator Caeſar Veſpaſianus Conſul VIII.* Averſa in parte figura ſeminuda, Jovis nempe, dextra fulmen, ſiniſtra haſtam tenens, ſine epigraphe. Juppiter is videtur Capitolinus, cujus templum a Vitellianis exuſtum, Veſpaſianus reſtituit, Dione ex Xiphilino, & Suetonio teſtibus. Non diſſimile certe ſimulacrum ejus exhibetNummus Vitellii argenteus,quem primum Illuſtr. Spanhemius ex icone Chiffletiana, ſed deinde emendatiorem longe & prototypo omni ex parte reſpondentem edidit Cl. Vaillantius. In eo, hinc caput Vitellii laureatum, cum inſcriptione: VITELLIVS AVG. IMP.

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

GERMAN.illinc cella *Jovis Optimi Maximi*, quam appellationem Jovi Capitolino propriam fuiſſe, praeclare oſtendit ante laudatus Spanhemius; in quo idem ſedet, dextra fulmen, ſiniſtra haſtam tenens, inſcriptione addita, I. O. MAX. CAPITOLINVS. Quem Nummum rariſſimum, noſtrae quoque gazae ornamentum ſingulare,„. Fabrettus *de Columna Trajana* p. 77. hujus Templi, de quo loquimur, inſignem recitat deſcriptionem ex Dionyſio qui lib. III. ait: *Templum ſitum eſt & fundatum in alta crepidine octo plethrorum ambitu, ducentis ferme pedibus patens per latera ſingula, pari propemodum longitudine atque latitudine, vix XV. pedum differentia; frons ejus meridiem ſpectat; porticum habet cum triplici ordine columnarum; in lateribus ordo duplex eſt. Tres in eo Aedes ſeu Cellae pares, communia habentes latera; media quidem Jovis; hinc, & inde, Junonis & Minervae, ſub eodem faſtigio & tecto*. Et paullo infra idem Cl. Praeſul in Addendis ſcribit: „ Mirae autem ſubſtructionis illius templi, cujus, ex Dionyſio, antecedenti pag. 77. fit mentio, certiſſima hodie patent veſtigia, poſtquam Nobb. de Caffarelliis jugum illum inter eorum & Capitolinas Conſervatorum Aedes medium deprimere coeperunt, ut laxiorem

a ter-

a tergo ipſarum Aedium aream obtinerent. Hinc igitur detecta viſitur altitudo crepidinis, quae ſupra nativum collis verticem attollebatur; opere ſane memorando, & quod penitus aboleri (ut in dies tentant) indignum videtur. Praeſens hujus complanationis facies ita ſe habet, partim caementis, partim quadratis lapidibus in cubos ingentes vario & alterno ordine diſtributis, firmiſſima incruſtatione, materiaria trium pedum craſſitudinis totam in ſumma ſuperficie aream contegente. Inaequalitas faſtigii a Dionyſio aſſerta, etiamnum colligitur; quia reperto jam in ceteris partibus puro ſolo, a latere meridionali Foro imminenti haud parum ſubſtructio deprimitur, incomperta adhuc profunditate, necdum omnibus lapidum ordinibus ſubmotis. De hac ſubructione ita ſubdit eodem lib. 3. Dionyſius: *Huic Templo Jovis Tarquinius Rex V. ſedem cum deſignaſſet tumulo, qui difficili aditu erat, nec in ſummo planus, ſed praeruptus, & faſtigiatus; multis ex partibus amplexus eſt cum pluribus ſubſtructionibus, inter quas & verticem congeſto aggere, planam effecit aream, ad excipiendam Aedem ſacram aptiſſimam.* Ex accurata igitur ea loci deſcriptione, quae hiſce ruderibus optime convenit, contro-

ver-

verſiam inter P. Alexandrum Donatum, & Famianum Nardinum de ſitu templi ſubortam, jam facili negotio dijudicare poſſumus. Montfauconius *Antiq. Expliq.* Tom. I. part. I. pag. 40. ait: „ Juppiter vero Capitolinus heic exhibetur, qualis in Nummis cum inſcriptione *Capitolinus* occurrit. Ab aliis hoc uno internoſci ſolet, quod ſit diademate redimitus: quid quod, nec diadema clare exhibetur in Nummo, ubi vox *Capitolinus* exprimitur. Sane fatendum, nihil eſſe in Jove Capitolino, quo diſtinguatur a multis aliis, qui Jovem Capitolinum haud dudie non exprimunt. In Nummo, quodam templum Jovis Capitolini conſpicitur. In alioque Nummo facies templo averſa, aquilam exhibet fulmen unguibus tenentem, cum ſimili inſcriptione *Capitolinus*„. Vide Bellorium pag. 58. num. 15., Mediobarbum pag. 106., Theſaurum Chriſtinae Reginae Sueciae Tab. 51. num. 37., ac Muſeum Muſellianum Tom. I. Tab. 29., & Tom. III. pag. 77.

114. Nummus Vitellii, cum epigraphe in poſtica CONCORDIA AVGVSTI S. C. Concordia ſedens; quae ſiniſtra manu cornucopiam tenet, ac dextera pateram ſuper aram. Concordia, Dea apud Romanos eſt habita,

Digitized by Google

bita, & Concordialis Sacerdos magna in veneratione. Vide Ciceronem lib. 2. *de Natura Deorum*, Livium lib. 9., Ovidium lib. 1. *Faſtorum* verſ. 639. & lib. 6. verſ. 637. Inſignis Suetonii locus in Vitellio, huic Nummo interpretando lucem dabit: *Tunc* Vitellius (inquit) *ſolutum a latere pugionem Conſuli primum; deinde, illo recuſante, Magiſtratibus, ac mox Senatoribus ſingulis porrigens, nullo recipiente, quaſi* IN AEDE CONCORDIAE *poſiturus, abſceſſit. Sed quibuſdam acclamantibus, ipſum eſſe* CONCORDIAM, *rediit: nec ſolum retinere ſe ferrum aſſirmavit, verum etiam* CONCORDIAE *recipere cognomen*. Sed (inquies) de qua Aede Concordiae loquitur Suetonius? Tres Romae a Veteribus Aedes Concordiae memoratas invenio. Prima, a Furio Camillo Dictatore ſeditione populari vota circa an. U.C. 387.; & ad ipſum Capitolii adſcenſum poſita, quae reſpiciebat Forum, & Comitium, ut ſcribit Plutarchus *in Camill.* pag. 151., & Ovidius *Faſtorum* lib. 1. v. 637. Hanc Livia Auguſta reſtituit, & Tiberius dedicavit, teſtibus eodem Ovidio ibidem v. 647., Suetonio *in Tiberio* cap. 20., & Dione lib. 56. pag. 586. In ea Senatus haberi poterat, ut narrat Salluſtius *Belli Catilin.* cap. 36. &

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

36. & ideo Curia vocabatur, quemadmodum inquit Lampridius *in Alex. Sev.* cap. 6: *cum Senatus frequens in Curiam, hoc eſt in AedemConcordiæ, templum inauguratum, conveniſſet &c.* Secunda Concordiae Aedes erat in arce Tarpeja, vota a L. Manlio Praetore; & ab Atiliis (ſcilicet Marco & Cajo) dedicata, ut refert Livius lib. 22. cap. 33. & lib. 23. cap. 21. Tertia denique Concordiae Aedes condita fuit (ut dictum ſupra) in area Vulcani, eamque ſumma invidia dedicavit C. Flavius Cn. filius ſcriba; cum, more majorum, ut ait idem Livius lib. 9. cap. 46, niſi Conſul, aut Imperator, poſſet templum dedicare. Ego de prima ad Capitolii aſcenſum poſita Suetonium intelligi oportere cenſeo. Extat hic Nummus, de quo loquimur, apud Geſnerum Tab. 54. num. 3., Mediobarbum pag. 106., Patinum pag. 138., Bellorium *in Adnotat. in XII. priorum Caeſ. Numiſ.* pag. 57. nu. 9., Theupolum *in Muſ. Ant. Num.* Tom. 1. pag. 412., & Muſellium *in Muſeo Muſelliano* Tom. 3. pag. 77. Tab. 29. num. 4.

115. Nummus Vitellii, cum epigraphe in corona quernea, S. P. Q. R. OB. C. S. *Senatus Populuſque Romanus ob Cives ſervatos*. Cuſus videtur Vitellio, inito vix Principatu, militum praeſertim aſſentatione, qui eum

eum e cubiculo raptum, ita, ut erat in veſte domeſtica, Imperatorem conſalutarunt; rati, futurum Civium ſervatorem, qui, poſt Bebriacenſem victoriam, ut campos, in quibus pugnatum eſt, adiit, abhorrentes quoſdam cadaverum tabem, deteſtabili voce confirmare auſus eſt, optime olere occiſum hoſtem, & melius civem, ut ſcribit Suetonius in ejus Vita cap. 10. Petrus Bellorius *in Adnotat. in XII. priorum Caeſ. Num.* p. 57. num. 2. ſcribit: *in adulationem Vitellii, atque aemulationem Galbae, ut in ejus Nummo, ad cujus prototypum hic cuſus eſt*. Corona quernea ornabat poſtes Domus Auguſtae. Dio lib. 53. pag. 507. de Auguſto loquens, inquit: *Caeſari multi erant honores delati, nempe ut ante ipſius Domum in Palatio lauri, ac ſuper eas coronae querneae ſuſpenderentur, quod perpetuus eſſet hoſtium victor, & Civium ſervator*. Ovidius *Triſtium* lib. 3. Eleg. 1. verſ. 33.

Cauſa ſuperpoſitae ſcripto teſtata coronae,
SERVATOS CIVES *indicat hujus ope*.

Et Seneca *de Clement.* lib. 1. cap. 26. *Felicitas illa....& mereri clementia Civicam. Nullum ornamentum Principis faſtigio dignius pulchriuſque eſt, quam illa corona* OB CIVES

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

SERVATOS. Et Valerius Maximus lib. 2. cap. 8. *ad quercum* (inquit) *pronae manus porriguntur: ubi ob Cives ſervatos corona danda eſt, qua poſtes Auguſtae Domus ſempiterna gloria triumphant*. Is idem & ceteris deinde Imperatoribus honos eſt habitus, ut conſtat ex eodem Valerio Maximo lib. 4. cap. 3., Plinio lib. 15. cap. 30. & lib. 16. cap. 4. itemque ex Nummis Galbae, Vitellii, Veſpaſiani &c. in quibus legitur EX S. C. OB. CIVES SERVATOS, vel S. P. Q. R. P. P. OB. C. S. Trajani quoque Nummi coronam querneam exhibent, cum literis, COS. P. P. S. P. Q. R. OPTIMO PRINCIPI: & L. Aurelii, cum epigraphe PRIMI DECENNALES COS. III. quia huic, una cum Marco, *oblata eſt corona Civica*, teſte Capitolino *in Anton. Philoſoph.* cap. 12. Vide Vaillantium *Num. Imp. Rom.* Tom. 1. pag. 28., Theupolum *Muſ. Ant. Num.* Tom. 1. pag. 139., & Montfauconium *Antiq. Expliq.* Tom. IV. Part. 1. Tab. 23. pag. 57.

116. Nummus Vitellii apud Aeneam Vicum, cum epigraphe in poſtica, CONCORDIA PRINC. *Concordia Principis*. Figura ſedens, quae dextra pateram, ſiniſtra vero cornucopiam tenet. Vide ſupra num. 114. Ex Nummi typo, mendoſam ſuſpicor hanc inſcri-

ſcriptionem in ſchemmate Aeneae Vici, atque legendum puto, CONCORDIA PROVINC. *Concordia Provinciarum*, ut apud Petrum Bellorium *in Adnotationibus in XII. priorum Caeſ. Num.* pag. 57. num. 8., vel CONCORDIA P. R. *Concordia Populi Romani*, ut apud Geſnerum Tab. 53. nū. 14. Vide Muſeum Arſchotanum Tab. 24. num. 21, Bellorium pag. 58. num. 7., Harduinum pag. 728., Mediobarbum pag. 105., Theupolum Tom. 1. pag. 138., & Muſellium in Muſeo Tom. 1. Tab. 29. num. 1, ac Tom. 3. pag. 77. De CONCORDIA PROVINCIARUM dictum eſt ſupra numeris 100. 108. & 110.

117. Nummus Vitellii, cum epigraphe in poſtica VICTORIA AVGVSTI. Victoria, ambas imponens manus Tropaeo, in cujus imo captivus moeſtus ſuper ſpolia. Extat in *Muſ. Antiq. Num.* Theupoli Tom. 1. p. 414, & apud Patinum *de Num. Imp. Rom.* p. 138. num. 4. cum addito S. C. *Senatus Conſulto*. Legitur in antica A. VITELLIVS. GERM. IMP. AVG. P. M. TR. P. Quare iſte Nummus referendus videtur ad illam victoriam, quam ad Bebriacum per Legatos noviſſimo maximoque bello Vitellius de Othone retulit, ut ſcribit Suetonius in eodem Othone cap. 9. Cl. Vaillantius alium exhibet Vitellii

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

Nummum, cum inſcriptione VICTORIA AVGVSTI, in quo extat Victoria ſcribens in clypeo palmae arbori innixo. (Vide ſupra in noſtro Indiculo numero 101.). Petrus Bellorius *in Adnotationibus in XII. priorum Caeſ. Num.*pag.57. nu.7. alium exhibet Nummum Imperatoris Vitellii, cum literis in parte averſa VICTORIA AVGVSTI S. C. ſcribitque: *Non haec Bebriacenſis de Othone, ut opinatur Angelonus, cum id temporis Vitellius adhuc commoraretur in Gallia nondum Auguſtus & Pontifex Maximus, ſed tantum Germanicus cognominatus*. Verum in Nummo, de quo heic agimus in noſtro Indiculo, Vitellius dicitur AVGVSTVS, & PONTIFEX MAXIMVS.

118. Nummus Vitellii. Legitur in poſtica, quam heic exhibemus, AEQVITAS AVGVSTI S.C. Oſtendere videtur hic Nummus non titulorum minus, quam ciborum avidam fuiſſe hanc belluam: nec ſtultitiae Vitellii minus adulatos eſſe Romanos, quam gulae; cum eidem clariorum Principum, Auguſtorumque multis virtutibus celebratorum immerita elogia conceſſerunt, ut animadvertit Patinus *de Num. Imp. Rom.* pag. 138. num.9. Cernitur in typo Mulier ſtans, quae dextra libram, ſive bilancem tenet, ſiniſtra haſtam.

ſtam. Vide Theupolum. *Muſ. Antiq. Num.* Tom. 1. pag. 412., & Bellorium *in Adnotationibus in XII. priorum Caeſarum Numiſm.* pag. 57. num. 6. Sed quid Aequitas cum Vitellio?, qui, teſte Xiphilino, antequam in Germaniam abiret, tantum aeris alieni habebat, ut prae concurſu creditorum vix domum ingredi poſſet: jam Imperator vero nemini quidquam ſolvere voluit; ſatis magnum beneficium eos habere dicens, quod non interficerentur. Aequitas autem ſaepe ſumitur pro aequalitate inter homines, quae ad juſtitiam pertinet: & interdum ponitur pro ipſa Juſtitia. Cicero lib. 2. Offic. cap. 22. *quam autem habet* (inquit) *aequitatem, ut agrum qui nullum habuit, habeat; qui autem habuit, amittat*. Cl. Montfauconius *Antiq. Expliq.* Tom. 1. Part. 2. pag. 350. §. v. ſcribit: *Utrum* AEQUITAS *unquam in Deorum numerum ſit relata, ignoro. Illam certe in Nummis, atque in gemmis ſaepe videmus, Mulieris, libram, ſeu, ut ajunt, bilancem geſtantis forma. In gemma occurrit, altera manu haſtam, altera libram tenens. Libra ſola Aequitatis eſt ſymbolum, quae nihil, non cum menſura, & pondere facit; ac cuique, quod ſuum eſt, reddit. In Veſpaſiano lances tenet, &, haſtae loco, baculum. In* Se-

Indiculus Tabulae III Saeculi I. *Severo, baculi loco, cornucopiam tenet. Aequitas in multis aliis occurrit Nummis; ſed ſub aliqua ſemper ex memoratis formis.* Aequitatem tamen a Romanis in Deorum cenſum relatam fuiſſe, ex quodam Ciceronis loco videtur elici ſubobſcure: *Aequitas* (inquit *Topicorum* cap. 23.) *eſt triplex: una, quae ad Superos Deos; altera, ad Manes; tertia, quae ad homines pertinet. Prima Pietas, ſecunda Sanctitas, tertia Juſtitia nominatur.*

119. Nummus Vitellii, cum epigraphe in poſtica PONT. MAX. *Mulier ſedens, quae dextra pateram, ſiniſtra vero haſtam gerit.* Haec mulier, forte Sextiliam Auguſtam Vitellii matrem, cum patera, & haſta, habituque Deae Veſtae, praefigurat, inſtar Liviae Auguſtae. Suetonius in Vitellio cap. xi. ſcribit: *magis deinde ac magis, omni divino humanoque jure neglecto*, ALLIENSI DIE PONTIFICATUM MAXIMUM *coepit. Comitia in X. annos ordinavit, ſeque perpetuum Conſulem.* Hinc in antiqua Inſcriptione, quam exhibemus infra nu. 128, dicitur A. VITELLIVS L. F. IMP. COS. PERP. Vide Ezechielis Spanhemii *de Praeſtantia, & uſu Num. Antiq.* Diſſertationem XII. pag. 454. Allienſis dies, xv. Kal. Auguſti conſignatur; eaque die, juxta Suetonii ſententiam, Vitel-

tellius Imp. PONTIFEX MAXIMUS eſt creatus. Anno enim ab Urbe Condita 365, ad Alliam flumen, (qui undecimo ab Urbe lapide a Cruſtuminiis montibus in Tiberim apud Eretum Oppidum fluit) Romani ingenti clade a Gallis xv. Kal. Sextiles caeſi ſunt, ac tertio poſt die barbari victores Urbem, nemine defendente, coeperunt, ut narrat Livius lib. 6. ad inſequentem annum Urbis Conditae 366.: „ Tum (*inquit*) de diebus religioſis agitari coeptum, diem ad xv. Kal. Sextiles duplici clade inſignem, quo die ad Cremeram Fabii caeſi, quo deinde ad Alliam cum exitio Urbis foede pugnatum, a poſteriori clade ALLIENSEM nuncuparunt, inſignemque rei nulli publice, privatimque agendae fecerunt „. Varro quoque lib. 5. *de Lingua Latina* ſcribit: „ Allienſis dies ab Allia fluvio dictus: nam ibi, exercitu noſtro fugato, Galli obſederunt Romam „. Cur vero diem potius illius *inſignis cladis*, quam Urbis captae, Romani atrum, lugubrem, ac nefaſtum eſſe decreverint, Cicero tradit lib. ix. Epiſtola 5. *ad Atticum*, ſcribens: *Majores noſtri funeſtiorem diem eſſe voluerunt Allienſis pugnae, quam Urbis captae; quod hoc malum ex illo, atque alter religioſus etiam nunc dies, alter in vulgus ignotus.*

Emi-

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

EminentiſſimusCard.Noriſius *de Cenotaphiis Piſanis* Diſſert. III. cap. 3. ait : „ Acceptae apud Alliam cladis L. Aquinius haruſpex cauſam interrogatus, teſte Macrobio lib. I. *Saturnalium* cap. 16. in Senatu, a quo requirendarum religionum cauſa accitus fuerat, reſpondit : *Q. Sulpicium Tribunum militum ad Alliam adverſus Gallos pugnaturum, rem divinam dimicandi gratia feciſſe poſtridie Idus Quinctilis*. Addit, re ad collegium Pontificum a Senatu relata, Pontifices decreviſſe, *poſtridie omnes Kalendas, Nonas, Idus, atros dies habendos, ut hi dies neque praeliares, neque puri, neque comitiales eſſent*. Hinc Ovidius de iiſdem diebus poſtriduanis initio lib. 1. Faſtorum, cum Kalendas, Nonas, atque Idus nominaſſet, ſtatim ait:

.... omnibus iſtis
Ne fallare, cave, proximus ater erit.
Nomen ab eventu eſt; illis nam Roma diebus
Damna ſub adverſo triſtia marte tulit.

Et ſane horum dierum ſuperſtitio adeo in animis hominum ex majorum traditione inoleverat, ut ipſimet Chriſtiani eoſdem dies uti religioſos ſervarent. Unus mihi auctor ſufficiat Auguſtinus in expoſitione Epiſtolae Paulinae ad Galatas : *Nunc autem* (inquit) *innu-*

innumerabiles de numero fidelium cum magna confidentia in faciem nobis dicunt: die poſt Kalendas non proficiſcor. Idem teſtatur Epiſt. 119. Ceterum diem Allienſem Cicero ſuo tempore religioſum fuiſſe teſtatur; quem talem etiam habitum anno Urbis 757., quo Cajus deceſſit, ex *Cenot. Piſano* intelligitur. Vitellius, de quo loquimur, infauſtum ejus diei omen viſus eſt omnium Principum primus contempſiſſe, ut ſcribit Suetonius cap. 11. At Tacitus lib. 2. Hiſtor. non quidem *Allienſi die* Pontificatum adeptum, ſed Edictum de publicis caeremoniis emiſiſſe ſcribit: *Funeſti* (inquit) *ominis loco acceptum eſt, quod Maximum Pontificatum adeptus Vitellius, de Caeremoniis publicis XV. Kalendas Auguſti edixiſſet, antiquitus infauſto die, Cremerenſi, Allienſique cladibus*. Auctor eſt Livius lib. 6. Praeneſtinos exercitum contra Romanos ducentes, apud Alliani flumen caſtra metatos; ſpem victoriae loco deligentes. *Si diem*, dicebant, *contractum religione, inſignemque nomine ejus loci, timeant Romani?, quanto magis Allienſi die Alliam, ipſum monumentum tantae cladis, reformidaturos?* At T. Quinctius Cincinnatus Dictator jactans curaturum ſe, *ne qua terra infauſta ſit victoriae ſuae*, collatis apud Alliam cum hoſte ſi-

gnis, acceptam ante annos tredecim eo ipſo in loco cladem, inſigni victoria penſavit. Ita nulla loci religio Romanos a dimicando cohibuit. At dies Allienſis ſemper apud ipſos religioſus fuit; ut nec illo die fas eſſet jus dicere, praelium inire, ludos exhibere, comitia celebrare, ſupplicationes, ſacrificia, convivia peragere, immo ne mortuis quidem parentare. Quare Luctus in morte Caji Caeſaris a Piſana Colonia publice ſuſceptus, ut ad ſeros quoſque poſteros propagaretur, decretum fuit (ut legitur in ejuſdem C. Caeſaris Cenotaphio), *diem eum, quo die Cajus Caeſar obit, qui dies eſt ante diem VIIII. Kalend. Martias*, PRO ALLIENSI *lugubrem memoriae prodi, notarique in praeſentia, omnium juſſu ac voluntate*. Igitur ad alios etiam dies lugubres & infauſtos id nominis deinde translatum eſt.

120. Nummus in honorem Lucii Vitellii cuſus, qui Auli Vitellii Imperatoris Auguſti Pater exſtitit, tertium Conſulis, & Cenſoris. Legitur in antica A. VITELLIVS. GERM. IMP. AVG. TR. P. In poſtica vero, quam heic exhibemus, L. VITELLIVS. COS. III. CENSOR. *Caput L. Vitellii; ante quod ſcipio eburneus, in cujus vertice, aquila*, inſigne Conſularis Poteſtatis. Tacitus *Hiſtor.* lib. I. ſcri-

ſcribit: *Vitellius aderat*, *Cenſoris*, *ac ter Conſulis filius*. Anno Aerae Chr. Vulg. 33 L. Vitellius primum Conſulatum iniit cum Paullo Fabio Perſico, qui memoratur in Tabula Fratrum Arvalium apud Gruterum pag. cxvi., & cxvii., itemque in alia Tabula eorundem Fratrum, edita ex quodam lapide Hortorum Barberinorum a Sponio *Miſcell.* pag.6.Dio lib.58.p.636.*viceſimo*(inquit)*anno Imperii*, *cum frequens* (Tiberius) *in Albano*, & *Tuſculi eſſet*, *in Urbem non venit*. *Sed Conſules L. Vitellius*, & *Fabius Priſcus* (mendoſe pro *Perſicus*) *decennium* (nempe *Ludos decennales*) *nuncupavere*, *tanquam ei* (*ut Auguſto uſitatum*) *tunc Imperium prorogarent*. Vide de his Conſulibus Frontinum in libro *de Aquaeductibus*, eundem Tacitum *Annal.*lib.6.cap.28,& Suetonium *in Vitellio* cap.2.,ubi ait:*Lucius* (Vitellius) *ex Conſulatu*,*Syriae Praepoſitus* &c. Vide quoque Noriſium *in Epiſt.Conſ.*ad ann.Chr. 34. p.19. Secundum Conſulatum L. Vitellius geſſit anno Aerae Chriſti 43.cum Claudio Auguſto III., ut legitur apud Suetonium in Vita A. Vitellii cap.2. *L. Vitellius* (Auli Pater) *cum Claudio duos Ordinarios Conſulatus*, *Cenſuramque geſſiſſe dicitur*. Et Dio lib.60. p.676 ſcribit, *Claudius III. Conſul*: deinde pag. 679. lo-

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

quens de apparatu belli apud Britannos, *Claudius* (inquit), *accepto nuncio, res Urbanas, ac milites etiam Vitellio collegae ſuo (cui Conſulatum itidem, ut ſibi, ad ſex menſes dederat), mandavit*, & in Britanniam iter mari ſuſcepit. Legitur quoque in Kalendario Antiatino, TI. CLAVDIO CAESARE AVG. COS. ... L. VITELLIO II. Plura vide in noſtra Chronologia ad hunc ann. Tertium denique Conſulatum L. Vitellius geſſit, una cum Claudio Aug. IV, anno Aerae Chriſti 47. In Oratione Neronis ad Senecam apud Tacitum *Annal.* lib. 14. cap. 56. haec habentur: *Niſi forte, aut te Vitellio ter Conſuli, aut me Claudio praeponis*. Dio lib. 60. pag. 684. *Annus* (inquit) *ſequens Claudium IV. L. Vitellium III. Conſules habuit, anno Romae octingenteſimo*: & Cenſorinus *de die Natali* cap. 17, ubi de Ludis Saecularibus, *ſextos autem* (ſcribit) *fecit Tiberius Claudius Caeſar, ſe IV., & L. Vitellio III. Coſs. anno* (Urbis Conditae) 800. De Nummis, in quibus legitur, L. VITELLIVS. COS. III. CENSOR, adeundi ſunt Spanhemius Diſſert. XII. p. 475, Vaillantius *Num. Imp. Rom.* Tom. 2. pag. 81, Bellorius *in Adnot. in XII. prior. Caeſ. Num.* pag. 58. num. 4., & Theupolus *Muſ. Antiq. Num.* Tom. I. pag. 139.

121. Num-

Google

121. Nummus Vitellii, cum epigraphe XVVIR.SACR.FAC. Jacobus Gutherius lib. I. *de veteri jure Pontificio* inquit:,, Nec vero Pontificatu, & Auguratu ſolum ſolebant Imperatores inſigniri, verum etiam Quindecimviratu; ut tribus illis ſummis & ampliſſimis Sacerdotiis ſacra omnia in manu haberent.Eſt NummusVitellii argenteus,cum notis XVVIR.SACR.FAC. in quo Tripus, cum Delphino & avicula,quae ſymbola adApollinem referuntur. Ejus quoque proprii Quindecimviri erant Sacerdotes. Ex quo liquido conſtat,Imperatorem Vitellium Quindecimviratus Sacerdotio praeditum, dignitatem illam Nummis ſuis nobilitaſſe,,. Petrus Bellorius *in Adnotationibus in XII. priorum Caeſ. Numiſ.* pag. 59. num. 8. nummum hunc, de quo loquimur,ita deſcribit:,, Nummus Vitellii, cum epigraphe in antica A. VITELLIVS GERMANICVS IMP. AVG. P. M. TR. P.; in poſtica vero, XVVIR. SAC. FAC. *Quindecimvir Sacris Faciundis*. Suetonius (cap. 5.) hunc Nummum mirifice illuſtrat: etenim privatum adhuc Vitellium non ſolum honoribus, verum & *Sacerdotiis ampliſſimis auctum* ſcribit, aitque: *Is unus ex XV. ſacris faciundis &c.* Quindecimviri curam habebant librorum

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

rum Sibyllinorum : eos ex S. C. adibant, & quae legiſſent, Senatui renuntiabant, atque omnia, quae eorundem librorum juſſu facienda erant, peragebant. Quindecimviris quoque incumbebat cura Ludorum Apollinarium; Apollinique Sacra faciebant, cui erat Tripus ſacer, & CORVUS ex avibus: quare apud Statium lib. 3. *Theb.* dicitur: *Corvus non obſcurus tripodum &c.* Fuiſſe *XV Viros* Apollinis Sacerdotes, adeo certum eſt, ut & inſigne Sacerdotii Tripodis inſtar domi haberent. Unde intelligendum illud Valerii Flacci, l. 5.

Si Cymaeae mihi conſcia Vatis
Stat caſta cortina domo:

ſignificat enim, ſe *XVVirum* eſſe; & Phoebum ita ſibi propitium optat, ut ipſe domi cortinam ejus religioſe caſtus Sacerdos habeat. Servius Aeneidum lib. III. verſ. 332. „ Hinc ergo (*inquit*) & DELPHINUM ajunt inter ſacra Apollinis receptum : cujus rei veſtigium eſt, quod hodieque QUINDECIMVIRORUM cortinis DELPHINUS in ſummo honore ponitur: & pridie quam Sacrificium faciunt, velut ſymbolum, Delphinus circumfertur; ob hoc ſcilicet, quia Quindecimviri LibrorumSibyllinorum ſunt Antiſtites, Sibylla autem Apollinis Vates, & Del-

Delphinus Apollini ſacer eſt „: quia ſcilicet Apollo in Delphinum tranſmutatus fuit ex Homero. Vide Spanhemium pag. 197, Montfauconium Tom. 2. Parte 1. *Antiq. Expliq.* pag. 136. Tab. 53. num. 8., Noriſium *in Epiſt. Conſul.* Tom. 2. pag. 1034., Muſeum Arſchotanum Tab. 24. num. 3., Geſnerum Tab. 53. num. 26., Mediobarbum p. 105., Vaillantium *Num. Imp. Rom.* Tom. 2. p. 83., Theupolum *Muſ. Ant. Num.* Tom. I. p. 139., & Muſellium Tom. I. Tab. 28. num. 9., ac Tom. III. pag. 76.

122. Nummus Vitellii, cum epigraphe in poſtica, quam heic exhibemus, FIDES EXERCITVVM. Duae manus junctae. Percuſſus creditur ante introitum Vitellii in Urbem; quoniam in antica non Auguſtus, nec Pontifex Maximus, ſed tantum Germanicus appellatur. Suetonius in ejus Vita cap. 8. ſcribit: „ Vitellius a Galba in inferiorem Germaniam contra opinionem miſſus eſt, quod Galba prae ſe tulit nullos minus metuendos, quam qui de ſolo victu cogitarent; ac poſſe provincialibus copiis profundam ejus expleri gulam, ut cuivis evidens ſit, contemtu magis, quam gratia electum. In Caſtris degens, ſubito a militibus e cubiculo raptus, Imperator eſt conſalutatus; circumlatuſque

per

Indiculus Tabulae III Saeculi I. per celeberrimos vicos, ſtrictum Divi Iulii gladium tenens, detractum Delubro Martis, atque in prima gratulatione porrectum ſibi a quodam &c. CONSENTIENTE DEINDE ETIAM SUPERIORIS PROVINCIAE EXERCITU, qui prius a Galba ad Senatum defecerat, cognomen GERMANICI delatum ab univerſis cupide recepit, Auguſti diſtulit „. Fidem Exercituum junctae dextrae repraeſentant. Doctiſſimus Montfauconius *Antiquit. Expliq.* Tom. 1. part. 2. pag. 351. inquit: „Fides ſymbolis expreſſa ſaepe occurrit: frequentius ejus ſymbolum eſt, cum duae manus ſimul junguntur. Sic occurrit expreſſa Fides in Nummo Galbae, cum inſcriptione FIDES EXERCITVVM. Hoc ſymbolum, quo etiam Concordia frequenter indicatur, ſignificat animorum conjunctionem apud eos, qui fidem inter ſe mutuo conſervant. In Nummo Titi, pone manus junctas, exſurgunt caducaeus, & duae ſpicae: (quas etiam videmus in manu Fidei, cultae, ut Dea eſt). Fides mutua in Pupieno duabus junctis manibus exprimitur; quae ſignificant mutuam Pupieni & Balbini Imperatorum fidem. Fides Exercituum in Nummo Domitiani adumbratur per multos milites ſignis militaribus inſtructos, & ante Domitianum

in

in ara ignita ſacrificantem,ſtantes. Fides Legionum in Albino, per mulierem, ſignum militare utraque manu tenentem; & in Macrino fides militum ſimiliter exhibetur. In Commodo, fides militum per alloquutionem repraeſentatur. Imperator Gordianus eques inter duo ſigna militaria inſcriptionem habet *Fides Militum*„. Liebe in *Gotha Nummaria* hæc ad rem noſtram literis conſignavit p.248 §.VI.„Sunt(inquit Jobertus in libelloGallico bonæ frugis pleno,qui varias in linguas tranſlatus,totidem lectores reperit,quot veterum Nummorum ſtudio tenentur) etiam Nummi, quibus capita, hoc eſt vultus eorum, quibus cuſi ſunt, deſunt, & quorum tamen γνησιότητα, atque antiquitatem in dubium vocare nequeas. Hujus generis ſunt Nummi monetariorum Auguſti, in quibus nihil, niſi nomen ejus, AVGVSTVS TRIBVN.POT.; item Vitelliani, quorum altera in parte expreſſa tantum ſunt verba, FIDES EXERCITVVM, una cum manibus junctis; in altera vero, CONCORDIA PRAETORIANORVM, una cum figura; aliique. Vitellianis his Nummis jungendus eſt ſequens, cujus Iconem ex gaza noſtra ſubjicio. Symbolum eſt idem utraque in parte, dextrae nempe junctae: inſcriptio quoque non multum

 di-

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

diverſa, qua nempe hinc FIDES EXERCITVVM, illinc FIDES PRAETORIA*norum* commendatur: itaut multo heic potiori jure Euripidis, quae ad duos Graecos Nummos &c. laudat illuſtris Spanhemius cap. v. §. xxiv. Medea. verſ. 21., verba uſurpare liceat:

Clamat quidem jusjurandum, vocat & DEXTRAS,
FIDEM *maximam, & Deos teſtatur.*

Dextram, ac fidem jungit quoque Virgilius *Aeneid.* lib. iv. verſ. 597. in trito illo Didonis cum Aenea expoſtulantis:

EN DEXTRA FIDESQUE!

Dextram oſculis averſam appeti, in fide porrigi, Plinius lib. xi. cap. 45. ſect. ciii. To. i. pag. 639. tradit, quod DEXTRA FIDEI ſacra erat: qua de re Servius ad lib. iii. Aeneid. ver. 607. *Phyſici dicunt, eſſe conſecratas Numinibus ſingulas corporis partes, ut aurem Memoriae: hinc eſt*, Cinthius aurem vellit, & admonuit: *Frontem, Genio: unde venerantes Deum, tangimus frontem: Dextram Fidei*, & quae ſequuntur. Fidei Solenne inſtituiſſe Numam, atque ad id Sacrarium, flamines, bigis curru arcuato vehi juſſiſſe, manuque ad digitos uſque involuta rem divinam facere; ſignificantes, fidem tutandam, ſedemque ejus etiam *in dextris* ſacratam eſſe, Li-

Digitized by Google

Livius lib. 1. cap. 21. memoriae prodidit. Similem fere Nummum, cum ſymbolo eodem junctarum manuum, delineatum cernas inter Numiſmata Arſchotana, quae Commentario elegantiſſimo illuſtravit Albertus Rubenius Tab. 7. num. ultimo, Sed inſcriptio diverſa: altera enim in parte CONCORDIA EXERCITVVM; in altera FIDES PRAETORIANORVM legitur. Idemque Nummus ibi non Vitellio Imperatori, ſed Antonio IIIViro perperam tribuitur: Vitelliani enim omnino ſunt; quibus Imperator ille, a milite Germanico in primis ad Imperium evectus, Exercituum ſuorum, Praetorianorumque benevolentiam captavit. Equidem docet Suetonius cap. 20 Vitellium, quicquid Praetorianarum Cohortium fuit, ut peſſimi exempli, uno exauctoraviſſe exemplo, juſſas Tribunis tradere arma. Sed id de partibus Othonianis intelligendum. Neque enim ſui illi defuere Praetoriani, quibus (teſte Tacito Hiſtor. lib. II. cap. 92.) P. Sabinum & Julium Priſcum praepoſuit, qui & poſt adventum Vitellii Romae ſedecim Praetorias Cohortes, quibus ſingula millia ineſſent, ſcriptas, alioque loco Julium Priſcum & Alphenum Varum, cum xiv. Praetoriis Cohortibus, & omnibus Equitum alis obſidere

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

certatim pollicente , animum reſumpſit ,, & reliqua. Sed nihilominus tandem deſertus ab omnibus, miſeranda , ſed vitae anteactae ſceleribus non indigna nece interiit. At ſatis de hoc Nummo. Vide tamen Muſeum Arſchotanum Tab. 24. num. 6., Begerum Vol. 2. pag. 629. , Bellorium *in Adnotationibus in XII. priorum Caeſarum Numiſmata* pag. 58. num. 2., Geſnerum Tab. 53. num. 16., Harduinum pag. 727., Mediobarbum pag. 105., Vaillantium *Num. Imp. Rom.* Tom. I. p. 28., Theupolum Tom. I. pag. 138., ac Muſeum Muſellianum Tom. I. Tab. 28. num. 7. & Tom. III. pag. 76.

123. Protome A. Vitellii Imperatoris ex marmore Capitolino , quam Doctiſſimus Praeſul Bottarius in Animadverſionibus in Tomum II. Muſei Capitolini p. 21. ſumma eruditione ita deſcribit: ,, Ex Nummis, inquit, hoc caput Vitellium repraeſentare cognoſcitur : nam illis omnino reſpondet ; etſi in ære maxime rari ſint , & praecipue maximi moduli , ut animadvertit Vaillantius *Num. Imp. Graec.* pag. 20. qui (Patinum ſequutus *Imp. Rom. Num.* pag. 105.) ait , Coloniarum nullos eſſe; & unum tantum in Aegypto obſignatum profert *Num. aer. Colon.* p. 130. Quamobrem unuſquiſque intelligit , quam in-

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

infrequentes ſint ejus protomae. Illius effigiem ita delineavit Suetonius in ejus Vita cap. 17. *Erat in eo enormis proceritas, facies rubida, plerumque ex vinolentia, venter obeſus, alterum femur ſubdebile impulſu olim quadrigae*. Tantam pinguedinem innuit etiam Xiphilinus in Epit. Dionis lib. *66.* pag. 743. dicens: γαστροπίων ἦν, quae ex eo ortum duxerat, quod ultra modum ſeſe cibis, & potu ingurgitaverat. Nam & iter faciens, & praeternavigans, tempus terebat *inter profuſiſſimos obſoniorum apparatus*, ut idem Suetonius narrat ibidem cap. 10. Hinc a Tacito Hiſtor. lib. 2. cap. *62.* ejus ingluvies appellatur, *epularum foeda & inexplebilis libido*. Atque idem lib. I. cap. *62.* Hiſt. dicit: *torpebat Vitellius, & fortunam Principatus inerti luxu, ac prodigis epulis praeſumebat; medio diei temulentus, & ſagina gravis*. Verum enimvero gulae & ventris amor illum praecipue perdidit, nec majorem hoſtem habuit. *Vitellius* (ait idem Tacitus lib. 2. Hiſt. cap. *31.*) *ventre, & gula ſibi ipſi hoſtis*. Hinc ſatis credibile eſt, quod adfirmant Suidas (Excerp. in Tom. *3.* pag. 8*62*. Roman. Hiſtor. Script. Graecor. minor. edit. Francof. 1590.), & Eutropius lib. 7. cap. 18., & ante omnes Suetonius, qui in

ejus

ejus Vita cap.13. ait: *epulas trifariam ſemper: interdum quadrifariam diſpertire ſolitum; in jentacula, & prandia, & coenas, commeſſationeſque &c.* Indicebat autem aliud alii prandium eadem die; nec cuiquam minoris ſinguli apparatus quadringenis millibus nummum conſtiterunt. Quid amplius? Singulis horis, inter eundum, in ſacrificando, in popinis, domi, apud amicos, omnibus denique locis mandebat. Hinc bene per contemptum, & ludibrium, a vulgo, dum adducebatur ad mortem (ut ſcribit Suetonius ibidem cap. 17.), *patinarius* eſt appellatus. Quae omnia dicta ſint, ut enormem illam, quae in ejus imaginibus apparet, pinguedinem, non alienam eſſe, immo omnino veritati, & hiſtoriae conſonam fuiſſe, appareat. In Medicea Gaza extat caput marmoreum hujus Imperatoris, qui forte obeſior, ideoque in ſpeciem magis ſupinus, & ſtolidus, magiſque deformis videtur; etſi, in juventa, oris ejus praeſtantia Tiberium pellexerit, qui illum educavit Capreis inter ſcorta, & ſpintrias: & hac infami ratione Tiberii gratiam promeruit, & patris fortunam fulcivit: *exiſtimatuſque corporis gratia, initium, & cauſa incrementorum patri fuiſſe*, ait Suetonius ibid. cap.3. Praeter breve Imperium, ad Vitellianarum pro-

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

protomarum raritatem multum etiam contulit populare odium,quo factum,ut ejusStatuae, atque imagines dejectae fuerint, ut narrat Xiphilinus lib. *66*. pag. 743. in Dionis Epitome, & Tacitus Hiſtor. lib. *3*. cap. 12. illis verbis: *Tricarchi magno tumultu Vitellii imagines invadunt*; *&*, *paucis reſiſtentium obtruncatis*, *ceterum vulgus rerum novarum ſtudio in Veſpaſianum inclinabat*.

124. Nummus L. Vitellii,cum epigraphe L. VITELLIVS. COS. III. CENSOR. De tribus Conſulatibus L. Vitellii Patris A. Vitellii Imperatoris, vide ſupra in Indiculo num. 120. Cl.Vaillantius *de Num.Rom.Imp.* Tom. II. pag. 82. alium exhibet Nummum, in quo legitur eadem inſcriptio, circa figuram togatam ſedentem,quae dextram extendit,& laeva ſcipionem eburneum tenet. Eximium hoc eſt Cenſurae L.Vitellii Patris Imperatoris monumentum, quod in Nummis luculenter exprimere voluit filius ejus, cum Cenſura omnium honorum apex eſſet exPlutarcho inCatoneMajore pag.345.L.Vitellius in ſella curuli ex ebore ibi viſitur, qua Cenſores in publico, & privato loco, ſedendi cauſa, utebantur. Cenſuram geſſit anno Aerae Chriſti Vulg. 48. Vide noſtram Chronologiam ad eundem annum. Lucius Vitellius, quo-

quoniam non ut Q. Fulvius, aut T. Manlius Torquatus, duobus, apud Livium lib. 25. cap. 5, ſed tribus erat Conſulatibus, & Cenſura inſignis, ab hac etiam praecipua, & per ſe eximia, & ſub Caeſaribus ſingularis exempli, a Filio honoris apud poſteros monumentum accepit. *Explica totos Faſtos*, inquit de Scipione Cenſore Valerius Max. lib. 8. cap. 13, *Conſule omnes currus trimphales, nihil tamen morum principatu ſpecioſius reperies.* Nummi ergo, ut L. Vitellii, & Statuae, ut Scipionis, inſcriptum habuerunt eximium Cenſoris nomen. Patris Auli Vitel. Imp. nobilitatem ut extollat Tacitus, ab ipſo (*Hiſt.* lib. 3. c. 9.) *Cenſoris Vitellii filius* dicitur. Praecipuum nempe Romanae nobilitatis decus domus Cenſoriae, quarum meminit Halicarnaſſaeus lib. I. pag. 60., qui Commentarios Cenſorios, tamquam paterna ſacra, a patre ad filium docet tranſiſſe, & multos e domibus Cenſoriis Viros illuſtres talia conſervaſſe.

125. Nummus Vitellii, cum epigraphe in antica A. VITELLIVS. GERMANICVS. IMP. AVG. P. M. TR. P., in poſtica vero, quam heic exhibemus, AVGVST. PAX. nempe *Auguſta Pax*, vel *Auguſti Pax*: nam utrumque totidem verbis in aliis Nummis expreſſe legitur. Inſcriptio admodum trita

 eſt

eſt, & frequens; quam adductis in medium veterum Scriptorum locis luculenter illuſtrat ſummusVir Ezechiel Spanhemius Tom. II. pag. 641. Typus, Pacem repraeſentat ſub forma mulieris, dextra oleae ramum, & ſiniſtra cornucopiam gerentis. Olea, pacis eſt ſymbolum, etiam Minervae ſacrum; cornucopia vero, omnium rerum, pacis temporibus, abundatiam deſignat. Pax, Concordia, Aequitas, Libertas, ſunt decora Principum, & grata Populis nomina, a quibus Imperatores auſpicabantur Imperium. Eadem in Galbae Nummis, ipſius conſona virtutibus; Vitellio diſſona, atque in ejus oſtentationem decantata; ut ſcite animadvertit Bellorius *in Adnotationibus in XII. priorum Caeſarum Numiſmata* pag.57. nu.1. Vide Theupolum *Muſ.Antiq.Num.* Tom. I. pag. 418.

126. Nummus Vitellii. Legitur in poſtica, quam heic exhibemus, RESTITVTA LIBERTAS. *Libertas ſtans, quae dextra pileum, & ſiniſtra haſtam tenet*. Vide Landum *in Vet. Num. Rom. Miſc. Explic. Miſc. Ital.* To.I.p.392., Giraldum *Syntag.Deor.*I. pag. 38., & Ortel. *Deor.*& *Dear.* libro 2.cap.52. Libertas, a Romanis Dea habita & culta eſt, ut qui maxime ei ſtuderent, ab eo videlicet tem-

tempore, quo in libertatem ſeſe vindicavere. Eidem Templum in Aventino dedicatum fuit. Cicero lib. 2. *de Natura Deorum* ait: *Quid Opis? quid Salutis? quid Concordiae?* LIBERTATIS? *Victoriae? quarum omnium rerum quia vis erat tanta, ut ſine Deo regi non poſſet, ipſa res Deorum nomen obtinuit*. Vide ſupra in noſtro Indiculo hujus Tabulae numero 105., ubi idem fere typus occurrit in alio Vitellii Nummo. Indiculus Tabulae III Saeculi I.

127. Inſcriptio monumenti Sepulcralis, quod L. Vitellius Lucii Libertus Caelius fieri juſſit Lucio Vitellio Lucii Liberto Grato. Hic autem fuit Auli Vitellii Imperatoris Auguſti MINISTRATOR, qui ſcilicet menſae ejus adſtabat, ac coenam, obſonia, potumque inferebat. Seneca Epiſt. 95. *tranſeo* (inquit) *piſtorum turbam, tranſeo* MINISTRATORUM, *per quos ſigno dato ad inferendam coenam diſcurritur*. Et Petronius cap. 31. ſcribit: *Vinum dominicum* MINISTRATORIS *gratia eſt*. Antiquum marmor apud Pignorium *de Servis* pag. 130. habet, AMARANTHVS AVGVSTI MINISTRATOR, TVRRANIANVS, ERASTVS, ET ANSIO CAESARIS MINISTRATORES. Vide Popm. *de Oper. Serv.* pag. 120., Sponium *Miſcellan. Erud. Antiquit.* ſectione 6. pag. 213., & Begerum

 Spi-

Spicil. Antiq. lib.3.cap.34. Dicitur hic L.Vitellius *Decuriae Quartae* (Judicum), non ita ideo dictae, quod X. continerent,ſed quia *decuriare*, eſt deſcribere, & in ordinem redigere.Cicero pro *Domo ſua* c.5.*cum deſperatis Ducibus decuriatos & deſcriptos haberes exercitus perditorum*:& pro *Sext.Roſc.*cap.15.*cum vicatim ſervi ejus conſcriberentur, & decuriarentur. Decuriam Senatoriam* idem Cicero,loquens de Judicibus,appellat *in Verrem* II.32., *hunc hominem Judicum numero habebimus; hinc alteram Decuriam Senatoriam Judex obtinebit.*Et Aſcon. *Verr.*II. *Neceſſe fuerat* (inquit) *eos primum de Curia* L *ex Decuria Senatoria deſcribi*. Patet ergo, cum judicaret Senatus, Decuriam Senatoriam factam Judicum. N mirum ex CCC illis Senatoribus, de quibus Plutarchus in Gracchis, qui judicabant,fiebat haec Decuria Senatoria.Jam vero alii CCC equites additi per legem Gracchi,ut idem Plutarchus ſcribit,fuit Decuria Equitum. Ita etiam, cum per legem Cottae additi ſunt Tribuni aerarii, illa TERTIA Decuria fuit. Hanc vero Caeſar ſuſtulit. Suetonius enim c.41.n.5.ſcribit, *judicia ad duo genera Judicum redegit, Equeſtris ordinis, & Senatorii. Tribunos aerarii, quod erat tertium, ſuſtulit.* Poſt mortem Julii, Antonius legem tulit de alau-

-alaudis, & centurionibus; ſed non eſt perlata, quia hoſtis eſt judicatus. Ideo Cicero *Philip.* I. 8. ait: *lex eſt promulgata de tertia Decuria Judicum*. Nam haec fuiſſet tertia, ut ante erat Tribunorum Aerariorum, quam ſuſtulerat Caeſar. QVARTAM Auguſtus *addidit ex inferiore cenſu, quae Ducenariorum vocaretur, & judicaret de levioribus ſummis*. Vide Suetonium cap. 32. num. 7. qui Quartam hanc addidiſſe Auguſtum dicit. Credibile eſt ergo, illam tertiam Tribunorum aerariorum poſtea fuiſſe reſtitutam. Quintam *adjecit Cajus Princeps*; *tantuſque natus eſt faſtus, ut quae ſub Auguſto impleri non potuerant Decuriae, non capiant eum Ordinem, paſſimque ad ornamenta ea* ETIAM SERVITUTE LIBERATI *tranſiliant*: *quod antea nunquam erat factum*; *quoniam in ferreo annulo Equites Judiceſque intelligebantur*, ut ſcribit Plinius lib. 32. cap. 1. Sextam tamen, etiamſi multi peterent, noluit Galba Imperator addere. Suetonius in ejus Vita cap. 14. ait: *Judicibus ſextam Decuriam addi petentibus negavit*. Forte legendum in noſtro marmore, *Decuriae quartae Decurio Faucia*, (nempe ex *Tribu Faucia* more veterum).

128. Inſcriptio A. Vitellii Lucii filii, Impe-

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

peratoris, Conſulis perpetui. Extat Romae in Aedibus Card. Caeſii. De Lucio Vitellio Auli Vitellii Patre, qui fuit Cenſor, & Conſul III, egimus ſupra numeris 120. & 124. hujus Tabulae. Anno Aerae Chriſti Communis 69. Otho Imp. menſe Aprili Bebriaci interiit. Vitellius, qui tertio Nonas Januarii ab exercitu Imperator ſalutatus fuerat, Mario Celſo Conſulatum ſervavit, ſed mox ădemit, & Caecilio Simplici dedit. Deinde, ut Valenti, & Caecinae honores aperiret, aliorum Conſulatus coarctari juſſit, & alios praeteriit, ut M. Macrum, & Valerium Marinum, & Pedianum Coſtam. Tacitus *Hiſtor.* lib. 2. cap. 71. & 72. *Comitia*, inquit, *Conſulum item celebravit.* Pridie Kal. Novembres Roſſius Regulus iniit, ut idem ait lib. 3. c. 37. De Cn. Caecilio Simplici, & L. Quintio Attico vix per hos dies Conſulum umbram gerentibus, legendus Tacitus *Hiſtor.* lib. 4. c. 68. & 73. Dio Xiphilini lib. 65. pag. 741. *quas ob res* (inquit), *praeſertim cum jam Priſcus* (Helvidius) *appropinquaret, C. Quintius Atticus, & Cn. Caecilius Simplex Conſules, & Sabinus propinquus Veſpaſiani, aliique primarii Viri ſimul conveniunt.* Vitellius vero ſe PERPETUUM CONSULEM dixit. Scribit enim Suetonius in ejus Vita cap. xi. *Allienſi*

die

die Pontificatum Maximum coepit, comitia in decem annos ordinavit, ſeque PERPETUUM CONSULEM . Eadem ferme Tacitus; & vetus lapis, & Nummus apud Goltzium, A. VITELLIVS L. FILIVS IMP. COS. PERP. Vide in rem hanc Ezechielis Spanhemii *de Praeſtantia & uſu Numiſm. Antiq.* Diſſertationem xii. pag. 454.

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

129. Inſcriptio (quam ſic lego) Auli Vitellii Auli filii Ocriculanae Tribus, Creſcentii Duumviri Capitalis, Quinti Valerii Quinti filii item Tribus Ocriculanae, & Pacati item Duumviri Capitalis: hi cum Conſervatoribus neſcio quod ſacrum Aedificium reſtituerunt. Tribus Ocriculana, una fuiſſe videtur ex Tribubus a Servio Tullio inſtitutis, ſive a Gente, ſive a Loco ſic appellata; in quam Ocriculani in Civitatem recepti a Cenſoribus relati fuerunt. Extat alius antiquus lapis Via Flaminia, in quo eadem Tribus legitur,

GENIO
IOVI. STYGIO SANCTO
SACRVM
SEX. POMPEIVS SEX. FIL.
OCRIC. CIVICA
MIL. COH. VIII. PRAET.

Vide

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

Vide Panvinium conterraneum meum *de Civit. Rom.* cap. 51., & Urſatum *de Not. Rom.* Theſ. Antiq. Rom. Graevii To. xi. pap. 884. DUUMVIRI CAPITALES dicebantur, qui de perduellionis crimine judicabant. Livius lib. I. cap. 26. *Duumviros* (inquit), *qui Horatio perduellionem judicent, ſecundum legem facio. Lex horrendi carminis erat: Duumviri perduellionem judicent. Si a Duumviris provocavit, provocatione certato: ſi vincent, capite obnubito: infelici arbori reſte ſuſpendito. Verberato vel intra pomoerium, vel extra pomoerium.* Duravit hic mos ſemper, *ſtante Republica*. Quare C. Rabirius a Julio Caeſare, & L. Caeſare Duumviris perduellionis damnatus eſt: ſed ad populum provocavit, ut omnibus eſt notum ex Suet. Jul. cap. 12. num. 1., Dione lib. 37. pag. 41. & ex Oratione Ciceronis *pro Domo ſua*. Vide Hotômannum *de Magiſtr. Rom.* apud Graevium *Theſ. Antiq. Roman.* Tom. II. p. 1870, Sigonium *de Judiciis* lib. 3. cap. 4. & 15., Manutium *de Legibus* cap. 4., Laz. *Comment. Reip. Rom.* lib. III. cap. 2., Flocc. *de Poteſt. Roman.* lib. 2. cap. 5., & Laet. *de Magiſtr. Roman.* cap. 6. Conſervatores Aedium Sacrarum in vetuſtis monumentis apud Romanos dicebantur, quibus munus tuendi ſarta te-

tecta templorum fuit demandatum. Fuerunt illi primum Cenſores, poſt eos Aediles, ut animadvertit Fabricius *Deſcr. Urb. Rom.* c. 9.

130. Nummus Vitellii, cum epigraphe in poſtica PROVIDENT. *Ara Providentiae,* poſt Divi Auguſti mortem in Nummis a Tiberio cuſa, atque a Vitellio in hoc typo reſtituta. Petrus Berthaldus in lib. *de Ara* cap. 22. apud Graevium Tom. VI. *Antiquit. Rom.* pag. 361. ſcribit: *Imperatorum providentiae, aliiſque virtutibus Aras adulatio poſuit; ac in primis Auguſto erectas paſſim Aras Auctores teſtantur, in quibus ea vox apponebatur* PROVIDENTIA, *quibus ſcilicet Aris per Auguſti Divinitatem neceſſaria ſibi populus poſtulabat*. Vide Patinum *de Num. Imp. Rom.* pag. 138. num. 10., Petrum Bellorium *in Adnotationibus in XII. priorum Caeſarum Numiſmata* pag. 57. num. 3., Vaillantium *Num. Imp. Rom.* Tom. I. pag. 28., Muſeum Theupolum Tom. I. pag. 414., Gutherum *de Jure Manium* lib. 2. cap. 5., Briſſonium *de Formul.* lib. I. pag. 116., & Choul. *Relig. Vet. Rom.* pag. 58.

131. Nummus Vitellii, cum epigraphe in poſtica, HONOS ET VIRTVS. S. C. *Duae figurae ſtantes, quarum una haſtam dextra, cornucopiam laeva tenet, pede ſiniſtro galeae im-*

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

poſito: altera galcata, dextra parazonium, & ſiniſtra haſtam gerit, pedeque dextero teſtudinem premit. Cur Virtus teſtudinem terat in hoc Nummo, aliis diſcutiendum relinquo. Afferam tamen inſignem Taciti locum *Hiſt.* lib.3.c.27. qui neſcio an ad rem noſtram faciat. *Tum* (inquit) *elatis ſuper capita ſcutis, denſa teſtudine ſuccedunt. Romanae utrinque artes: pondera ſaxorum Vitelliani pervolvunt, disjectam fluitantemque teſtudinem lanceis, contiſque ſcrutantur: donec, ſoluta compage ſcutorum, exangues, aut laceros proſternerent*. Teſtudo militaris ſequebatur coronam, qua utebantur ſub muris, ut tecti & conferti ſuccederent, aſcenderentque. Scuta elata ſuper caput, quod proprium eſt teſtudinis, in Romanis Arcubus, & Columnis hodieque viſuntur expreſſa. Extra Portam Collinam lamina fuit inventa, in qua ſcriptum, DOMINA HONORIS. Vide Guterum *de Jure Manium* lib. 2. cap. 33. Nemo Honoris Templum ingredi poterat, qui non prius eſſet Virtutis ingreſſus, ut ſcribit S. Auguſtinus *de Civit. Dei* lib. v. c. 12. Aedificatum autem fuit ad Portam Capenam. Illud voverat M. Marcellus Conſul, ut ſcribit Livius lib. 27. cap. 25., qui & cauſam affert, dicens: *Marcellum aliae atque aliae objectae animo re-*

religiones tenebant: *in quibus,quod cum bello Gallico ad Claſtidium* (Oppidum Ligurum) *Aedem Honori, & Virtuti vovisset, dedicatio ejus a Pontificibus impediebatur; quod negabant, unam cellam, amplius quam uni Deo, rite dedicari; quia ſi de Caelo tacta, aut prodigii aliquid in ea factum eſſet, difficilis procuratio fieret; quod utri Deo divina res fieret, ſciri non poſſet. Neque enim duobus, niſi certis Diis, rite una hoſtia fieri. Ita addita Virtutis Aedes approperato opere. Neque tamen ab ipſo Aedes eae dedicatae ſunt*. Id fecit Marcellus filius, teſte eodem Livio lib. 29. cap. 11. *Aedem Virtutis eo anno ad Portam Capenam M.Marcellus dedicavit, ſeptimo decimo anno poſtquam a Patre ejus primo Conſulatu vota in Gallia ad Claſtidium fuerat*. Non igitur ſolius illic Aedes Virtutis extructa fuit, ut nonnemo male opinatur; verum priori duabus Deabus illis deſtinatae & mox ſoli *Honori* dedicatae, altera *Virtutis* addita eſt: quod etiam teſtatur Symmachus *Epiſt.* lib. I. 14. *Bene*, inquit, *ac ſapienter Majores noſtri, ut ſunt alia aetatis illius, Aedes* HONORI *atque* VIRTUTI *gemellas junctim locarunt, commenti, quod ante vidimus, ibi eſſe praemia honoris, ubi ſunt merita virtutis*. Unde liquet, utramque Aedem con-

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

conjunctim poſitam fuiſſe; exornatam vero fuiſſe a Marcello nepote conditoris, ſtatuis, & inſcriptione, ut narrat Aſconius in Cicerone pag. 163. ſcribens: *idem, cum ſtatuas ſibi, ac patri, itemque avo poneret in monumentis Avi ſui ad Honoris & Virtutis Aedem, ſubſcripſit:* III. *Marcelli novies Coſs. Fuerat autem Avus quinquies, Pater ſemel, ipſe ter*. Cl. Montfauconius *Antiq. Expliq.* Tom. 1. Part. 2. pag. 348. *Cultus* (inquit) *ille honorque Divinus, quem Virtutibus praeſtabant Graeci, Romanique, minus rationi abſonus erat, quam ceterae apud illos Sacrorum religiones. Videntur illi Virtutes, ceu cauſas habuiſſe virtutum illarum, quas in hominibus ſuſpicimus. Virtus ipſa Dea erat, quae cum Honore plerumque jungebatur. Erat Romae Templum Honoris & Virtutis a Cajo Mario ſtructum*, (de quo Vitruvius loquitur lib. 3. cap. 1. & in Praef. lib. VII.): *in Nummis etiam Honor & Virtus ſaepe conjunguntur; quo ſignificatur, veram ad honorem viam eſſe virtutem, & utrumque copulari. In poſtica nummi Galbae facie ambo ſimul comparent: Honor veſte muliebri ornatur, quae mulier cornucopiam ſiniſtra tenet, dextra haſtam. Virtus militari veſte induitur, caſſide caput tegitur, dextera manu baculum, aut parazonium tenet,*

net, ſiniſtra haſtam, pedeque dextero galeam premit. In Nummis etiam Vitellii alius fere ſimilis typus occurrit. Duo capita Honoris, & Virtutis, ſimul ſunt in Nummo Familiae Corneliae, ubi illa imago, quae caſſidem geſtat, Virtus eſt. In Egnatia Familia Honor, & Virtus, ſuam ſinguli haſtam tenent, Cupidoque capiti Honoris coronam imponit. Ad utriuſque latus prora eſt, in qua gubernaculum inverſum. In Fuſia familia Honor & Virtus ſuas inſcriptiones habent HO. VIRT. *Honor itaque & Virtus ſaepe ſimul verſabantur. Cultus ipſorum communis erat in Templis, inque veterum monumentis. Separatim etiam illi colebantur. Honorem ſolum frequenter offendimus: ſic conſpicitur in Nummo Titi Imperatoris, ubi vir haſtam dextera tenens, ſiniſtra vero cornucopiam, pede globum premit &c.*

132. Nummus Vitellii, cum epigraphe in poſtica CONCORDIA P R. *Concordia* (de qua ſupra in noſtro Indiculo num. 110. 114. & 116. hujus Tabulae) *ſedens: dextra pateram, & ſiniſtra cornucopiam gerit.* Vide Muſeum Arſchotanum Tab. 24. num. 21., Bellorium *in Adnotationibus in XII. priorum Caeſarum Numiſmata* pag. 58. num. 7., Geſnerum Tab. 53. num. 14., Harduinum pag. 728.,

pag. 728., Mediobarbum pag. 105., Vaillantium *Num. Imp. Rom.* Tom. II. pag. 80., Theupolum in Muſeo Tom. I. pag. 80, & Muſellium Tom. I. Tab. 28., & Tom. III. p. 77. Heic non repetenda ſunt illa Suetonii verba: *Tunc Vitellius ſolutum a latere pugionem Conſuli primum, deinde, illo recuſante, Magiſtratibus, ac mox Senatoribus ſingulis porrigens; nullo recipiente, quaſi in Aede Concordiae poſiturus, abſceſſit. Sed quibuſdam acclamantibus, ipſum eſſe Concordiam, rediit: nec ſolum retinere ſe ferrum affirmavit, verum etiam Concordiae recipere cognomen.*

133. Protome Petroniae Vitellii uxoris, ex Muſeo Parmenſi. Aeneas Vicus de Auguſtarum Imaginibus pag. 167. ſcribit: *Petronia Conſularis hominis filia, ex Vitellio ejus marito, qui tunc etiam private vivebat, unum habuit filium altero oculo coecum, quem nominavit* Petronium. *Nupſit Cornelio Dolabellae Vitellianarum partium Duci; cum divortium inter eam accidiſſet, & Vitellium,* uti ſcribit libro 18 Tacitus. *Teſtamentum condidit, Petroniumque inſtituit haeredem; ita tamen, ut procuraret, ut a paterno jure liberaretur: quare exhaeredatus fuit a Vitellio. Quin etiam pauco temporis ſpatio interfectus*

fectus putatur ; quoniam accuſatus eſt, quod paternam mortem inquireret, ut Auctor eſt Suetonius in ipſius Vitellii vita.

134. Nummus Veſpaſiani. Legitur in antica IMP. CAESAR VESPASIANVS AVG. TR. P. *Caput Veſpaſiani laureatum*: in poſtica vero TRIVMP. AVG. *Triumphus Auguſti*. Viſitur Imperator in quadrigis, qui dextra ramum tenet, & a Victoria coronatur: ante eum tibicen; & ante currum duo captivi, manibus poſt terga revinctis. Hi videntur eſſe Joannes & Simon Grorae ſeditioſorum duces, qui, teſte Joſepho lib.7. *de Bello* cap.24, in eo Triumpho ducti ſunt cum DCC Judaeis robore & forma praeſtantibus: e quibus ſolus Simon (Barpores a Dione cognominatus) capitis ſupplicium pertulit. Veſpaſianus & Titus eodem die de Judaeis ſeorſim triumpharunt ſub finem menſis Aprilis anno Aerae Chr. Vulg. 71: nam Domitianus eidem Triumpho Conſul interfuit, qui, ut ait Suetonius in Domitiano, nullum Conſulatum geſſit *ultra Kalendas Maji*; & eodem anno *ante Kal. Apriles* Conſul Suffectus erat. Id oſtendit Em. Card. Noriſius *in Epiſt. Conſ.* pag. 53. ex Gruteriana Inſcriptione pag. 573. n.1. ubi habetur, IMP. CAESAR. VESPASIANVS AVG. PONT. MAX.

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

MAX. TR. POT. II. IMP. VI. P. P. COS. III. DESIGN. IV, qui lapis ſcalptus ibidem dicitur NON. APRIL. CAESARE AVG. F. DOMITIANO CN. PEDIO CASTO COS. Nummos item profert laudatus Noriſius, ex quibus, menſe Martio hujus anni *Domitianum* primum Suffectum Conſulatum geſſiſſe, palam fit. Hinc Veſpaſiano, & Tito nummi quoque ſeorſim cuſi cum triumphalibus Quadrigis, quoniam utrique Triumphum Senatus proprium decreverat, ut ſcribit Joſephus, in loco, quem paullo ſupra allegavi. Ab hac Victoria uterque, pater nempe, & filius, Imperatoris nomen obtinuit: neuter tamen JUDAICUS cognominatus eſt; licet alia multa, atque in primis Arcus Triumphales eis decreti ſint, ut narrat Xiphilinus ex Dione. Extat adhuc Romae ad radices montis Palatini Arcus Triumphalis marmoreus in honorem Titi poſt ejus mortem erectus: cujus (una cum inſtrumentis Templi Hieroſolymitani in eo Triumpho traductis) ectypus habetur expreſſus per ſingulas partes in hac Tabula, quam explicamus.

135. Antiquus lapis editus a Grutero pag. 1076, in quo leguntur vota a Collegio Augurum nuncupata pro Salute Imperatoris Caeſaris Veſpaſiani Auguſti, & filiorum ejus. Ex-

Exſtat in hortis Julii III. Pont. Max. in Vaticano. Viſitur in eo corona quercea, menſaque, ſupra quam tripus & delphinus: juxta eam, hinc candela accenſa, inde lituus & cantharus. Notae RR. PS ita legantur, *rationibus relatis poſuit*. Nam RR. erat ſolemnis nota apud Veteres, qua *rationes relatas* ſignificabant, ut Feſtus dilucide ſcribit: RR *duobus*, *in compluribus orationibus*, *cum de Actis diſſeritur*, *etiam praeſcribi ſolet*, *ideſt* RATIONUM RELATARUM, *quod iis tabulis docentur judices*, *quae publice data atque accepta ſint*. Vide Sigonium de *Judiciis* lib. 2. cap. 16. Tripus, & delphinus, inſignia ſunt Auguratus Apollini ſacra; uti etiam corona querna, ac lituus, cantharuſque. Quatuor erant ſumma Collegia, *Pontificum* videlicet, *Augurum*, *Septemvirorum Epulonum*, *&* *Quindecim Virorum*. Imperatores jus creandi Augures jam ſibi vindicaverant. Augures coronati incedebant, ut oſtendit Plutarchus *Caeſ.* p. 730. Patavii Cornelius Augur, cum viciſſe Pharſalico praelio Caeſarem renuntiaſſet, detracta capiti corona, juravit, non prius coronam in caput repoſiturum, quam arti fides conſtitiſſet. Cum Augures auſpicari vellent, in hemicyclo ſe collocabant, ac circulum ſibi definiebant

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

lituo. Hujus, qui ſemper inſigne Auguratus fuit, primus uſus a Romulo fluxiſſe creditur, qui eo Regiones direxit, cum Urbem conderet, ut ſcribit Cicero *de Divinat.* lib. I. c. 17. Mediam noctem captandis auguriis commodiſſimam putabant: nimirum quia aves tunc minus, quam interdiu, in motu ſuo naturali, atque volatu, ſolent turbari: quod in auguriis maxime requirebatur, ut naturalem & proprium avium inſtinctum Augures explorarent. Quamobrem candelae Augurum ardentes patebant, neque operculo unquam tegebantur; ut ex flammae agitatione tanto facilius atque accuratius Augures obſervarent, num tranquillum caelum; an vero ventorum flatibus moveretur. Ubi enim ventus ſpirat, non tam inſtinctum ſuum aves, quam venti impulſum ſequuntur. Statius *Thebaid.* lib. 2. verſ. 692. peritos aeris & ventorum Augures appellat. Nonnulli volunt, ab Apolline inventam artem Auguralem: quare & *Apollo Augur* dicitur ab Horatio *Od.* lib. I. 2. 32. Vide ſupra in noſtro Indiculo hujus Tabulae numero 121, ubi egimus de reliquis inſignibus Auguralibus Apollini ſacris, quae in hoc marmore ſcalpta conſpiciuntur.

136. Protome Veſpaſiani Imperatoris ex mar-

marmore Capitolino elegantiſſime ſcalpto. Similitudo ejus ex Nummis elucet, quorum ingens vis ubique occurrit, praeter quam maximi moduli. *Statura* (ut ſcribit Suetonius in ejus Vita cap. 20.) *fuit quadrata, compactis firmiſque membris, vultu veluti nitentis: unde quidam urbanorum non infacete, ſiquidem petenti, ut & in ſe aliquid diceret:,, dicam, inquit, cum ventrem exonerare deſieris.,,* Os ejus, ut vides, eſt mire ad urbanitatem, riſumque compoſitus. Quare idem Suetonius cap. 22. *multa* (inquit) *joco tranſigebat: erat enim dicacitatis plurimae, & ſic ſcurrilis, & ſordidae, ut ne praetextatis quidem verbis abſtineret.* Tacitus tamen *Hiſt.* lib. 2. cap. 5. nobilioribus lineamentis ejuſdem animum pingit: *Veſpaſianus* (inquit) *acer militiae, anteire agmen, locum Caſtris capere, noctu diuque conſilio, ac, ſi res poſceret, manu hoſtibus obniti: cibo fortuito, veſte habituque vix a gregario milite diſcrepans.* Dio apud Xiphilinum *Hiſtor.* lib. 66. pag. 749. Veſpaſianum *mitiſſimum* dicit. Et Suidas *Excerpt.* num. XI. affirmat, nullum ante ipſum extitiſſe Imperatorem *aut largiorem, aut magis reſpicientem ad aequalitatem, & juſtitiam in praemiis diſtribuendis.* Vide Doctiſſimum Praeſulem

Bottarium in Animadverſionibus in Tomum II. Muſei Capitolini pag. 21.

137. Nummus Veſpaſiani, poſt ejus mortem cuſus, cum epigraphe in antica, quam heic exhibemus, DIVVS AVGVSTVS VESPASIANVS. *Caput Veſpaſiani laureatum*. In poſtica *duo capricorni, in quorum medio clypeus votivus, cum literis* S.C. Senatus Conſulto, *globo dependente*. Huic fere ſimilis typus occurrit in Auguſto, & Veſpaſianum caelo aſſumptum denotat. Capricornum, portam eſſe Heroibus patentem, Porphyrius *de Antro Nymph.*, & Macrobius *in Scipionis Somn.* docent. Quare Germanicus Caeſar de Auguſto inter Divos relato ait:

> *Hic, Auguſte, tuum genitali corpore numen*
> *Attonitas inter gentes, Patriamque parentem,*
> *In Caelum tulit, & maternis reddidit aſtris.*

Extat Nummus ex auro apud Bellorium pag. 67. cum literis DIVVS AVGVSTVS VESPASIANVS S. C. In typo, Columna, cum clypeo, & lauri ramis, ut in argenteo. In alio vero ex ære legitur in antica, ut ſupra: in poſtica vero VESTA. S. C. *Veſta ſedens, quae dextra Palladium, & ſiniſtra haſtam*

haſtam gerit. Et in tribus aliis argenteis DIVVS AVGVSTVS VESPASIANVS, cum typo, in uno (EX S.C.) *Victoriae, quae clypeum ſuperimponit tropaeo, ſub quo captivus*; in altero, cum typo (item EX S.C.) *columnae, ſupra qua vas* (forte cinerum poſt conſecrationem ejus) *cum clypeo votivo*; in tertio denique cum typo *Deae Cereris*. Hic Nummus in poſtica cuſus eſt vivente Veſpaſiano, & repetitus cum antica poſt ejus mortem, quae accidit VIII. Kal. Julii an. Aer. Vulg. 79. ut docet Suetonius in ejus Vita c. 24. *Conſulatu ſuo nono tentatus eſt in Campania motiunculis levibus &c.* Mox: *dumque conſurgit, & nititur, in manus ſublevantium extinctus eſt VIII. Kal. Julias*. *Regnavit* autem *annos X., ſex diebus exceptis*, inquit Dio, qui a Kalendis Juliis anni Chriſti 69 initium ejus repetit. Euſebius in Chronico, Clemens Alexandrinus, & Theophilus Antiochenus, Imperium ejus a V. Nonas Julii, ſeu a die III. ejuſdem menſis, exordientes, tradunt eum imperaſſe annos IX., menſes XI, dies XXII. Titus, qui imperare coepit ex die VII. Kal. Julii ejuſdem anni Chriſti 79, quo Veſpaſianus mortem obiit, ſtatim Patri honores divinos decrevit. Hos vero Veſpaſianus ipſe in prima morbi acceſſione, Romanorum mo-

Digitized by Google

mores irridens, eſſe vicinos praeſenſit, cum, teſte Xiphilino, lepide pronunciavit, *ut puto, Deus fio*. Conſecrationis ejus mentionem faciunt Suetonius in Vita cap. 23., Statius Silvarum I., ac Eutropius, qui lib. 7. ait: *atque inter Divos relatus eſt*. Cl. Vaillantius *Num. Imp. Rom.* Tom. 2. pag. 86. alium Nummum refert, in quo legitur DIVVS AVGVSTVS VESPASIANVS EX S. C. Carpentum a quatuor equis tractum, pompa Circenſi, & quidem ex Senatus Conſulto. Flamen quoque Veſpaſiano decretus, & M. Baebius ejus Sacerdotio initiatus eſt, ut docet vetus Inſcriptio apud Panvinium.

138. Nummus Veſpaſiani, cum epigraphe in antica IMP. CAES. VESPASIAN. AVG. P. M. TR. P. COS. VIII. *Caput Veſpaſiani laureatum*: in poſtica vero, quam heic exhibemus, TIT. ET DOMIT. *Titus in ſubſtructione togatus ſedet: & ex adverſo pariter Domitianus. Ante unumquemque figura togata ſtans, quae aliquid videtur accipere*. Hic Nummus pertinere videtur ad annum Aerae Chriſti Vulgaris 77. ſignatum Veſpaſiano Auguſto VIII. & Tito Caeſare VI Conſulibus. Vide noſtrum Chronicum. Ex Kal. Julii ejuſdem anni Chriſti 77. etiam Domitianus Caeſar fuit Conſul Suffectus VI.

Do-

Donianae Inſcriptiones pag. 12. num. 41. habent, IMP. CAESAR.AVG.VESPASIANVS. PONT.MAX.TRIB.POTEST.VII. IMP. XXVIII. COS. VIII. Item pag. 189. num. 10. & pag. 253. num. 5.6.7. Plinius initio libri I. *Hiſtoriae Nat.* de Tito ſcribit: *Triumphalis & Cenſorius tu, ſexieſque Conſul, ac Tribuniciae Poteſtatis particeps.* Duae figurae togatae ſtantes, quae aliquid videntur accipere, forte Congiarium Populo datum repraeſentant.

139. Nummus Veſpaſiani, cum epigraphe in antica IMP.CAES. VESPASIAN.AVG. P.M.TR.P.COS.III.; in poſtica vero, quam heic exhibemus, IMP.AVG. FI. COS. DES. IT.CAES.AVG.F.DES.(Mendoſe legitur in noſtro iconiſmo, ex oſcitantia chalcographi, ET &c. TI, loco FI.&c.IT., cui errori anſam praebuit Tabula Aeneae Vici.) *Titus, & Domitianus ſtantes cum haſta & parazonio.* Veſpaſianus Conſul III. proceſſit cum Coccejo Nerva anno Aerae Chriſti Vulg. 71. Vide noſtrum Chronicum, Donianas Inſcriptiones pag. 115. num. 7, & Gruterum pag. 154. num. 3., pag. 189. item num. 7, & pag. 267. Domitianus eodem anno 71. Conſulatum Suffectum iniit ante Kal. Apriles, Cn. Pedio Caſto Collega, ut oſtendit Eminentiſ. No-

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

Noriſius in *Epiſt. Conſulari* pag. 53, ubi, ex Gruteriana Inſcriptione edita pag. 573. 1, refert Decretum, quo quidam Veterani Civitate donantur ab Imp. Veſpaſiano TRIB. POT. II. &c. COS. III. DESIG. IV. nempe hoc anno 71, de quo loquimur. Idem vero Decretum dicitur ſcriptum NON. APRIL. CAESARE. AVG. F. DOMITIANO. CN. PEDIO. CASTO. COS. Quare ex eadem Inſcriptione recte deducitur, Domitianum jam menſe Aprili ann. 71. primum Conſulatum Suffectum geſſiſſe. Praeterquamquod Zonaras de Triumpho Veſpaſiani eodem anno acto loquens, ait: *Cum Tito filio triumphum duxit, cui Domitianus quoque Conſul equo ſingulari interfuit*. Doctiſſimus Pagius tres Nummos laudat Theſauri Medicei primae magnitudinis (quos in memorata Epiſtola jam antea Noriſius protulit), in antica parte inſcriptos IMP. CAES. VESPASIAN. AVG. P. M. TR. P. COS. III.; in poſtica vero IMP. AVG. F. COS. DES. IT. CAES. AVG. F. DES. S. C. ut fere noſter, quem inpraeſentia illuſtramus. Hi Nummi dicto anno 71. percuſſi ante Martium, cum id temporis *Titus Imperator Auguſti filius Conſul Deſignatus iterum* eſſet in annum ſequentem 72, & Domitianus *Caeſar Auguſti filius deſigna-*

gna-

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

gnatus eſſet Conſul ad proximas Kalendas Martias, ut docte Noriſius notat, cum Pagio: qui addit, ex his Nummis etiam conſtare, Conſules prioribus anni menſibus in annum ſequentem deſignari ſolitos. Ac denique Titum hoc anno ante Kalendas Martias collegam Imperii nuncupatum eſſe; cum in Nummis Imperatoris titulo exornetur. Titus enim, quemadmodum & ante eum Tiberius, ac poſt eum Trajanus, Imperii Collega fuit, ideoque Imperatoris titulo exornatus. Imperii Collegae Tribunicia quoque Poteſtate donabantur.

140. Nummus Veſpaſiani, cum epigraphe in poſtica, quam heic exhibemus, COS. VIII. *Boves duo jugati, Coloniae typus. Vir nudus ſuperſtans*. T. Flavius Veſpaſianus Imperator Auguſtus fuit *Conſul Octavum* anno Aerae Chriſti Vulgaris 77 una cum Tito Caeſare *Sextum*, ut conſtat ex Tabula Fratrum Arvalium apud Sponium pag. 5., & ex Plinio lib. I. *Hiſtor. Natur.* ſub initium. Vaillantius de Coloniis Tom. I. pag. 189 alium exhibet Nummum, in quo legitur: IMP. CAES. VESPASIANVS. AVG. COS. VIII. *Caput Veſpaſiani laureatum*. Veſpaſianus ad Imperium evectus, ejus jura augere ſtudens, Colonias deduxit *Abellam* Municipium in Cam-

Campaniam, *Caeſaream* in Palaeſtinam, *Deultum*, & *Flaviopolim* in Thraciam, *Icoſium*, quod Latii jure donavit ex Plinio, in Mauretaniam Caeſarienſem, *Nolam* in Campaniam ex Frontino, Panormitanae Coloniae territorium, quod Veteranis & familiae ſuae aſſignavit. Euſebius in Chronico anno Chriſti 69. ait, *Colonias deduxit*. Achajam quoque, Lyciam, Rhodum, & Samnium Inſulas, & Byzantium libertate privavit; Thraciam, Ciliciam, & Commagenam ditionis Antiochi Regis in Provinciarum formam redegit. Vide Muſeum Arſchotanum Tab. 26. num. 11, Bellorium *in Adnotationibus in XII. priorum Caeſarum Numiſ.* pag. 66. num. 3, Geſnerum Tab. 55. num. 27, Harduinum pag. 734, Mediobarbum pag. 116, Theupolum *Muſ. Antiq. Numiſ.* Tom. I. pag. 142., & Muſeum Muſellianum Tom. I. Tab. 35. num. 10. ac Tom. III. pag. 83.

141. Nummus Veſpaſiani; cum epigraphe in antica IMP. CAESAR VESPASIANVS AVG. TR. P., in poſtica vero, quam heic exhibemus, TITVS. ET DOMITIAN. CAES. PRIN. IV. *Titus & Domitianus ſedentes, qui dextra olivae ramum tenent*. Sedent in curulibus, ut in muneribus conſtituti: ille enim Conſul factus fuit, hic Praetor: utriuſ-

utriuſque ſella eburnea (quae curulis dicta) inſigne fuit, cujus jus, illis Magiſtratibus competebat; ut animadvertit Vaillantius *Num. Imp. Rom.* Tom. II. pag. 89. Alium huic noſtro fere ſimilem in literis viditNummum Eminentiſ. Noriſius, qui in Diſſert. II. *de Cenotaph. Piſan.* Tom.3.pag.173. *in Gaza* (inquit) *Medicea, rariſſimus Veſpaſiani Nummus aereus mediocris magnitudinis ſervatur, in cujus poſtica parte apparent duae figurae equeſtres inſcriptae* TITVS ET DOMITIANVS CAESARES PRIN. IVVENT. De titulo Principis Juventutis vide quae ſcripſimus ſupra in noſtro Indiculo Tab.II.Saec. I. nu.53. Tacitus Annal. lib.I. cap.3. *Genitos Agrippa Cajum & Lucium, nondum poſita puerili praetexta Principes Juventutis appellari.* Tunc enim titulus hic inventus eſt, cum ordo equeſtris, quo Auguſto blandiretur, *Cajum Caeſarem* Principem Juventutis, ideſt Equitum dixit, & ſecundum ab Auguſto in Romano Orbe Principem deſignavit. Vide laudatum Vaillantium Tom. I. *Num. Rom. Imp.* pag.34. in Veſpaſiano., Begerum Tom. 2. pag. 631., Muſeum Arſchotanum Tab. 25. num. 11., Bellorium pag. 67. num. 37., Erizzum pag. 245., Harduinum pag. 731., Mediobarbum pag. 109., & Muſeum

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

Muſellianum Tom. I. Tab. 29. num. 7.

142. Nummus Veſpaſiani, in cujus poſtica habetur *Templum Pacis ſex columnis ſuffultum, & quinque ſtatuis ornatum*. Dio Xiphilini lib. 66. pag. 751. ſcribit: *Veſpaſiano ſextum & Tito quartum Conſulibus Templum Pacis dedicatum eſt*, nempe anno Aerae Chriſti Vulg. 75. Vide Gruterum pag. 109. num. 7. & 223. num. 43., Sponium pag. 43., & Reineſium pag. 352. Joſephus *de Bello* Judaico lib. 7. cap. 24. in fine, *Veſpaſianus* (inquit) *Pacis Templum aedificari decrevit. Itaque mira celeritate, quae hominum cogitationem ſuperaret, effectum eſt. Magna enim divitiarum largitate uſus, inſuper perfectis id picturae ac figmentorum operibus exornavit. Omnia namque in illud Fanum collecta, ac depoſita ſunt, quorum viſendorum ſtudio, per totum Orbem, qui ante nos fuerant, vagabantur, quomodo aliud apud alios ſitum eſſet, videre cupientes. Hic etiam repoſuit quae Judaeorum fuerant inſtrumenta, his ſe magnifice efferens. Legem vero eorum, & penetralium vela purpurea in Palatio condita ſervari praecepit*. Hoc Templum *pulcherrimum operum, quae unquam*, vocat Plinius lib. 36. cap. 15, & Herodianus lib. I., *Opus cunctorum tota Urbe ma-*

Digitized by Google

maximum, atque pulcherrimum &c. Templorum, omnium opulentiſſimum, egregieque munitum, multoque ornatum auro, & argento: quippe univerſi ferme ſuas illic divitias quaſi in theſaurum congerebant. Cl. Montfauconius *Antiq. Expliq.* Tom. 2. Par. 1. pag. 105. hujus Templi veſtigia ita deſcribit: *Jam ad celeberrimum Pacis Templum, eorum quae in Urbe Roma erant, maximum, a Veſpaſiano Imperatore conſtructum eodem loco, ut putatur, quo Domus Aurea Neronis ante fuerat. Ejus templi hodieque magna rudera ſuperſunt, quibus exploratis decimoſexto ſeculo, & ichnographia, & orthographia eo ipſo tempore delineatae ſunt. Templum hoc, teſte Serlio, qui in ipſo, ut videtur, loco orthographiam ejus delineavit, longitudinis trecentorum & quadraginta pedum erat; ducentorum quinquaginta latitudinis, ut computavit Carolus Saracenus: Serlius namque brachiis, quod eſt menſurae genus Italicum infimi aevi, menſus fuerat. Porticus longitudo, ducentorum quadraginta quatuor pedum erat, latitudo autem pedum triginta. In frontiſpicio ante porticum octo erant columnae, ut quidam dicunt, immanis ſpiſſitudinis altitudiniſque: ex Serlio, diametrum earum erat octo pedum, novemque, pollicum. Ex hiſce colu-*

lumnis una a Paulo V. ante Eccleſiam Sanctae Mariae Majoris in ſtylobate poſita eſt, cum Statua Beatae Mariae Virginis in vertice. Nummi in Templo Pacis ſex tantum columnas exhibent, ac non plures fuiſſe quidam contendunt. In hoc Templo feneſtrae ſunt, quae res infrequens in veteribus templis eſt. Amplitudo fortaſſe ejus in cauſa fuit, ut contra vulgatiorem uſum ita fieret. Erat Templum illud inter mirabiliora Urbis Aedificia computatum, quod etiam Plinius 36.15. in praecipuis ejus ornamentis ponit. Ex operibus, inquit 34.8., eximiorum artificum, quae recenſet ipſe magno numero, praeſtantiſſima omnium in Templo Pacis erant. Pictura iſthic viſebatur exquiſitiſſima Timanthi 35.10. aliaque in praetio habita, qua repraeſentabatur Jalyſus. Hic etiam excellentiſſimorum opificum ſtatuae viſebantur, Veneris inter alias, cujus auctor non notus erat, opus dignum florentiſſima veteri Graecia: ſchema quoque ex baſalte marmoreo Aegyptio, quo nullum majus viſum fuerat teſte Plinio 36.7. quo Nilus repraeſentabatur, ſexdecim liberis circa ludentibus, per quos totidem cubiti ſummi incrementi amnis intelliguntur. Iſthuc item delata fuere ſpolia Templi Jeroſolymitani. Totam interioris Templi faciem oper-

tam

tam fuiſſe dicunt tabulis aeneis deauratis. Belli tempore omnes eo divitias comportabant, ut in tuto eſſent. Tempore Commodi Imperatoris Templum totum multorum damno conflagravit. Haec Montfauconius. De incendio Templi Pacis ſub Commodo circa annum Aerae Chriſti Vulg. 191. praeter Herodianum lib. I. pag. 482, vide Galenum, (qui in proximis Templo Aedibus habitabat) *de vinis in antidotis ponendis* cap. 13, Dionem lib. 72. pag. 829, Euſebii Chronicum p. 226. & inter recentiores Joſephum Caſtalionem in Diatriba *de Templo Pacis*, Alexandrum Donatum *de Urbe Roma* lib. 3. cap. 4, & Famianum Nardinum *de Roma Veteri* lib. 3. c. 12. Cur autem (inquit V. Card. Baronius ad annum 77. num. 2.) Veſpaſianus, nullo majorum exemplo, Paci primum Templum erexerit; cum alias, ſaepius hoſtibus gravioris momenti ſuperatis, Urbique tranquilla pace donata (ut Auguſti praeſertim temporibus accidit), nullus unquam repertus ſit, qui ei Numini templum extruxerit, non levis admirationis occaſio exoritur. Sed certe eam hujus rei gerendae cauſam conjectura haud contemnenda ſignificat: nimirum, quod, Judaeorum ac Joſephi praeſertim hiſtorici adulatione, ipſum illum ſe eſſe Regem perſuaſus,

qui

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

qui ex Judaea prodituras, univerſo dominaretur Orbi (quod de Chriſto dictum a Prophetis erat),omnia pariter,quae de illo praedicta erant, in ſe transferre curaverit. Nam, quod ad eam rem ſpectare videbatur, etiam miracula operandi virtutem ſe aſſequutum eſſe adeo palam oſtentavit, ut ab omnibus ferme ejus temporis Hiſtoricis, ut fuit creditum, ſic etiam tanquam res probe teſtata, atque confeſſa, memoriae fuerit commendata. Porro eam ipſum gloriam affectaſſe, manifeſtum illud fuit argumentum, dum eos, qui erant ex Familia Davidis, conquiri juſſit, atque conatus eſt tollere; ne quis ex ea ſtirpe, qua tamen Chriſtus dicebatur naſciturus, extaret: id enim unum ſibi videbatur obſtare, quo minus in omnibus fieret voti compos. Eruditiſſimus Pitiſcus in Lexico, verbo *Templum Pacis*, leviter Baronii momenta rationum expendit pag. 569, profertque inſignem Inſcriptionem, quae hodieque extat in Aedibus Farneſianis.

143. Protome Flaviae Domitillae uxoris Veſpaſiani, ex Muſeo Parmenſi. Fere ſimilis eſt Nummo, quem exhibet Patinus *de Num. Imp. Rom.* pag. 145. De ea ſic Suetonius *in Veſp.* cap. 3. *Inter haec Flaviam Domitillam duxit uxorem, Statilii Capellae equitis Roma-*

mani Sabratenſis ex Africa delegatam olim, Latinaeque conditionis, ſed mox ingenuam, & civem Romanam recuperatorio judicio pronuntiatam: patre aſſerente Flavio Liberale Ferenti genito, nec quidquam amplius, quam Quaeſtorio Scriba. Ex hac liberos tulit Titum, & Domitianum, ac Domitillam. Uxori, ac filiae ſuperſtes fuit: atque utramque adhuc privatus amiſit. Uxoris imaginem (cujus memoriam Imperatori jucundam Graeci noverant) quaſi redivivae, ex ære cuderunt in memorato Nummo, dignitatis ſummae, quam illi fata inviderant, participem facturi. Affirmare tamen non auſim cum Patino, hanc in Nummo uxorem fuiſſe Veſpaſiani; cum ejus quoque filia eodem nomine donata fuerit. Hujus extat Inſcriptio apud Gruterum pag. 245. num. 5.

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

FLAVIA . DOMITILLA
FILIA . FLAVIAE . DOMITILLAE
IMP. CAES. VESPASIANI . NEPTIS
FECIT . GLYCERAE . L. ET . LIBERTIS
LIBERTABVSQVE . POSTERISQVE . EORVM
CVRANTE . T. FLAVIO . ONESIMO
CONIVGI . BENEMER.

Extabat olim in Baſilica S. Clementis: nunc

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

eſt in Aedibus Capitolinis; ſed mutila, & literis multis detruncata. Nicolaus Antonius lib.I. cap.12. Bibliothecae Veteris Hiſpaniae pag.54. ait, Flavium Sabinum ſeniorem genuiſſe Flavium Veſpaſianum Imp., qui ex Flavia Domitilla I., cujus Suetonius meminit (loco citato), procreavit, eodem ibi teſte, Titum, Domitianum, & Domitillam II., quae privato adhuc Patre obiit. Paria habet Card. Baronius, qui ad an. Chr. 98. num.5. ait: „ Flavia Domitilla uxor Veſpaſiani, ex qua, ut Suetonius tradit *in Veſpaſ.* cap. 3. nati ſunt Titus, & Domitianus Imperatores, & horum ſoror alia Flavia Domitilla: ſed tam mater, quam filia, defunctae ſunt, cum Veſpaſianus adhuc privatus ageret: major autem Flavia Domitilla Caeſarum mater relata fuit inter Divos, & in ejus honorem inſtituti ſunt Sacerdotes, qui dicerentur Flaviae Domitillae, ut vetus docet Inſcriptio apud Panvinium *Urbis Romae* pag. 300, colebaturque in Templo Gentis Flaviae (teſte Suetonio *in Domitiano* cap. 1.), quod in vi. Regione *ad Malum Punicum*, ſic dictum Vicum, poſitum erat. „. Vide Aeneam Vicum Parmenſem *de Auguſtarum Imaginibus* pag. 173.

144. Imperatoris Titi TRIVMPHALIS POM-

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

POMPA de Judaea capta (de qua agetur etiam infra numeris 156. 163. 167. 172. 173. & 174.), ex ejus Arcu marmoreo, ſito inter Forum Romanum, & Amphiteatrum, prope Eccleſiam S. Mariae Novae. In hac Tabula Lacus Geneſar (qui & mare Cenereth, vel Tiberiadis, & Geneſareth) in triumphum ducitur. Centum ſtadia in longitudine, 40. vero in latitudine, ſive 12. milliaria in longum, & 5. in latum Lacus Geneſar occupabat juxta Joſephum *de Bello Judaico* lib. 3. cap. 18. Situs autem erat, interfluente Fluvio Jordane, inter dimidiam Tribum Manaſſe, quae trans Jordanem, ab Ortu; partem Tribus Nephtali verſus Aquilonem; Tribum Zabulon ad Occidentem; & partem Tribus Iſſachar ad Auſtrum. Vicinia Lacus Geneſar, amoena, & mirae fertilitatis. Senex, eſt ipſe Lacus decumbens in anaglypho Arcus Triumphalis: & inverſae urnae innititur; quo modo flumina ſolent adumbrari. Heic tauri viſuntur in ſacrificium adducti, latis faſciis inferne fimbriatis ornati, & duo popae, ſeu victimarii, qui caniſtra fructibus plena geſtant. Heic item Senatores cum ſtola conſpiciuntur affabre ſcalpti. In Pompis Triumphalibus (quae ſunt, ſpoliorum aliarumque rerum ordine geſtata multitudo, ad paſcendos voluptate

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

animos, oculoſque explendos) praeferebatur FLUMINUM, Montium, Urbium, atque Regionum nomina, ſpolia, exuviae hoſtibus detractae, poſtremo ipſi Duces ſuperati. Tacitus *Annal.* lib. 2. cap. 41., *Germanicus Caeſar*, inquit, *ad VII. Kal. Junias triumphat de Cheruſcis, Cattiſque, quaeque aliae Nationes uſque ad Albim colunt: vecta ſpolia captivi*, SIMULACRA Montium, FLUMINUM, *Praeliorum*. Quare Ovidius Triſtium IV. 2. 37.

Hic lacus, hi montes, haec tot caſtella, tot Amnes,
Plena ferae caedis, plena cruoris erant.
Cornibus hic fractis viridi male tectus ab urna
Decolor ipſe ſuo ſanguine Rhenus erit.
Crinibus en etiam fertur Germania paſſis,
Et Ducis invicti ſub pede moeſta ſedet.

Per medios Circos Pompa Triumphalis vehebatur, ut populus non modo e via, ſed multo commodius e gradibus ſedibuſque Circenſium cavearum cuncta ſedens adſpiceret. Locorum iſtorum ad ſpectandum, in Triumpho Titi, meminit Flavius Joſephus de

de Bello Judaico lib. 7. cap. 24. *Inter ſpectacula tranſeuntes, triumphum ducebant, ut multitudini facilior praeberetur aſpectus.* Quid enim eſt *inter ſpectacula tranſire*, niſi per loca ſpectaculorum, & Circos, quorum gradibus inſederat populus, ut ſpectaret facilius, atque commodius. Veſpaſianus quoque diſcedens ab Octavia Porticu, per Circum primo Flaminium, deinde Maximum tranſire debuit, cum egit de Judaea capta triumphum.

145. APOTHEOSIS TITI in ejus Arcu, de quo ſupra 144. Quamvis in illo exhibeatur Titus curru vectus, ſpolia de Judaeis capta referens, & triumphans; attamen, cum in fornice ejuſdem Arcus haec effigies volanti Aquilae inſidens inſculpta ſit, ea certum eſt argumentum Conſecrationis ipſius factae poſt mortem. Praeterea *Divi* titulus, Tito in Inſcriptione datus, & numquam vivis Imperatoribus tribui ſolitus, poſt ejus obitum Arcum erectum fuiſſe docet, vel ſub Domitiano, qui Titum retulit inter Divos, vel ſub Trajano Imp., quem certe in honorem Titi nonnulla aedificaſſe conſtat ex veteri quadam Inſcriptione, quae, teſte Donato *de Urbe Roma* p.247., celabatur olim ab epiſtilio Columnarum Baſilicae veteris S. Petri in Vaticano, & habet,

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

D. TITO
D. VESPASIANI F. AVGVSTO
IMP. CAESAR. D. NERVAE. F. NERVA. TRAIANVS
GERMANICVS. DACICVS. PONT. MAX. TRIB. POT. COS.
P. P. FECIT.

Ubi Titus jam mortuus, & Divus & Auguſtus dicitur, ut in Arcus Inſcriptione, de qua loquimur. Haec ergo illorum infringit opinionem, qui Arcum Titi ſic putant triumphalem, ut, Triumphantibus Veſpaſiano ac Tito adhuc inter vivos agentibus, fuerit erectus. Audiendus Cl. Vignolius *de Columna Antonini Pii* pag. 72., ubi ait: „ Romanis autem, privatis aeque ac publicis in monumentis, Romulo excepto, qui *Deus Quirinus* dicebatur, reliquos conſecratos *Divos*, ſeu *Divinos*, aut *Divales*, ut conſtat ex Ruſi Cod. Palatino c. 14., denominare mos fuit. Unde Frontin. de Coloniis: *variis temporibus*, inquit, *& a Divinis Imperatoribus agri ſunt adſignati*. Et Feſtus Rufus in Breviario: *In tempus Divalis Conſtantii reſervata duravit*. Inſcriptio autem *Deo Auguſto*, quae in aliquibus Auguſti Nummis legitur, vel Tarraconenſis Coloniae eſt, cui Graecorum morem adulationemque imitari in hoc placuit; vel Gallieni,

Digitized by Google

lieni, qui in Auguſti Nummis ab ipſo reſtitutis illam repetere voluit. Praeter hos enim, Nummus alius, qui ad Conſecratos pertineat, ſuperbo Dei titulo inſcriptus nuſquam obſervatur: itaut Imperatores nonnulli prae omnibus ambitioſiſſimi, qui eandem Dei appellationem impie in vita ſibi uſurparunt, poſtea mortui, & Conſecrati, non amplius Dii, ſed *Divi* nuncupantur, uti ex Nummo Aureliani apparet apud Cl. Spanhemium *de uſu, & praeſt. numiſm.* p.729. cum hac epigraphe: DEO ET DOMINO NATO AVRELIANO: qui poſtea vita functus, in Nummis ſuae Conſecrationis DIVVS CAES. AVRELIANVS dicitur. Ita Carus, cui Nummus cum inſcriptione DEO & DOMINO CARO AVG. fuerat percuſſus, poſt mortem *Divus Carus Pius*, vel *Auguſtus*, vel *Parthicus*, eſt appellatus. Et Domitianus, qui ut refert Suetonius in eodem cap. XIII., ſe pariter Dominum Deumque publice nuncupaverat, *nec Divus*, ſcribit Eutropius lib.7., *poſt mortem meruit appellari*. Ex his itaque, quod hujuſmodi Divi titulus apud Romanos quaſi quidam Conſecrationis mortiſque index fuerit, ſatis perſpicitur: quod Servius etiam abunde declarat ad lib. v. Aeneid. ver. 45., ubi, inter Deos Divoſque diſtinctionem

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

nem hanc faciens, ut Dii ſint perpetui, Divi ex hominibus facti, Divos dictos inde adjicit, *quaſi qui diem obierint*. Et Iſidor. in Gloſſar. *Divus*, inquit, *Imperator ille dicitur, qui poſt mortem Dei nomen accepit*. Quod quamvis ita ſit, & Arcus Titi ad Palatini radices poſitus in ea parte, quae metam ſudantem reſpicit, inſcribatur,

SENATVS. POPVLVSQVE. ROMANVS.
DIVO. TITO. DIVI. VESPASIANI. F.
VESPASIANO. AVGVSTO

Nardinus tamen lib. 3. cap. 13. ob inſcriptionem aliam, quam ab eodem Arcu non procul repertam Faunus tradit, vivo ne an mortuo Tito Arcus ille fuerit erectus; dubitare videtur:

S. P. Q. R.
IMP. TITO. CAES. DIVI. VESPASIANI. FILIO
VESPASIANO. AVG. PONT. MAX. TR. POT. X.
IMP. XVII. XIIII. P. P. PRINCIPI. SVO. QVI
PRAECEPTIS. PATRIAE. CONSILIISQ. ET
AVSPICIIS. GENTEM. IVDAEORVM. DOMVIT
ET. VRBEM. HIEROSOLYMAM. OMNIBVS. ANTE
SE. DVCIBVS. REGIBVS. GENTIBVS. AVT
FRVSTRA. PETITAM. AVT. INTENTATAM
DELEVIT.

Quae

Digitized by Google

Quae quidem inſcriptio ad eundem Arcum ſpectare, ut Faunus putat, nullo pacto poterit. Nam praeter *Divi* titulum in priori inſcriptione expreſſum, Aquila conſecrationis ſymbolum in medio ipſius Arcus fornice viſitur, quae Titi animam ad Caelum defert. Nardinus autem quod idem *Divi* nomen ipſi Tito vivo etiam aptari poſſit, Franciſcum Angelonium teſtem advocat, qui in ſua Hiſtoria Auguſta pag. 83. poſt ejuſdem Titi Nummum cum Amphitheatro appoſite explicatum, alios exinde vel dubiae fidei, vel perperam exſcriptos Nummos prodit; quibus, quod non mortui tantum Imperatores, ſed quod eorum etiam aliqui ſuperſtites adhuc Divi fuerint appellati, nititur probare &c „. Hucuſque Vignolius: cui addam inſignem Plinii Junioris locum in Panegyrico Trajani cap. 2, qui apotheoſim Titi, de qua agitur, mire illuſtrat. *Dicavit*, inquit, (loquens de Conſecrationibus) *caelo Tiberius Auguſtum, ſed ut Majeſtatis Numen induceret: Claudium Nero, ſed ut irrideret: Veſpaſianum Titus: Domitianus Titum: ſed ille, ut Dei filius; hic, ut frater videretur. Tu ſideribus patrem intuliſti, non ad metum civium, non ad contumeliam Numinum, non in honorem tuum, ſed quia Deum credis.*

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

Bbbbbbbb 146.) Quin-

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

146.) Quinque Numiſmata, in quibus
147.) cernitur Romanum Amphitea-
148.) trum, ab Imp. Flavio Veſpaſiano
149.) coeptum, atque a Tito filio ejus
150.) abſolutum. Exhibentur a Viro Cl.
151.) Scipione Marchione Maffeio, in
152.) fronte libri, cui fecit titulum *degli*
153.) *Amfiteatri*, aliiſque Antiquariis.
154.) 146. & 147. Nummus in hono-
155.) rem Titi percuſſus. Legitur in antica DIVO. AVG. T. DIVI. VESP. F. VESPASIAN. Divo Auguſto Tito Divi Veſpaſiani filio Veſpaſiano. *Titus togatus inſidens ſpoliis, qui dextra ramum olivae gerit, ſymbolum Judaeae captae*. (Vide ſupra in hoc Indiculo num. 134.) Poſtica exhibet Amphiteatrum (de quo infra) ſine epigraphe. Cuſus videtur a Domitiano, poſt TITVM inter DIVOS ab ipſo relatum. Extat apud Angelonum pag. 78, Muſeum Arſchotanum Tab. 29. num. 15, Harduinum pag. 739, Mediobarbum pag. 127, Theupolum Tom. I. pag. 430, & Muſeum Muſellianum Tom. I. Tab. 42. num. 7.

148. 149. Nummus Domitiani, cum epigraphe in antica CAES. DIVI AVG. VESP. F. DOMITIANVS COS. VII. Caeſar Divi Auguſti Veſpaſiani filius Domitianus Conſul

Se-

Septimum. *Caput Domitiani laureatum*. Cernitur in poſtica Amphiteatrum, ut ſupra, ſine literis. In Tabula Fratrum Arvalium edita a Doctiſſimo Praeſule Philippo a Turre Epiſcopo Adrienſi *in Monumentis Veteris Antii* p. 387. leguntur vota nuncupata PRO SALVTE IMP. TITI. CAESARIS. DIVI. F. VESPASIANI. AVG. PONTIF. MAX. TRIBVNIC. POTEST. COS. VIII. ET. CAESARIS. DIVI. F. DOMITIANI. COS. VII., quae utriuſque Conſulatum (Aerae Chriſti Vulgaris 80.) a *Tito* & *Domitiano* una geſtum certo deſignant. Graeca item Inſcriptio Smyrnae inventa, de qua Emin. Noriſius *in Epiſt. Conſulari* pag. 55, & Sponius *in Miſcellan.* pag. 353, exhibet Conſules *Titum Auguſtum VIII. & Domitianum Divi Veſpaſiani Auguſti filium VII.* Eo autem anno Chr. 80, quoniam facta eſt a Tito Imp. Dedicatio Amphiteatri, ipſum in Nummo hoc exhibetur. Vide noſtram Chronologiam ad eundem annum, & eruditum Virum Joannem Marangonium Vicentinum in libro *Delle Memorie ſacre e profane dell' Anfiteatro Flavio di Roma*, pag. 14.

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

150. 151. Nummus Marci Aurelii Severi Alexandri, cum epigraphe in antica IMP. CAES. M. AVR. SEV. ALEXANDER. AVG.

Caput ejus laureatum. In poſtica viſitur Amphiteatrum, cum Inſcriptione PONTIF. MAX. TR. P. II. COS. S.C. Tribunicia Poteſtas Secunda Severi Alexandri Imp. incidit in annum Aerae Chr. Vul. 223. & 224. Aelius Spartianus in ejus Vita, *ſumptibus*, inquit, *publicis ad inſtaurationem Theatri, Amphiteatri, & Aerarii deputavit*. Ob hanc ergo inſtaurationem Alexander hunc Nummum cudit. Vide in laudato opere Cl. Maſſejum lib. I. cap. IV. qui idem conjicit ex Capitolino, & Lampridio.

152.) Nummus Gordiani Pii, cum epigra-
153.) phe in antica, IMP. GORDIANVS PIVS FELIX AVG. *Caput Gordiani laureatum* In poſtica Amphiteatrum, in quo taurus, & elephas decertantes: ad ſiniſtram Aedes: & ad dexteram Coloſſus, ut videtur, Herculis, ſicut in Nummo Severi, de quo ſupra. Lampridius de Heliogabalo ſcribit: *Amphiteatrum ab eo inſtauratum poſt exuſtionem*. Senatus ergo, qui deinde eandem tuitionem ſuſcepit ſub Gordianis, hunc Nummum cudit. Gordiani Pii, & aliorum multorum cura, & genio quodam perennitatis, tanta machina potuit pervenire ad hoc aevi, ut ſcribit Lipſius *de Amphiteatro* cap. 6. Vide Vaillantium *Num. Imp. Rom.* Tom. I. pag. 161,

To. II.

To.II.p.207. & To.III. p.183, Mediobarbum p.336, Theupolum *Muſ.Antiq.Num.* Tom.I. pag.244, & Muſellium To.II.Tab.189.nu.3.

154.) Nummus Titi, cum epigraphe IMP.

155.) T.CAES. VESP. AVG. P.M.TR.P. P.P. COS.VIII. *Titus togatus inſidens ſpoliis, dextra ramum olivae tenet*, ut ſupra in Nummo poſito num.146. In poſtica cernitur Amphiteatrum, cum veſtibulo, ſeu Propylaeo, & Meta ſudante. Titi Conſulatus VIII. incidit in annum Aerae Chriſti Vulg. 80, quo ipſe Amphiteatrum dedicavit proprio nomine, ut ſcribit Dio lib.66. In aliquot marmorum fragmentis effoſſis Via Oſtienſi quarto ab Urbe milliario, quibus Sacrificia, & Acta Fratrum Arvalium continentur, poſt vota nuncupata pro reſtauratione Capitolii bello Vitelliano conflagrati (quod Veſpaſianus, Titus,& Domitianus reſtituendum curarunt), ſequitur ſtatim *piaculum factum in luco* (Junoni) *Deae Diae per calatorem, & publicos XVIII. Kal.Febr.* L.FLAVIO. SILVA. NONIO. BASSO. ASINIO. POLLIONE. VERRVCOSO.COS., ut ſcribit V.Cl.Philippus a Turre *Monum.Vet.Antii* p. 96. Hi Conſules Ordinarii proceſſerunt anno Aerae Chriſti Vulg. 81., ut conſtat ex Dione, qui libro 66. pag. 757. hoc ipſo anno Titi emortuali reponit

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

ponit Conſules Flavium & Pollionem. Eos excipiunt aliiConſules L.VETTIVS.PAVLLVS.ET.T.IVNIVS.MONTANVS ad Kal. Majas: & inde L. AELIVS PLAVTIVS. LAMIA. ET Q.PACTVMEIVS FRONTO, quos Suffectos fuiſſe evincunt BlanchinusPatruus meus in Chronol.ad Anaſt.Bibl.,Stampa in Addition.ad Faſtos Sigonii,&Georgius Praeſul in notis ad Criticam Pagii. Primus horum is fuit Aelius Lamia, quem, abducta pridem uxore, Domitianus interfecit, ex Suetonio in Vita cap. I. & X. & meminit Juvenalis Satyra IV. Ejus heic habes praenomen,& alterum cognomen.Sub poſterioribus autem hiſce Conſulibus adnotatur in tabula, Fratribus Arvalibus *loca adſignata* fuiſſe *in Amphiteatro ab Laberio Maximo Procuratore Praefecto Annonae*. Fuit hic (ut ſcite obſervat Doctiſs. Praeſul a Turre *de Inſcriptione M. Aquilii* cap. 7. pag. 97.) Procurator Veſpaſiani in Judaea ex Plinio lib. 10. Ep. 16. & initio Hadriani *ſuſpectus Imperio*, in Inſula exulabat, teſte Lampridio *in Hadriano* cap. 5. Verba ipſa, quibus loca inAmphiteatro Arvalibus adſignantur, huc tranſferre liceat, quoniam quid ſimile nuſquam apud Antiquos traditum fuit. Praefigitur hic titulus literis grandioribus (LOCA ADSIGNA-

GNATA IN AMPHITEATRO). Inde ſtatim ſequitur, L. AELIO . PLAVTIO. LAMIA . Q. PACTVMEIO . FRONTONE. COS. ACCEPTVM. AB. LABERIO. MAXIMO . PROCVRATORE . PRAEF. ANNONAE . L. VENNVLEIO. APRONIANO.MAG. CVRATORE. THYRSO.L...... FRATRIBVS . ARVALIBVS . MENIANO. I.CVN.XII. GRADIB. MARM. VIII. GRADV. I. P. V. GRADV.III. PED.V.S.F.PED. XXXXIIS. GRADV. I. VNO.P.XXIIS.ET. MENIANO.SVMMO. ·.CVN.VI.GRADIB MARM. IV. GRADV . I. VNO . P. XXIIS. ET.MÆNIANO. SVMMO. IN. LIGNEIS. TAB. LIII. GRADIBVS. XI. GRADV . I. PED. V. — S — GRAD. XI. PED. V. S. — Ɔ. F. PED. LXIIIS. — SVMMA . PED. CXXVIIIIS. — Colligas igitur, ut quidem opinor, ſtatim in dedicatione Amphiteatri loca ſingulis Magiſtratibus, Collegiis, Corporibus, ceteriſque Ordinibus fuiſſe deſtinata, idque per Praefectum Annonae. Nam eo ipſo anno, quo dedicatio peracta, ut diximus, etiam nobiliora loca Arvalibus tradita leguntur in hac Tabula. Porro hanc adſignationem Arvalibus fuiſſe factam ſtatim ac Titus Amphiteatrum dedicavit, nullus dubito. Ea autem dedicatio, cujus me-

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

meminit Suetonius in Vita cap. 7. incidit in annum poſtremum Titi, ut notat Euſebius in Chronico. Quamvis vere ex contextu Dionis lib. *66.* pag. 757. aliqua dubitatio ſuboriri poſſit, id factum anno antecedenti. At ſeries temporum Tabulae Arvalium, de qua loquimur, ſecus ſuadet. Et quidem Dio ipſe ſatis obſcure loquitur: nam *in ſequenti anno, dedicatis*, inquit, *iis, quae ſupra dicta ſunt, mortuus eſt*. Narraverat Ludos in Amphiteatro, alioſque alibi exhibitos. Ergo videtur Dedicatio ejus facta anno ejus emortuali, & Arvalibus tunc data loca nobiliora, in Maeniano ſcilicet primo, quod idem eſt ac Podium. Ad Podium enim ſpectare ſolebant primi e Senatu, unde enatum adagium. Certe Fratres Arvales e nobiliſſimis Familiis ſumebantur, ut videre eſt in iſtis, aliiſque Actis marmoreis eorundem Fratrum. *Maenianum* aliud *in ſummo in ligneis tabulis* notatur: quo locatos putat idem Cl. a Turre p.103. calatores, publicos, alioſque miniſtros Collegii Arvalium. Quippe in ſummo Amphitheatri ſediſſe viliores, tritum eſt. Quod plures gradus in Maeniano Arvalibus adſignati ſint, ſi ceteri etiam Magiſtratus illuſtriores, & primi e Senatu ex Maeniano ſeu Podio ſpectabant,

bant, neceſſe eſt, ut omnes caperet, hoc in orbem productum fuiſſe, & totum inferiorum ordinum ſpatium occupaſſe. Hinc lucem mutuam tribuit & accipit lapis Eugubinus pag.172.num.14, in quo Sulpitius Theatrum PODIO CIRCUMSCRIPSIT, eo nempe conſtructo per ambitum ipſius Theatri. Praeterea ex ſpatio Arvalibus permiſſo putare poteris, quot hominum numero eorum Collegium conſtaret. Nam ſi ex calculo Torelli apud Lipſium *de Amphitheatris* extra Romam cap. 3. ſingulis pes, & dimidius tribuatur ad ſeſſionem, in ſpatio pedum 129 ſedere poterant 86. homines, quos omnes ad Collegium Arvalium pertinuiſſe facile judicaveris: non enim vero ſimile eſt, loca ultra numerum tributa. Hoc ſane intelligendum non tantum de ipſis Arvalibus, quos duodecim fuiſſe conſtat ex Agellio lib. 6. cap. 7. ſed de omnibus ejus Collegio miniſtrantibus. „ Hæc Doctiſſimus Praeſul Philippus a Turre. Veſpaſianus Amphitheatrum ſtruxit in Conſulatu VIII, ut conſtat ex Nummo, de quo ſupra num. 154. ſed tantae molis opus minime abſolvit. Titus filius ejus ſupremam illi manum impoſuit, dedicavitque, ut ſcribit Suetonius in ejus Vita cap. 7, *Amphitheatro dedicato, munus edidit apparatiſſimum*. Fama

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

ma tamen & vulgus Tito magis adjudicavit „ ſive favore quodam in illum „ ſive potius ex Romano ritu, quo receptum, Opera cenſeri a dedicante. Quare Caſſiodorius *Variarum* lib. v. Epiſt. 42. *Hoc*, inquit, *Titi potentia principalis divitiarum profuſo flumine cogitavit Aedificium fieri*: & Eutropius lib. VII. cap. 21. *Hic* (Titus) *Romae Amphitheatrum aedificavit*. Quam molem admiratus Martialis, hiſtorica fide, non poetica, dixit *de Spectac.* Epiſt. I. 9.

Omnis Caeſareo cedat labor Amphitheatro:

Unum pro cunctis fama loquatur opus.

Graphicam hujus admirandi operis deſcriptionem concinnavit Montfauconius *Antiq. Expliq.* Tom. 3. part. 2. pag. 254. quam heic lectoribus gratificaturus attexam, ut Nummi noſtri illuſtrentur, in quibus Amphitheatrum Flavium repraeſentatur. „ Amphitheatrum (inquit) Graece ſignificat locum ſpectaculis deſtinatum, ex duobus theatris ſimul junctis confectum, (videſis Caſſiodorium Var. 5. 42. & Iſidorum 18. 52.), ubi ſpectatores circumlocantur. Cavea item vocatum occurrit, quo nomine interior facies proprie ſignificatur, quae cava eſt. Arena etiam ſæpe dicitur, quod nomen hodieque Amphitheatris Nemauſenſi

(ac

(ac Veronenſi) datur, necnon & arenis Tintiniacenſibus, aliiſque Amphitheatris. Antequam ludi amphitheatrici inciperentur, arena in amphitheatri area ſpargebatur, &, ut quiſpiam dicit, Aethiopes aliquando erant, qui talem functionem peragerent. *Subinde*, inquit Arbiter, *intraverunt duo Aethiopes capillati cum puſillis utribus, quales ſolent eſſe, qui arenam in Amphitheatro ſpargunt*. Quia vero fortaſſe arena nobilior eſſet, aliquando in Circo ex limato ſerratove lapide, aut ex lapide detrito, & in pulverem acto area ſpargebatur. Ex inepta ſtolidaque magnificentia Caligula chryſocollam ſpargi curavit: Nero autem chryſocollae contritam cinnabarin adjecit &c. Veſpaſianus maximum & magnificentiſſimum Amphitheatrum conſtruxit, cujus magna pars hodieque ſupereſt: etſi enim ſaepe incendio abſumptum fuerit, ſaepe etiam fuit reſtauratum. Inter Amphitheatra, quae vel integra, vel ſemiruta ſuperſunt, nullum huic comparandum. Capere, inquit Victor, poterat octoginta ſeptem millia ſpectatorum. Area interior, quae *Arena* vocabatur, ovatae formae erat, *ovi ſpeciem concludens*, inquit Caſſiodorus: circum Arenam, caveae erant fornicibus inſtructae, ubi Feras in arena pugnaturas incluſas ſervabant.

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

Caveae nomen, etiam toti Amphitheatri interiori faciei dabatur: imos hoſce fornices, caveas vocant Statius, & Trebellius Pollio in Gallieno: idem Gallienus, inquit Pollio cap. 12, *cum quidam gemmas vitreas pro veris vendidiſſet ejus uxori, atque illa, re prodita, vindicari vellet, ſurripi quaſi ad leonem venditorem juſſit, deinde e cavea caponem emitti, mirantibuſque cunctis rem tam ridiculam, per Curionem dici juſſit*, impoſturam fecit, & paſſus eſt: deinde negotiatorem *dimiſit*. Arenae circum muro cingebantur, ſupra quem Podium; eratque quaſi ſuggeſtus, ſive, ut ajunt, *projectura* latior, quod etiam nomen Podium pro ſimilibus templorum & aedium *projecturis* uſurpatum reperitur. Hoc Amphitheatri podium columellis atque cancellis exornabatur. Hic ſedem habebant Senatores, Magiſtratuſque cum ſellis curulibus, comitantibus lictoribus, aliiſque miniſtris. Hic etiam locus Imperatorum erat, quibus ſolium parabatur opertum. Qui ludos edebat, atque ſpectacula, tribunal ibi ſuum ponebat. Virgines quoque Veſtales in podio honoris cauſa locum habebant. Etſi podium illud duodecim quindecimve pedibus altum eſſet, non tuti fuiſſent Senatores ab Elephantorum, Leonum, Pardorum, Pantherarum, aliarum-

que

Digitized by Google

que ferarum impetu, cum eae furibundae in arena concertarent; niſi circum retia, atque cancelli appoſiti fuiſſent, quorum praeſidio ſpectatores ſine damno omnia conſpicere poſſent. In extrema etiam podii ora, ligna erant rotunda & verſatilia, quae feras conſcendere volentes praepedirent. Nihilominus tamen accidit quandoque, ut ferae in ſpectatorum ordines irrumperent: quae cauſa fuit, ut, ad eam propellendam moleſtiam, euripi & canales circum adornarentur, ut ferae iſtuc ne accedere quidem poſſent. Supra podium gradus erant, eo more concinnati, quo in theatris ſupra dicebatur: ac, quemadmodum in theatris, duo ibi erant graduum genera: alii ad ſedendum concinnati, altiores latioreſque erant, & circa totum amphitheatrum diſpoſiti; alii gradus demiſſiores, anguſtiores ab ima parte ad ſupremam pertingebant, ſediliumque ordines ſecabant, perinde atque in theatris, hoc tamen diſcrimine, quod Amphitheatri ſaltem Veſpaſiani ſcalae illae, non omnes graduum ordines, neque omnes praecinctiones ſecarent; interrumperentque; ſed ex media praecinctione tantum, ad aliam praecinctionem pertingerent: idque, ut videtur, ne, ſi gradus illi, qui anguſti erant, ex ſummo theatro ad imum per-

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

pertigiſſent, perturbatio inde oriretur. Gradus illi amphitheatri Veſpaſiani, pede, duobuſque pollicibus alti erant, latique duobus ſupra dimidium pedibus: ideoque ea fiebant latitudine, ut liber eſſet tranſitus vel tarde venientibus, vel iis qui vellent urgente caſu ſecedere: itemque, ut ii, qui ſuperioribus gradibus ſederent, in inferioribus pedes locare poſſent. Jam diximus quid eſſent praecinctiones, gradus videlicet ceteris longe altiores latioreſque, qui ſuperiores ſedes diſtinguerent ab inferioribus, & tranſitum facilem praeberent turbae ad ſpectacula accurrenti. Ab Imperio Caligulae Senatores in podio pulvinos habuere ſub pedibus extenſos, licitumque ipſis erat Theſſalicis galeris caput operire, ut ab aeris injuria vindicarentur. In amphitheatro Veſpaſiani, quatuor praecinctiones obſervantur, eam annumerando, quae in ſuprema parte prope porticum erat. Illae praecinctiones, baltei etiam appellabantur, quaſi dicas lata cingula. Vomitoria, ut vocat Macrobius, oſtia erant in ſummis ſcalis, quo per occultos meatus perveniebatur. A numeroſa turba iſtinc egrediente, vomitoria vocabantur, quaſi multitudinem occulte accedentem evomentia. Aliquot etiam gradus erant, queis ad gradus ſedilium

dilium tranſire poterant, per quos etiam aquae diffluebant, ut ex quibuſdam inciſuris argui videtur. Ejus Amphitheatri figuram ex Serlio mutuamur, unde etiam mutuatus eſt Juſtus Lipſius, cum formis peculiaribus ſcalarum, & graduum ſedentibus deputatorum. Jam diximus eos, quos vocabant cuneos, illa eſſe ſpatia, quae inter praecinctiones, & ſcalas erant: erantque loca atque ſedilia per claſſes diſtributa. Theatrorum loca pro ſedentium conditione, ſtatuque, ſeparata erant ex lege Roſcia. Id pro Amphitheatris, & Circis poſteriori longe tempore factum eſt: principio enim ſine ullo ordine, ſine ulla perſonarum diſtinctione, promiſcue ſedebatur: exinde vero Senatorum ſedes in podio fuit, equitum Romanorum in ſedibus, gradibuſve podio vicinis, uſque ad primam praecinctionem: quatuordecim graduum ordines, quot videlicet erant, uſque ad primam praecinctionem, equitibus deſtinabantur. Cum equitum numerus major erat, quam ut poſſet in gradibus iſtis contineri, vicini ſublimioreſque gradus ab illis occupabantur. Ruſtici, inopes, & quotquot pullata veſte incedebant, in ſublimioribus gradibus conſiſtebant. Aliquando, cum nimia conflueret turba ad ſpectacula quaedam ſingularia, nulla ordinum ratio

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

ratio habebatur. In quibuſdam Amphitheatri locis tubi erant, per quos odoriferi liquores emitterentur; qui liquores, ut plurimum, ex croco in vinum infuſo confecti erant. Vela obtendebantur, ne nimio ſolis aeſtu ſpectatores torquerentur: vela vulgo ex telis confecta erant; ſed cum omnibus in rebus luxus olim, ut hodieque, emineret, memorantur a Scriptoribus tentoria in Amphitheatro ſerica, & aliquando purpurea, auro intertexta. Cum vela non obtendebantur, Theſſalicis galeris ſeſe muniebant, petaſiſque, aut pileis, aut umbellis. Jam in Orgiis Bacchicis ſecundo tomo umbellam hodiernis ſimilem idem Montfauconius repraeſentavit, itemque, ubi de villis. Pegmata, quae ſecundum Martialem media in via erant, & prope amphitheatrum, quod Coloſſeum appellant, machinae theatrales erant tabulatis pluribus, quae arte quadam vel erigebantur, vel demittebantur, ubi gladiatores, ceterique ſcurrae ſingularia quaedam edebant ſpectacula. Hae machinae in Nummis quibuſdam comparent. Pegmata etiam vocabantur tabulae ligneae expolitae, quae in Bibliothecis uſurpabantur, & affigebantur ad libros ordine recipiendos. Pegmate quoque ſignificatur generatim quidquid figitur. Haec Montfauconius. Plura vide apud

apud Lipſium, Maffejum, & Marangonium, qui de Amphitheatro Romano peculiarem habuerunt tractationem. In Confeſſione Eccleſiae S. Martinae ad radices Capitolii inventus eſt antiquus lapis, in quo legitur, Indiculus Tabulae III Saeculi I.

SIC PREMIA SERVAS VESPASIANE DIRE
PREMIATVS ES MORTE GAVDENTI LETARE
CIVITAS VBI GLORIE TVE AVTORI
PROMISIT ISTE DAT KRISTVS OMNIA TIBI
QVI ALIVM PARAVIT THEATRV̄ IN CELO.

Laudatus Cl. Marangonius, cujus anima requieſcat in pace Dei, hunc SS.mum Chriſti Martyrem GAUDENTIUM Architectum fuiſſe putat Amphitheatri Flavii, (*a*) cujus ſinceriora Numiſmata locanda curavimus circa iconiſmum Apotheoſeos Titi, qui fuit una cum Patre, magnificentiſſimus conditor tantę molis.

156. TRIVMPHALIS POMPA IVDAICI TRIVMPHI in Arcu Titi. Sacerdotes

Ddddddd duo,

(a) Bellorius in libro, cui fecit titulum *Fragmenta Veſtigii Veteris Romae* Tab. xviii. *haec* (inquit) *Inſcriptio, quae Amphitheatri Flavii Architecto adſcribitur, elapſis annis reperta, erutaque ex Coemeterio D. Agnetis, Via Nomentana, jam pridem apud Felicem Rondeninam Antiquitatum ſtudioſiſſimam Matronam, & a Jo. Severano in Rom. Subter. Boſii relata. Non ſpuria, neque recens Inſcriptio eſt, ſed orthographia, & caracteres longe ſequiorem Veſpaſiano Auguſto aetatem indicant; nec in ipſa Amphitheatri, ſed Theatri mentio habetur.*

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

duo, eodem geſtu ſinguli manus e toga exerentes, ac totidem Popae, ſeu miniſtri ſacrorum, victimas immolaturi. Hi ſuccincti, atque ad ilia nudi procedunt. Suetonius in Caligula cap. 32. *Admota*, inquit, *altaribus victima, ſuccinctus Poparum habitu, elato alte malleo, cultrarium mactavit*. Et Propertius lib. IV. Eleg. 3. verſ. 66. *Succinctique calent ad nova ſacra popae*. Vide Oiſelium *in Minucium Felicem* pag. 190, Turneb. *Adv.* XVIII. 5. & XXX. 7, Stuckium *de Sacrific.* cap. 6, Panvinium *de Civitate Rom.* cap. 44, Gutherum *de veteri jure Pontif.* lib. 2. cap. 14, Caſalium *de profan. Romanor. rit.* cap. 15, Kipping. *Antiq. Roman.* lib. I. cap. 11. §. 8, Nicol. *de Triumphis* cap. 16. §. 4, Struvium *Ant. Rom.* cap. 12. pag. 640, & Pitiſcum in Suetonium.

157. Nummus a Veſpaſiano, Caeſaribus filiis ſuis Tito & Domitiano percuſſus. Legitur in antica, T. CAESAR. VESPASIAN. IMP. IIII. PON. TR. POT. II. COS. II. in poſtica vero, quam heic exhibemus ex Aenea Vico, CAESAR. DOMITIANVS. DES. S.C. Corrige CAESAR. DOMITIAN. COS. DES. II. ut habent Angelonus pag. 78, Muſeum Arſchotanum Tab. 28. num. 19, Bellorius pag. 69. num 2, Geſnerus Tab. 60. num. 25,

num. 25, Harduinus pag. 732, Mediobarbus pag. 121, Vaillantius *Num. Imp. Rom.* Tom. I. pag. 35, & Muſeum Muſellianum Tom. I. Tab. 37. num. 9, ac Tom. III. p. 85. *Caeſar Domitianus Conſul Deſignatus Secundum. Domitianus vectus equo.* Titus Tribuniciam Poteſtatem Secundam iniit anno Aerae Chriſti Vulgaris 72, quo Domitianus in annum ſequentem deſignatus eſt Conſul II. Vide Pagium in Critice ad an. 73. num. 2, & Card. Noriſium in *Epiſt. Conſulari* pag. 53, ubi ex Grutero refert Decretum, quo quidam Veterani civitate donati ſunt ab Imp. Veſpaſiano anno Aerae Chriſti Vulgaris 71. Illud vero Decretum dicitur ſcriptum NON. APRIL. CAESARE. AVG. F. DOMITIANO. CN. PEDIO. CASTO. COS., Quare Domitianus jam menſe Aprili ejuſdem an. 71. primum Conſulatum gerebat. Id liquet etiam ex tribus Nummis Gazae Mediceae, inſcriptis iu antica IMP. CAESAR. VESPASIAN. AVG. P. M. TR. P. COS. III., in poſtica vero IMP. AVG. F. COS. DES. IT. CAES. AVG. F. DES. S. C. de quibus jam egimus ſupra in Indiculo hujus Tabulae num. 134. Imperii Collegae, Tribunicia Poteſtate, & Imperio Proconſulari donabantur; ratione cujus Titus in Nummo, quem

Ddddddd 2 heic

heic illuſtramus, *Imperator* IV. nuncupatur. Titum Tribunicia Poteſtate a Patre cohoneſtatum fuiſſe, docet Suetonius *in Veſpaſiano* cap.6. ubi de Tito ait: *Triumphavit cum Patre, Cenſuramque geſſit una: eidem Collega & in Tribunicia Poteſtate, & in ſeptem Conſulatibus fuit.* Quae Tribunicia Poteſtas, etiam in Nummis ipſius Titi, tam Graecis, quam Latinis, memoratur. De Imperio autem Proconſulari eidem collato loqui videtur Plinius in Praef. *Hiſt.* ſuae *Naturalis*, quam Tito dicavit, dum adhuc Veſpaſianus Pater in vivis ageret. Ait namque: *ſciant omnes, quam ex aequo tecum vivat Imperium: Triumphalis, & Cenſorius tu, ſexieſque Conſul, ac Tribuniciae Poteſtatis particeps*. Paſſim quoque in ejuſdem Hiſtoriae proſequutione Titum *Imperatorem* appellat. Extat item apud Pagium egregius locus Philoſtrati lib. 6. *de Vita Apollonii Tyanaei* cap. 14. qui oſtendit, Titum Imperii Collegam fuiſſe. Demum Joſephus lib. 7. *de Bello Judaico* cap. 24. de Veſpaſiani & Titi Triumpho agens, utrumque *Imperatorem* vocat. Titus tamen in Nummis dupliciter Imperator nuncupatur, ut videre licet apud Mediobarbum, alioſque Scriptores de re Nummaria. Id nomen, (inquit laudatus Pagius ad an.71.) ubi praeponi-

ponitur; Imperium Proconſulare; ubi poſtponitur, Victorias Titi reſpicit. Praeponitur autem vel hoc modo, T. CAESAR. IMP. VESP.; vel iſto, IMPERATOR T. CAESAR AVGVST. F., ideſt *Imperator Titus Caeſar Auguſti Filius*. Quando vero Imperatoris nomen ad Titi Victorias refertur, nomini ejus poſtponitur hoc modo, T. CAESAR. VESPASIAN. IMP. IIII. ut in hoc Nummo, de quo agimus. Denique aliquando in eodem Nummo Titus Imperator dicitur & ratione Imperii Proconſularis, & ratione Victoriarum; ut multis probat memoratus Pagius ad eundem annum.

158. Nummus in honorem Titi, & Juliae filiae ejus percuſſus, cum epigraphe in poſtica, quam heic exhibemus, IVLIA AVGVSTA. *Caput Juliae*. Julia Titi & Marciae filia, Sabino nupſit; quamvis Domitiano patruo promiſſa. Hic ſtuprum nepti intulit (teſte Dione in ejus Vita); eamque inceſtu & adulterio coruptam, velut pro conjuge habuit, ac tandem ad mortem coegit, cum abortivum eam abjicere perſuaſiſſet. Extat Nummus apud Patinum *de Num. Imp. Rom.* pag. 155. in quo idem caput Juliae cernitur, cum literis IVLIA IMP.T.AVG.F. Vide Vaillantium Tom. I. *Num. Rom. Imp.* pag. 38.

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

pag. 38. & Tom. II. pag. 101, Muſeum Arſchotanum Tab. 30. num. 23, Geſnerum Tab. 63. num. 13, Patinum pag. 155, Theupolum Tom. I. pag. 149, & Muſeum Muſellianum Tom. I. Tab. 53. num. 3. ac Tom. III. pag. 101.

159. Antica Nummi, de quo ſupra num. 158. In ea *Caput Titi radiatum*, cum epigraphe DIVVS TITVS AVGVSTVS. De Titi Conſecratione a Domitiano facta, vide ea, quae ſcripſimus in Indiculo hujus Tabulae numeris 145. 146. & 147. item Statium libro *Silvarum* I., Eutropium lib. 7, & ex recentioribus Panvinium *de Civit. Rom.* apud Graevium Tom. I. pag. 301. Titus, praeter Apotheoſim, nullo alio honore a Domitiano fratre donatus eſt, ut narrat Suetonius: *Defunctumque, nullo, praeterquam conſecrationis honore, dignatus* eſt, inquit in ejus Vita, cap. 2. Ideo nullos cum ſymbolis ejus Conſecrationis Nummos ab eo cuſos obſervare contigit Vaillantio, qui Tom. 2. *Num. Imp. Rom.* pag. 101. ſcribit: hic (Nummus videlicet, de quo agimus iſto num. 159.) videtur tantum in gratiam Juliae filiae ſignatus cum Divi epigraphe, & corona radiata inſignis. Juliam namque infami ſtupro corruptam, Domitianus, tanti patrator ſceleris, poſt

poſt mortem inter Divos retulit; ut conſtat ex quodam Nummo, in quo legitur, DIVAE IVLIAE. AVG. TITI. FIL. S. P. Q. R. *Carpentum, ſeu rheda, Conſecrationis typus.* De Juliae Conſecratione Martialis etiam cecinit lib. IX. Epiſt. 2.

Dum voce ſupplex, dumque thure placabit
Matrona DIVAE *dulce* IVLIAE NOMEN,
Manebit altum Flaviae decus Gentis
Cum ſole, & aſtris, cumque luce Romana.

160. Nummus Titi, cum epigraphe in antica T. CAES. PON. TR. P. COS. II. CENS. in poſtica vero, quam heic exhibemus, S.C. Templum in ea cernitur Jovis Capitolini, a Veſpaſiano Patre reſtitutum, ut conſtat ex ejus Simulacro in fronte ejuſdem Templi aſſidente, quod Aeneas Vicus non ſatis expreſſit; ut ſcite adnotavit Bellorius *in Adnotationibus in XII. priorum Caeſarum Numiſmata* pag. 69. num. 9. Titus autem *Conſul Secundum* proceſſit una cum Veſpaſiano *Auguſto IV*, (anno Aerae Chriſti Vulgaris 72.), teſte Plinio lib. 11. cap. 13. *Nam, ut quindecim diebus*, inquit, *utrumque ſidus quaereretur, & noſtro Aevo accidit, Im-*

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

Imperatoribus Veſpaſianis patre IV. filio ITERVM *Conſulibus*. Vide noſtram Chronologiam ad eundem annum. Qui Titi itinerarium a Joſepho deſcriptum examinabit, nonniſi exeunte Aprili praecedentis anni 71. ipſum Romam pervenire potuiſſe comperiet. Tardius vero illuc accedere non potuit; cum ante diem primum Maji triumpharit de Judaea capta. Itaque anno 70 (inquit in notis ad Criticam Pagii Eruditiſſimus Praeſul Georgius) *XI. Kal. Julias* (ut eſt apud Tacitum Hiſtor.lib.iv.cap.53), quando vota ſolemnia pro reſtitutione Capitolii nuncupata ſunt a Veſtino, & *praeeunte Plautio Eliano Pontifice luſtrata ſuovetaurilibus area &c.Simul ceteri Magiſtratus, & Sacerdotes, & Senatus, & Equites, & magna pars Populi, ſtudio laetitiaque connixi, ſaxum ingens traxere: paſſimque injectae fundamentis argenti, aurique ſtipes*, Roma aberant proculdubio Veſpaſianus & Titus. At Suetonius ſcribit in Veſpaſiano cap. 8. hunc Imperatorem *ruderibus* (Capitolii) *purgandis manus primum admoviſſe, ac ſuo collo quaedam extuliſſe*. Dio etiam Xiphilini lib.66.p.749.ait, *Templum in Capitolio ſtatim aedificare coepit* (Veſpaſianus), *primuſque inde terram extulit*. Haec vero mire torſerunt

runt Juſtum Lipſium, qui libenter ſe *tam manifeſtam pugnam conciliantem*, auditurum fatetur. Sebaſtianus quoque Tillemontius hac in re prorſus haerere fatetur in notis ad Tomum II. *Hiſt. Imperatorum* pag. 469. At Philippus a Turre Antiſtes Adrienſis in Monumentis Veteris Antii pag. 94. levi negotio hanc pugnam dirimit. Tacitus (ad an. 70. Aerae Chriſti Vulgaris) jacta ſolummodo Capitolini Templi fundamenta memorat: ſed, cum Haruſpices, ut ille docet, monuiſſent, *ut reliquiae prioris Delubri in paludes aveherentur*, non ante id factum fuit, quam praeſens Veſpaſianus eſſet (nempe an. 71.), & reliquias ipſas, ſeu, ut vocat Suetonius, *rudera* primus efferret. Haec Antiſtes Clariſſimus, quae mirum in modum Tacitum, Suetonium, ac Dionis Xiphilinum conciliant. Porro Capitolium, *ſtatim* poſt Veſpaſiani exceſſum conflagratum, ut ſcribit Plutarchus in Vita Poblicolae, Domitianus (poſt obitum Titi, qui & ipſe illud iterum inchoaverat) tandem perfecit, atque dedicavit, ut ſcribit Suetonius in eodem Domitiano capite 5: *plurima* (inquit) *& ampliſſima opera incendio abſumpta reſtituit: in queis & Capitolium, quod rurſus arſerat: ſed omnia ſub titulo tantum ſuo, ac ſine ulla priſtini Aucto-*

ris memoria. Huc alludit Martialis, cum dicit, *pro Capitolinis quid enim tibi ſolvere Templis &c.* De reſtitutione Capitolii, ab Imperatore Tito inchoata VII. Idus Decemb. an. Aerae Chr. Vulg. 80. ante illam Domitiani inſtaurationem, de qua loquitur Suetonius, vide noſtram Chronologiam ad eundem annum.

161. Nummus Titi, cum epigraphe in antica IMP. TITVS. CAES. VESPASIAN. AVG. P. M., in poſtica vero, quam heic exhibemus, TR. P. VIIII. IMP. COS. VII. P. P. Currus cum quadrigis, ex quo flamma erumpit. Bellorius *in Adnotationibus in XII. priorum Caeſarum Numiſ.* pag. 73. num. 4. hunc Nummum exhibens, ſcribit: *corrige* TR. P. VIII. IMP. XIIII. COS. VII. P. P. *Currus, ſuper quo flos, non flamma, ut expreſſit Vicus. Similem vidimus ſupra in argenteis num.* 15. Verum Bellorius fallitur utrobique. In columna namque milliaria apud Fabrettum pag. 414. num. 364. legitur, IMP. TITVS. CAESAR. VESPASIANVS. PONTIFEX. MAXIMVS. TRIBVNIC. POTEST. IX. IMP. XIV. COS. VII. DESIGNATVS. VIII. CENSOR. Et apud Gruterum pag. 179. 6. IMP. T. CAESAR. VESP. AVG. P. M. TR. P. IX. COS. VII. P. P.

Item

Digitized by Google

Item pag. 177. num. 1. IMP. TITVS. CAESAR. DIVI. F. VESPASIANVS. AVG. PONTIF. MAX. TRIBVNICIAE. POTESTAT. IX. IMP. XV. CENS. COS. VII. DESIG. VIII. Heic Titus *Divi* filius dicitur, quia hoc anno Aerae Chr. Vulg. 79. quo fuit Conſul VII., Veſpaſianus Pater obiit die 24. Junii, dum Conſulatum gereret Nonum. Quare Suetonius in Tito cap. 6. *Eidem* (Veſpaſiano), inquit, *collega*, *& in Tribunicia Poteſtate*, *& in* SEPTEM *Conſulatibus* (Titus) *fuit*. Vide noſtram Chronologiam ad eundem annum 79. Typus Nummi, quem heic exhibemus, quadrigam triumphalem repraeſentat quatuor equis tractam, ſuper quam flamma erumpit, ut aſſerunt magni nominis Viri, qui ſcripſerunt de re Nummaria. Vide Muſellium Tom. I. Tab. 39. num. 7. ac Tom. II. pag. 87, Muſeum Arſchotanum Tab. 30. num. 13, & Mediobarbum pag. 124. Quid vero ſibi velint quadriugus currus, & ignis in vertice, divinet felicior aliquis. Anno Chr. 79. quo Nummus fuit percuſſus, Agricola, cum in Britanniam veniſſet (quod factum eſt media aeſtate), Ordovices, qui rebellaverant, magno conatu compeſcuit, & Inſulam Monam ſibi ſubjecit, & exercitum ab injuriis inferendis prohibuit. Felicitas

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

haec effecit, ut Titus Imperator XV. appellaretur, ut adnotavit Calviſius in ſuo Opere Chronologico ad hunc annum. Haec ſcribo, ut conjecturis indulgeam; quibus, ſi lubet, addam & alteram a Veſuvii eructatione petitam, quae accidit Kal. Novembris, hora ſeptima ejuſdem anni 79. ut ſcribit Plinius Junior in *Epiſt. ad Tacit.* quaeque habita fuit veluti mox caſuri Mundi prodigium. Suetonius in Tito cap. 8. eam ſummatim deſcribit: ſed a Dione fuſius ita enarratur: *Eo tempore*, inquit, *magnus numerus hominum inuſitata magnitudine, quales Gigantes finguntur, in eodem monte, Regioneque finitima, ac proximis Civitatibus, interdiu noctuque vagari, verſarique in aere viſus eſt. Poſt haec, conſequuta maxima ſiccitas, ac repente ita graves terraemotus facti, ut ea omnis planities fervida eſſet, & culmina montium ſubſiderent. Ad haec, ſonitus ſubterranei, tanquam tonitrua, & ſuper terram mugitibus ſimiles extiterunt. Deinde, mare ſimul fervere, omne caelum reſonare, ingenſque & repentinus fragor, quaſi montes ſimul conciderent, exaudiri. Tum, exiliere primum immenſi lapides, & ad ſummos vertices pervenere: deinde, magna copia ignis, fumique; itaut omnem aerem obſcuraret, occultaretque ſolem, non aliter, quam ſi de-*

ſi defeciſſet. Igitur nox ex die, & tenebrae ex luce factae erant; putantibus nonnullis, Gigantes ſeditionem inter ſe facere; quod multae imagines eorum in fumo conſpicerentur, quodque clangor tubarum audiretur. Alii exiſtimabant, aut Mundum in Chaos redigi, aut igne conſumi: ob eamque cauſam properabant alii ex aedibus in vias, alii de viis in aedes confugere, atque e mari in continentem, & e continenti in mare ſe recipere: alii turbari, & quae nondum venerant, exiſtimare tutiora rebus praeſentibus. Tam vero erat copia cineris, ut terram, mareque, atque adeo ipſum aerem compleret: quae res multa damna, ut cuique ſors tulit, importavit, non ſolum hominibus, praediiſque, ac pecoribus; ſed etiam piſces, volucreſque omnes peremit; duaſque Urbes Herculanum, & Pompejos, populo ſedente in Theatro, penitus obruit. Poſtremo, tantus fuit cinis; ut inde pervenerit in Africam, Syriam, & Aegyptum; introieritque Romam, ejuſque aerem compleverit, & ſolem obſcuraverit. Id Romae accidit paucis poſt diebus, cum omnes ignorarent id, quod factum erat in Campania; nec quid eſſet, conjectura aſſequi poſſent. Itaque etiam ii putare coeperunt, omnia ſurſum deorſum ferri, Solemque in Terram cadere, aut

Ter-

Terram in Caelum conſcendere. Quamquam autem hic cinis non attulit ſtatim gravia incommoda Populo Romano; tamen poſtea morbum peſtilentem & gravem immiſit. Quod ait Dio, hiſce tam inſolitis viſis & prodigiis complures exiſtimaſſe Mundum in Chaos redigi, Imperiumque igne conſumi oportere, id non aliunde in eorum mentem veniſſe potuit; quam quod vulgatum erat carminibus Sybillinis, Mundum incendio periturum. Recitantur autem a Lactantio in lib. *de Ira Dei* cap. 23. ejuſmodi oracula. Haec vero haud recondita erant in penetralibus Sacrarum Aedium, ut paucis cognita eſſent, ſed omnibus nota: nam idem Lactantius ea de re Naſonis carmina recitat: & Plutarchus *de Pythiae Orac.* ſcribit: *Haec vero, quae recens apud Cumas, & Dicaearchiam acciderunt, nonne pridem decantata carminibus, tempus veluti debens perſolvit? eruptionem, inquam, montani ignis, fervorem maris, ſaxorum, & maſſarum flagrantium venti vi ejectionem, tot tantarumque ſimul Urbium interitum; ut hodie, qui ad ea loca accedunt, non poſſint cernere, ubi nam conditae fuerint.*

162. Nummus Veſpaſiani, cum epigraphe in antica IMP. CAES. VESPASIAN. AVG. P. M. TR. P. P. P. COS. III., in poſtica,

ſtica, quam heic exhibemus, IVDAEA. CAPTA. S. C. Judaea devicta, ſedens juxta palmam gemebunda; & captivus ſtans manibus poſt terga revictis, & abjectis armis. Judaea pro ſuo ſymbolo Palmam habuit, qua figurabatur a Gentilibus, ut videre eſt etiam in aliis Nummis, quos captis Hieroſolymis cuſos nos exhibemus numeris 164. 166. & 168. Alii Judaeam muliebri figura expreſſam exhibent habitu lugubri ſub Palma aſſidentem Tropaeo: alii ſedentem vinctis manibus: alii ſubnixam eadem arbore: ſub qua in quibuſdam duo pariter Judaei cernuntur captivi. Palmæ hieroglyphicum Judaeae naturale erat: huic enim quaſi propria eſt Palma, ut agnoſcit Plinius lib. 13. cap. 4. *Judaea vero*, inquit, *inclyta eſt vel magis Palmis &c.* Et cum multa Plinius dixiſſet ad commendationem hujus arboris, iterum aſſerit gloriam Judaeae, *ſed ut copia ibi* Palmarum in Oriente, *atque fertilitas, ita nobilitas in Judaea, nec in tota, ſed Hierichunte maxime.* Palma ergo ideo Judaeam deſignat, quod ea potiſſimum Regio Palmis abundaret, & quod Judaei in ſacris ſuis ejus foliis uterentur. In novi Templi idea, quam per extaſim vidit Propheta Ezechiel, frequentiſſima fit Palmae mentio: ſculpta etiam erat Palma in Sancto San-

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

Sanctorum. Optimae in agro Jerichuntis, & Engaddi proveniebant: Jericho nonnunquam Urbs Palmarum dicitur *Deuteron.* cap. 34. verſ. 3. & *Judic.* I. verſ. 16. Plurimae etiam ſecundum Jordanis ripas, & Scytopolim verſus. Veſtitur arbor haec foliis in ſuperiori trunco (ut apparet in noſtris Nummis): *coma omnis in cacumine* ait Plinius lib. 13. cap. 4. Comam Sponſi ſui comparat Sponſa *Canticor.* cap. v. v. 11. fructui palmae maris & nigredini corvi: *comae ejus, quaſi elatae palmarum, nigrae quaſi corvus.* Inſtituta comarum, cum ramis palmarum, comparatio, eo juſtior eſt, quo folia arboris illius in rotundum torquentur, & in extrema ora inferius propendent: oblonga ſunt, duplicata, & arcta, velut enſis. Joſephus lib. 6. & 7. *de Bello Judaico* cladem Hieroſolymitanam egregie deſcribit. Captivitas autem ab eodem (lib. 7. capite 18.) conſignatur die octava Septembris, anno Aerae Chriſti Vulgaris 70, *Flavio Veſpaſiano Auguſto Secundum & Tito Caeſare Primum Conſulibus.* Anno vero ſequenti 71. (quo Titus cum manubiis, ex Aegypto Romam veniens, de parta glorioſa victoria nobiliſſimum cum Veſpaſiano Patre egit Triumphum) cuſus eſt Nummus, quem heic illuſtramus; ut conſtat

ex

ex Conſulatu Veſpaſiani III. ſumpto eodem anno 71.quo Triumphus Judaicus ductus eſt, exeunte menſe Aprili. Nam Domitianus eidem Conſul interfuit, qui, ut ait Suetonius *in Domitiano*, nullum Coſulatum geſſit ultra Kalendas Maji. Eminen. Norilius in Epiſtola Conſulari Nummos profert, quibus oſtendit,menſe Martio dicti anni AeraeChr.Vulg. 71 Domitianum Primum Suffectum Conſulatum geſſiſſe. Lege ergo in noſtro Chronico ad eundem ann. 71, *Triumphus Veſpaſiani Patris & Titi filii de Judaea ſubacta ante Kalendas Maji* (& dele *Kalendis Julii*), ut ſcripſimus ſupra in Indiculo hujus Tabulae num. 134.

163. IMPERATORIS TITI TRIVMPHALIS POMPA, AC TRIVMPHVS IVDAICVS, *ex ejus Arcu.* Cernitur taurus *Jovi Optimo Maximo* in Capitolio a popa praecedente mactandus. Vittis, & infulis auratis ad ſacrificium ornatus trahitur, dorſuali picto coopertus. Trebell.Pollio *in Gallieno* cap.8, *Proceſſerunt* (inquit) *etiam altrinſecus centeni albi boves, cornibus auro jugatis, & dorſualibus ſericis diſcoloribus praefulgentes*. Quae *ſaga fuco tincta* vocat Capitolinus Ver. cap. 5. Vide Salmaſium in eundem Capitolinum, Grapaldum *de part. dom.* lib. I. cap.8.

§.21, Hugonium *de Milit. Equeſt.* lib. I. cap. 4, & Montfauconium *Antiq. Expliq.* Tom. IV. Parte I. pag. 162. Milites laureati, & brevi tunica induti, Pompam ſubſequuntur, cum ſcutis ovatae formae.

164. Nummus Titi, cum epigraphe in antica T. CAES. IMP. AVG. P. TR. P. COS. VI. CENSOR. *Caput Titi*. In poſtica, IVDÆA CAPTA S.C. *Judaea lugens ſub palma inter arma.*„ *Titus ad perdomandam Judaeam relictus, noviſſima Hieroſolymorum oppugnatione duodecim propugnationes totidem ſagittarum confecit ictibus, coepitque eam Natali filiae ſuae, tanto militum gaudio ac favore, ut in gratulatione* IMPERATOREM *eum conſalutaverint, & ſubinde decedentem Provincia, detinuerint*. Haec Suetonius. Hic Nummus, aliique, qui a Veſpaſiano ſignati ſunt, Judaeam lugentem ſub Palma referunt, qualem exhibuerat Jeremias *in Lament.* poſt captam Urbem a Rege Perſarum: *Quomodo ſedet ſola civitas plena populo? facta eſt quaſi vidua domina gentium: princeps provinciarum facta eſt ſub tributo! Omnes, qui glorificabant eam, ſpreverunt illam, quia viderunt ignominiam ejus: ipſa autem gemens converſa eſt retrorſum &c.* Hoc ipſum, & clarius, demonſtrarat Chriſtus, dum Crucem bajulans, mu-

lie-

dieribus plangentibus, illumque ſequentibus, dixit (Lucae cap. xxiii.): *Filiae Jeruſalem, ne flete ſuper me, ſed ſuper voſmetipſas flete, & ſuper filios veſtros: quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: beatae ſteriles, & ventres qui non genuerunt, & ubera quae non lactaverunt.* Vide Angelonum pag. 71, Muſeum Arſchotanum Tab. 23. num. 21, Bellorium pag. 62. num. 15, Geſnerum Tab. 58. num. 13, Mediobarbum pag. 113, Patinum *de Num. Imp. Rom.* pag. 147, Theupolum Tom. I. pag. 417, & Muſeum Muſellianum Tom. I. Tab. 32. num. 2. Joannes Harduinus *in Nummis antiquis Populorum & Urbium illuſtratis*, alios quinque exhibet Nummos, in quorum quarto, qui eſt Titi, legitur IVD. CAP. apud eundem Patinum pag. 147. In quinto vero item Titi, ΙΟΥΔΑΙΑΣ ΕΑΛΩΚΥΙΑΣ, *Judaea Capta*, e Cimelio Regio, & Muſeo ſuo. Similis huic, alter Auguſti Nummus apud Occonem pag. 52. ob captam a Soſio Antonii Duce cum Herode Hieroſolymam. In Nummo, quem heic illuſtramus, ut & in aliis Veſpaſiani, ac Titi, infelix Judaea ſuae plorat Urbis excidium, aeternumque plorabit. Sed in his malis, haec pars Hebraeis, ab Hadriano, ut videtur, poſtmodum adjecta poenalis ſolatii eſt, ut ſemel in anno ipſis conferre ſe eo liceret, quo

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

INDICULUS TABULAE III. SAECULI I.

die diruta Urbs fuit a Tito: quamquam & hunc aditum redimi magno pretio oportuit. Itinerarium Burdigalenſe, ubi agit de loco Templi, *ſunt*, inquit, *ibi & Statuae duae Hadriani. Eſt & non longe a ſtatuis lapis pertuſus, ad quem veniunt Judaei ſingulis annis, & ungunt eum, & lamentant ſe cum gemitu, & veſtimenta ſua ſcindunt, & ſic recedunt*. Et S. Hieronymus in Comment. in Sophoniam ſcribit: *Et hoc non tantum de captivitate dicendum eſt, ſed uſque ad praeſentem diem perfidi coloni, poſt interfectionem ſervorum, & ad extremum Filii Dei, excepto planctu, prohibentur ingredi Jeruſalem: & ut ruinam ſuae eis flere liceat Civitatis, pretio redimunt: ut, qui quondam emerant ſanguinem Chriſti, emant lacrymas ſuas, & ne fletus quidem eis gratuitus eſt. Videas in die, quo capta eſt a Romanis, & diruta Jeruſalem, venire populum lugubrem, confluere decrepitas mulierculas, & ſenes pannis anniſque obſitos, in corporibus, & in habitu ſuo iram Domini demonſtrantes. Congregatur turba miſerorum, & patibulo Domini coruſcante, ac radiante ἀναστάσει ejus, de Oliveti quoque monte Crucis fulgente vexillo, plangere ruinas ſui Templi populum miſerum, & tamen non eſſe miſerabilem. Adhuc fletus in genis, & livi-*

da

da brachia , *& ſparſi crines* ; *& miles mercedem poſtulat* , *ut illis flere plus liceat* . Hoc loco ἀνάστασις , non reſurrectio ipſa eſt,quam Graeca vox ſonat , ſed Templum , & Baſilica in Reſurrectionis loco ſuperſtructa : quo ſignificatu vocem hanc a S.Hieronymo duobus aliis in locis uſurpatam fuiſſe , admonuit Sirmondus in libello , cui nomen fecit *Triplex Nummus antiquus* .

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

165. Protome Titi Imp. ex marmore Capitolino. Suetonius in ejus Vita cap.3. ejus formam cum majeſtate conjunctam ita deſcribit : *in puero ſtatim corporis* , *animique dotes explenduerunt* : *magiſque ac magis deinceps per aetatis gradus* , *forma egregia* , *& cui non minus auctoritatis ineſſet* , *quam gratiae* . *Praecipuum robur* ; *quamquam neque procera ſtatura* , *& ventre paullo projectiore* . Cornelius Tacitus addit *Hiſtor.* lib. 2. cap.1. *Augebat famam ipſius Titi ingenium quantaecumque fortunae capax,decor oris,cum quadam majeſtate* . Ex hoc oris decore cum majeſtate copulato Sponius *Recherch. Diſ.* 24. arbitratus eſt , Imperium illi ominatum fuiſſe a quodam metopoſcopo, quo nomine Suetonius ibidem cap.2 , & Plinius *Hiſt.* lib.35. cap. 10. appellant eos , qui ex aſpectu futura praedicunt. Titus ab univerſis meruit appellari

lari *Deliciae generis humani*, ut diſcimus ab Suetonio in ejus Vita cap. 1., & ab Eutropio lib. 7. cap. 21. qui eum ſummis laudibus exornavit.

166. Nummus Veſpaſiani, cum epigraphe in antica IMP. CAES. VESPASIAN. AVG. P. M. TR. P. P. P. COS. III.; in poſtica vero, quam heic exhibemus, IVDAEA CAPTA S.C. Imperator paludatus ſtans; qui dextra nititur haſtae, & ſiniſtra parazonium tenet. Sub pede, galea, victoriae typus: prope, eſt Palma, ſymbolum Judaeae, quae ſub figura muliebri ſiniſtro cubito caput ſuſtentat, & gemit. Veſpaſianus iniit Conſulatum III. anno Aerae Chriſti Vulgaris 71. quo, menſe Aprili exeunte, egit de Judaea capta Triumphum. Extant Nummi illum repraeſentantes, eodem Conſulatu ſignati, apud Mediobardum. In uno legitur, IMP. CAES. VESPASIAN. AVG. P. M. TR. P. COS. III. In poſtica vero TRIVMP. AVG. Viſitur Imperator in quadrigis, qui dextra ramum tenet, & a Victoria coronatur: ante eum, tibicen; & ante currum, duo captivi, forte Joannes, & Simon praecipui Judaeorum Duces, de quibus egimus ſupra in Indiculo hujus Tabulae num. 144. Joſephus lib. 7. *de Bello Jud.* cap. 17. numerum iniens eorum, qui vel in ſervitutem

tutem redacti ſunt, vel interfecti, cum capta & expugnata fuit Jeruſalem, & everſum Templum, ſic ſcribit: *Captivorum quidem omnium, qui toto bello comprehenſi ſunt, nonaginta & ſeptem millium comprehenſus eſt numerus; mortuorum vero per omne tempus obſidionis undecies centum millia. Horum plerique gentiles fuere, ſed non indigenae. Ab omnibus enim Regionibus ad azymorum diem feſtum congregati, bello ſubito circumfuſi ſunt: ubi primo quidem illis peſtifera lues ex loci anguſtia naſceretur, deinde citius fames.* Haec ut certiora fiant, protinus ſubjicit: *Quod autem caperet tantam hominum multitudinem Civitas, certum erat ex his, qui ſub Ceſtio fuerant enumerati. Is enim tunc vires Civitatis ac florem Neroni ſignicare cupiens, contemnenti Nationem, a Pontificibus petiit, ut, ſi quo modo poſſent, multitudinem numerarent. Illi autem, cum dies feſtus adeſſet, qui Paſcha vocatur, quando a nona quidem hora, uſque ad undecimam hoſtias caedunt (per ſingula vero contubernia non pauciorum, quam decem virorum fiunt: ſolum enim epulari non licet: multi etiam viceni conveniunt), hoſtiarum quidem ducenta & quinquaginta ſex millia & quingentas numeravere. Fiunt autem, ut denos epulatores per ſingulas imputemus, vicies*

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

vicies centena ac ſeptingenta millia, ſancti omnes ac puri: nec enim leproſis, ſive vitiliginoſis, aut ſemine fluentibus, quos gonoroicos vocant, neque mulieribus menſtruo cruore pollutis, neque aliis inquinatis, participare ſacrificia permittebatur: ſed nec alienigenis quidem, niſi qui religionis cauſa veniſſent. Si 256500 hoſtiae caeſae fuerint, inquit Lamy lib. IV. *de S. Civitate Hieruſalem* cap. 4. ſect. 4, in die Paſchatis, horum qui epulati, ſunt, numerus ſaltem decies major fuit. Saltem, inquam, duo hominum milliones & quinquaginta ſex millia & quingenti participes fuerunt Paſchatis. Nam hocce numero 256500 multiplicato per 10, exurgit hic numerus 2565000. Quot autem, ut innuit Joſephus, tunc & aderant Viri immundi, expectantes alterius menſis Paſcha ob aliquam immunditiem? Quot pueri recens nati, necdum circumciſi? Quot gentiles, quibus non licebat Paſcha comedere? Itaque pluſquam tres milliones, ſive indigenarum, ſive advenarum, capiebat Jeruſalem. Fatentur exotici Scriptores, ubi Hieroſolymorum mentionem faciunt, fuiſſe Urbem maximam, ut Appianus in libro 3. Belli Syriaci. Euſebius in libro 8. *Praeparationis Evangelicae*, cap. 35. profert teſtimo-

monium Timocharis, qui, in rerum ab Antiocho geſtarum Hiſtoria, *Hieroſolymae ambitum quadraginta ſtadiorum eſſe docet*. Alium allegat Euſebius, qui tradit, *Urbis ambitum ſtadia ſeptem ac viginti obtinere*. Ex Hecataeo Joſephus in libro I. *contra Appionem* adducit ſequens teſtimonium: *una vero munita in primis Civitas Hieruſalem, cujus ambitus non pauciorum, quam quinquaginta ſtadiorum eſt. Hanc circiter viginti ſupra centum incolunt hominum millia*. Ariſtaeus in Hiſtoria LXX Interpretum ſic de eodem circuitu loquitur, *Civitatis vero amplitudo eſt mediocritate quadam temperata; quae, quantum colligere potuimus, in circuitu quadraginta ſtadia habet*. Ipſe vero Joſephus in libro VI. *de Bello* cap. 6. ſtatuit hunc circuitum fuiſſe tantum triginta trium ſtadiorum: *omne autem*, inquit, *Civitatis in gyro ſpatium triginta tribus ſtadiis finiebatur*. Itaque inter ſe non conveniunt Scriptores de circuitu Jeruſalem. Nullus ex eis adhibita diligentia rem exploraverat. Forſan & librarii, quod ſaepius contigit, corruperc notas numerorum, quibus hunc circuitum expreſſerant. Conſtat maximum fuiſſe, qui tot homines capere potuerit.

167. TRIUMPHALIS POMPA IMPE-

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

RATORIS TITI ex ejus Arcu, de quo ſupra in Indiculo nu. 163. Miles titulum praefert, in quo (ut ajunt) ſcripta erant devictae Gentis, captorumque Ducum nomina. Popa cum ſecuri bovem mactandum ducit, ſuccinctus ac velatus tunica, quae dicebatur *Limus*, & ab umbilico ad genua cadebat. Virgilius *Aeneid.* lib. 12. verſ. 119.

alii fontem, ignemque ferebant
Velati limo &c.

Ubi Servius: *Limus, veſtis, qua uſque ad pedes teguntur poparum pudenda*. Alter Popa, ſeu miniſter Sacrificii, urceolum manu gerens, humero bajulat calathum ſuffimentorum.

168. Nummus Titi, cum epigraphe in antica IMP. T. CAES. VESP. AVG. P. M. TR. P. P. P. COS. VIII.; in poſtica vero, quam heic exhibemus, IVD. CAP. S. C. *Judaea capta. Senatus Conſulto*. Palma arbor, quae ſymbolum eſt Palaeſtinae: hinc figura muliebris, nempe Judaea capta ſedens, ac lugens: inde captivus manibus poſt terga revinctis ante tropaeum. Conſulatum VIII. iniit Titus anno Aerae Chriſti Vulgaris 80. una cum Domitiano Caeſare VII. Vide noſtram Chronologiam. Pagius ad hunc annum num. 2. ſcribit: „ Imperii Proconſularis (Titi) Decen-

cennalia incidunt in hunc annum &c. In quibuſdam Nummis Titi Octavo ejus Conſulatu inſignitis, apud Mediobarbum legitur IVDAEA CAPTA, quia, ut jam dixi, praecedentium annorum Victoriae, annis Decennalibus addictis de more expreſſae. Immo Arcus Triumphalis hoc anno Romae erectus ad radices Palatini adhuc viſitur cum Inſcriptione, in qua Titus dicitur Gentem Judaeorum deleviſſe. Refert eam integram Baronius. Sic in Decennalibus Conſtantini Magni anno 316 editis conſtructus Triumphalis Arcus a Senatu ob Maxentium quadriennio antea debellatum, ut videre eſt apud eundem Baronium. Sunt qui exiſtimant, Inſcriptionem, quae in Arcu Titi legitur, fictitiam eſſe: ſed Decima Tribunicia Poteſtas Titi, ejuſque Decennalia, eidem plurimum favent; cum antea nullus adverterit, *Arcus Triumphales in Decennalibus Imperatoribus poſitos*. Quae de Nummis Titi apud Mediobarbum, VIII. Conſulatu, & literis IVDAEA CAPTA inſignitis, adnotat Clariſſimus Pagius, certae probataeque veritati aſſueti Viri recipient: nec fictitiam eſſe ſomniabunt Inſcriptionem, quae legitur hodieque in Arcu ejuſdem Titi. Sed ipſi aſſentiri non poſſum, Arcum Tito erectum fuiſſe, dum

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

adhuc in vivis ageret. Id neminem exiſtimo crediturum, qui oculos intenderit in DIVI Titulum, ſcalptamque in Arcus fornice Judaici Triumphatoris Apotheoſim. Vide quae ſcripſi in Indiculo hujus Tabulae num. 145.

169. Inſcriptio Q. Laberii Rufi Sacerdotis Dei Herculis, qui pro ſalute & reditu Titi Caeſaris Divi Imperatoris Veſpaſiani Auguſti filii pecunia ſua Tabellam votivam, ſignumve eidem Numini poſuit. Extabat Romae in Domo Iulii Matthaei. Miſit Grutero Metellus e Manuſcripto Codice Franciſci Jocundi, (qui eam vidit) Corpori Inſcriptionum Romanarum inſerendam. Rufus fuit cognomen Laberiorum, Minuciorum, Pompejorum, & Pomponiorum. Q. Laberius Rufus pro reditu Titi votum vovit Herculi, qui erat inter Deos Viales, quia peragraſſe credebatur totius Orbis terras & maria. Dionyſius Alicarn. lib. I. pag. 54. *Veriora* (inquit) *videntur, quae de eo* (Hercule) *narrant Hiſtorici, qui res geſtas ejus mandarunt literis: videlicet, quod, cum eſſet aetatis ſuae Ducum praeſtantiſſimus, magnaſque ductaret copias, quidquid terrarum Oceano cingitur, peragravit; tollens Tyrannos, quotquot eſſent, graves, & ſubjectis intolerabiles: aut ſi qua Civitas prae ferocia moleſtaret finitimos, ho-*

ſpi-

ſpitumque nefariis gauderet aedibus; pro quibus legitima Regna, moderataſque Reſpublicas conſtituit, & in vitam mores induxit humanos, ac ſociabiles. Ad haec cum Graecis juxta verſatus eſt, ac barbaris, cum maritimis, atque Mediterraneis, quibus ante male conveniebat per infida commercia: & in deſertis terris Urbes condidit, fluminaque avertit campos inundantia; VIAS MUNIVIT *in difficilibus acceſſu montibus, nihil non molitus, ut mare, ac terra quam latiſſime paterent uſibus cunctorum mortalium.* Vide Bergier. *de Viis milit.*lib.IV.ſect.43.§.1.& 10. Unde Hercules in lapidum antiquorum Inſcriptionibus *comes., cuſtos, conſervator, defenſor, magnus cuſtos &c.* paſſim nominatur. Præcipui Viales Dii, qui præerant viis, & invocari ſolebant, aut ab iis, qui peregre proficiſcebantur, aut pro iis, qui ſe ad viam accingebant, erant Mercurius, Apollo, Bacchus, HERCULES. Horum capita, aut imagines, Graeci & Romani imponebant certis quibuſdam columnis, aut, ut rectius dicam, ſtelis, & quaſi paraſtatis, quas in viis publicis, tam more Romano munitis, quam immunitis, dedicabant, ut ſcribit idem Bergier. loco citato. Titulus DIVI Tito adhuc viventi tributus, abundat in marmore, de quo loquimur,

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

mur, forte ex errato Jocundi, qui illud exſcripſit oſcitanter.

170. Signum cum baſi Victoriae Auguſtae ſacrum. Sacrum eſt omne, quod alicui Deo dicatur non a privatis, ſed publico Civitatis inſtituto. Itaque locus, ubi ſacra privata fierent, ſacrum non videri Feſtus ait; cum ea tamen vocentur ſacra, quae in eo loco fiunt. *Sacra* vero dicitur Aedes, ara: *ſacer*, lucus, mons: *ſacrum*, ſaxum, ſignum, quorum ad conſecrationem Civitas conſenſit. Ordines exempli gratia Cluſinorum, Dertoſanorum, Barcinonenſium, SPOLETINORVM, & ſimilium, erant Ordines Decurionum (nempe Collegii ipſius, & Curiae) illarum Urbium. Ordo ergo Decurionum Spoletinorum conlocavit in Foro, aut in alio publico loco hanc Tabulam votivam, ſignumque ex aere Victoriae Auguſtae, pro reditu Imperatoris Caeſaris Titi Flavii Veſpaſiani Auguſti Pontificis Maximi, Tribuniciae Poteſtatis, Conſulis ſecundum, Patris Patriae. VICTORIA AVGVSTI viſitur in Veſpaſiani Nummis COS. III. obſignatis, apud Bellorium pag. *61*. num. 1. & pag. *63*. num. 24. ac 34. in aereis: itemque in argenteis p. *64*. num. 4. Viſitur etiam in Nummis Titi VICTORIA AVGVSTI cum TRIB. POTESTA-

Digitized by Google

STATE II. & Conſulatu II. apud eundem Bellorium in aereis pag. 69. num. 6. Veſpaſianus Conſul II. cum Tito Caeſare I. proceſſit anno Aerae Chr. 70, quo Hieroſolyma capta eſt. Joſephus lib. 7. *de Bello* cap. 18, *Ea quidem* (inquit) *Hieroſolyma capta eſt, ſecundo anno Principatus Veſpaſiani, Septembris menſis octavo die*. Et Dio in Annal. *ſic Hieroſolyma die Saturni, quem diem praecipue Judaei nunc etiam adbuc colunt, exciſa fuit*. Dicto autem anno Aerae Chr. 70. litera Dominicali G. inſignito, dies Saturni, ſeu feria VII, incidit in diem octavum Septembris, quo Urbs Hieruſalem capta fuit, & exciſa, una cum Templo funditus everſo, & complanato juſſu Titi Imperatoris. Occiſo Vitellio die 20. Decembris praecedentis anni 69, Veſpaſiano *Conſulatus cum Tito filio, Praetura Domitiano, & Conſulare Imperium decernuntur*, inquit Tacitus Hiſtor. lib. IV. cap. 4. Et cap. XXXVIII. habet, *Veſpaſianum* ITERVM, *& Titum* (primum) *Conſulatum* ABSENTES *iniiſſe* (anno Chr. 70.). Dio item Xiphilini lib. 66. pag. 744. *his rebus geſtis*, inquit, (nempe interfecto Vitellio) *Veſpaſianus etiam a Senatu creatur Imperator, Tituſque & Domitianus Caeſares deſignantur: praeterea Veſpaſianus & Titus*

(ab-

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

(abſentes) *Conſularem dignitatem accipiunt* (an. Chr. 70). *Horum* ALTER IN AEGYPTO, ALTER IN PALAESTINA ERAT. „ Haec Tacitus. Titus vero fuit Conſul II. una cum Veſpaſiano Patre Auguſto IV, an. Aerae Ch. 72, quo tempore uterque Romae commorabatur. Judaea namque capta an. 70, Titus celebravit *Fratris Natale* Caeſaraeae, & circa *Natale Patris* Berythi magnificentiſſima Spectacula edidit, ac DIU ibidem *commoratus eſt*, ut habet Joſephus lib. 7. *de Bello* cap. 20. Uſſerius locum laudatum Joſephi explicat de Natali Imperii Veſpaſiani, quod die prima Julii celebrabatur. Ab eo autem menſe an. 70. Hieroſolyma nondum erat capta; & inſequenti an. 71. jam Triumphus Judaicus ante eum menſem actus. Joſephus itaque utrobique de Natali genuino loquitur. Natale Domitiani in diem 24. Octobris, Veſpaſiani vero in diem 17. Novembris incidit; ut Suetonius teſtatur. Berytho Titus Antiochiam ſe contulit, indeque iterum in Palaeſtinam, ac tandem anno Aerae Chr. Vulg. 71. oneraria nave in Italiam appulit, ut, ex eodem Joſepho lib. 7. *de Bello*, ſcribit Pagius in Critice. Qui autem Titi itinerarium a Joſepho deſcriptum examinabit, illum exeunte Aprili dicti anni 71 Romam perveniſſe, ac trium-

triumphaſſe comperiet. Oroſius addit lib. 7. cap. 6, Titum eodem an. 71. Romae commorantem una cum Veſpaſiano Patre, Janum geminum, poſt Triumphum Judaicum, ſextum clauſiſſe: *Jure* (inquit) *idem honos ultioni Paſſionis Domini impenſus eſt, qui etiam Nativitati fuerat attributus*, ut nempe Janus clauderetur. Anno quoque ſequenti 72 Titus fuit Conſul II. Quomodo ergo Ordo Spoletinorum Tabulam votivam, cum Statua ex aere Victoriae Auguſtae ſacra, conlocare potuit pro reditu Titi, ſi ipſe tunc temporis Romae commorabatur? Igitur Inſcriptio, de qua loquimur hoc num. 170, non ad Titum filium, cui Scaliger eam retulit, ſed ad Veſpaſianum Patrem ſpectare videtur; qui anno II. Conſulatus ſui, nempe Aerae Chr. Vulg. 70, Roma aberat, ut ſupra oſtendimus. Vide etiam Joannem Andream Boſium *de Pontificatu Maximo Imperatorum Romanorum* cap. 2. apud Graevium Tomo v, ubi ſolos Imperatores Auguſtos, PONTIFICES MAXIMOS fuiſſe, Caeſares vero, tantum PONTIFICES dictos oſtendit, atque hanc eandem Tabulam votivam pro reditu Veſpaſiani Auguſti (qui *quoque*, inquit, *praenomine* TITI ALIQVOTIES LEGITVR) poſitam aſſerit ab Ordine

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

(Decurionum) Spoletinorum.

171. Inſcriptio ex duabus conflata, quam edidit Muratorius *in Novo Theſauro Veter. Inſcript.* pag. 131. num. 2. Extare eam dicit Romae in Arcu Titi, juxta Eccleſiam S. Mariae Novae. Legitur quidem in Arcu Titi SENATVS. POPVLVSQVE. ROMANVS. DIVO. TITO. DIVI. VESPASIANI. F. VESPASIANO. AVGVSTO, ut in lapide; de quo loquimur: at reliqua non ad eundem Arcum, ſed ad quandam Aedem pertinent Jovi Optimo Maximo Salutari ſacram, voto ſuſcepto ab anonymo. Juppiter, *Salutaris* appellatur, quia eum ſanitatem dare putabant. Joannes Harduinus *in Nummis Antiquis Populorum & Urbium illuſtratis* p. 347. obſervat, ſæpe in Nummis, Hygiae, & Aeſculapii Numen utrumque ſignari. Sic vetus Inſcriptio apud Gruterum pag. 67. AESCVLAPIO. ET. HYGIAE. Apud Reineſium altera pag. 152. AESCVLAPIO. EPIDAVRO. D. PP. ET. SALVTI. Et pag. 156. AESCVLAPIO. ET. SANITATI. Eſt autem Salus, vel Sanitas, Latinis, quae Graecis Hygia. Idcirco autem in Nummis Aeſculapius & Hygia conjunguntur, & Aeſculapii filia Hygia eſt habita; quod Aeſculapii nomine, Jovem antiqui; Hygiae, Minervam intellexerint Jovis (ut nar-

narrant Fabulae) filiam, quam & Medicam appellarunt, Jovemque ipſum idcirco *Salutarem*; ut eſſet idem Ζεὺς Σωτὴρ, qui Σωτὴρ Ἀσκληπιὸς. Vetus Inſcriptio apud Gruterum pag. 1065. num. 5. ex Sirmondi ſchedis,

IOVI. SALVTARI
VLPIANVS
GRAVI. INFIRMITATE. LIBERATVS.

172. POMPA IVDAICI TRIVMPHI, ex Arcu Titi, de quo infra num. 174. Exhibet hoc anaglyphum Menſam auream panum propoſitionis, cum phialis thure plenis, & duabus tubis hymnodiarum: item Candelabrum ſepticeps ex auro factum. Homines innixi baculis, & lauru coronati Pompam vehunt. Bernardus Lamy *de Taber.* lib. 3. cap. 4. ſect. 3. loquens *de Candelabri aurei forma, ſitu in Sancto, & partibus ejus*, col. 386, Candelabro, *inquit*, quod deſcripſimus, haud prorſus ſimile eſt Candelabrum, quod hodie adhuc viſitur in Arcu, qui erectus fuit Tito in perenne victoriae ſuae de Judaeis monumentum. De Templi incendio ereptum vulgo creditur, ut inter Pompae Triumphalis fercula portaretur. Plurima illa erant, *eminebant autem*, ut narrat Joſephus lib. 7. *de Bello Judaico* c. 7, *ea, quae apud Hieroſolymam in Templo reperta ſunt, Menſa aurea, ponderis talenti magni,*

& *Candelabrum*. Sic loquitur interpres Latinus Joſephi, juxta quem, in Templo reperta Menſa aurea, repertum Candelabrum. Sed an Joſephus dicat id, laudatus Lamyus expendit, & recitato Graeco Hiſtorici loco, verbum, inquit, ἐγκαταληφθέντα, a verbo λαμβάνω *accipio* derivatum, ſignificat quidem intus accepta dicta ſpolia: ſed, ſi legamus ἐγκαταλειφθέντα a verbo λείπω *relinquo*, alius ſenſus eſt, nempe haec derelicta fuiſſe in ipſo Templo: non ergo, ut cetera aſportata, ſed tantum praelatam in Pompa imaginem eorum. Non fuerant ſubducta incendio, quo Templum abſumptum eſt. Supellex, licet aurea, non potuit flammis reſiſtere, & ſervare formam ſuam. Hinc factum eſt, ut artifices Romani pro libitu, ad decorandam Pompam Judææ captæ, ita conflaverint imaginem Candelabri, quod in Arcu Titi cernitur, ut inde nullum adverſus Lamyi deſcriptionem, ex ſacris Scripturis petitam, duci poſſit argumentum. Joſephus ſic Candelabrum deſcribit: *Candelabrum ſimiliter quidem auro factum, ſed opere commutato ob uſus noſtri conſuetudine. Nam media quidem columna baſi haerebat; tenues autem ab ea cannulae producebantur, formatae ad ſimilitudinem fuſcinae, ad ſummum quaeque in lychni ſpeciem fabricatae. Erant autem numero ſeptem,*

ptem, ſeptimi diei, qui apud Judaeos eſt, indicantes honorem. Menſa, ſupra quam proponebantur coram Deo panes, qui idcirco *propoſitionis* dicuntur, erat *de lignis ſetim* (Exod. cap. 25. verſ. 23.), ſed auro puro obtecta; cui adjiciebantur quatuor pedes; quorum formam deſcribit idem Joſephus *Antiq*. lib.3.c.7. *In Templo autem*, inquit, *Moſes collocavit Menſam Delphicis non abſimilem, longitudine duorum cubitorum, latitudine unius, altitudine palmorum trium. Eam ſuſtinebant pedes dimidia ſui parte inferiore per omnia pedibus ſimiles, quales lectis Dorienſes addere ſolent. Sed ſuperne quadrangulares erant*. Circuli autem, ſive annuli aurei inerant menſae, per quos immitebantur vectes, ſive manubria. Pedes, qui menſae ſubjiciebantur, in acutum deſinebant, perinde ac lectorum Dorienſium, ut aſſerit Joſephus. Menſa vero dum portaretur, ſicut & alia pleraque, erat humeris miniſtrorum elata: alioqui, ſi dimiſſis, ut fieri ſolet, brachiis tranſlata, attigiſſet terram. Exodi cap. 25. verſ. 29. *Parabis & acetbabula, ac phialas, thuribula, ac cyathos, in quibus offerenda ſunt libamina, ex auro puriſſimo*. Haec quatuor nomina, *acetbabula, phialae, thuribula, cyathi*, indicant quatuor res diverſas,

quae

quae apponebantur ſuper menſam. Joſephus tantum memorat duas phialas: *ſuper panes autem ponebantur duae phialae aureae thure plenae*. Una cernitur in menſa Arcus Titi.

173. IMPERATORIS TITI IVDAICVS TRIVMPHVS, in ejus Arcu. Heic Imperator Titus exhibetur triumphans in thenſa rotunda, cui junctae ſunt equorum quadrigae. Victoria a tergo, ejus capiti lauream coronam imponit. Ipſe dextera manu baculum, ſiniſtra volumen tenet. Urbs Roma cum galea & haſta, eodemque cultu atque veſtitu, quo ſaepe in marmoribus occurrit, quadrigarum equum tenet habenis. Circa currum hinc inde lictores, & milites laureati. Plutarchus teſtatur, Tarquinium Priſcum quadrigis equorum Romae primitus triumphaſſe. Etenim, cum bello difficili duodecim Tuſciae Gentes in poteſtatem Populi Romani redegiſſet, *inde*, inquit Florus lib. I. cap. 5., *faſces, trabeae, curules, annuli, phalerae, paludamenta, praetexta: inde, quod aureo curru quatuor equis triumphatur: togae pictae, tunicaeque palmatae, omnia denique decora & inſignia, quibus Imperii dignitas eminet*. Ubi Romanum Imperium late per Orbem arma circumtulit, & ditiſſimas Provincias in Capito-

pitolii jura tranſcripſit, Triumphorum Pompa ſumptuoſiſſima evaſit; & plane humanum modum praetergreſſa, omnem prorſus formam exuit priſcae tenuitatis. Hinc a quadriugibus alborum equorum, qui Numinum quadrigis deputati erant, nova Triumphis pompa quaeſita. Zonaras lib. III, deſcribens formam currus Triumphalis, ait: *Currus non erat ſimilis ei, cujus uſus eſt in certaminibus ludicris, nec cujus uſus in Bello, ſed rotunda figura, inſtar turriculae conſtructus.* Hoc ipſum, ex quadrigis Triumphalibus Arcus, de quo loquimur, atque ex Nummis eiuſdem Titi, aliorumque Auguſtorum, Triumphali curru ornatis, erudite demonſtrat Panvinius in libro *de Triumph.* Currus erat duarum rotarum, cujus, ut dictum, capſa rotunda, ac in ambitum clauſa; in qua Imperator non quidem ſedens, ſed ſtans vehebatur: unde Ovidius lib. 3. *de Ponto* Eleg. 4.

Illa Ducis facies in Curru ſtantis eburno.

Prudentius quoque lib. 2. *in Symmachum* verſ. 555 Triumphatores in curru ſtantes deſcribit:

Fruſtra igitur Currus ſummo miramur in Arcu
Quadriugos, ſtanteſque Duces in Curribus altis.

In

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

In omnibus denique Nummorum Quadrigis, Triumphantes Caeſares, ſtantes exhibentur, nequaquam ſedentes.

174. ARCVS TITI in Foro Boario e regione Amphiteatri. Eſt antiquiſſimus omnium, qui ſuperſint, minorque aliis titulo Triumphantium inſignitis. Ejus Inſcriptio ſic habet,

SENATVS. POPVLVSQVE. ROMANVS
DIVO. TITO. DIVI. VESPASIANI. F.
VESPASIANO. AVGVSTO.

Alterum in altera fronte (quae Forum Boarium reſpicit) titulum vetuſtas ſubmovit. Exhibet actum de Judaea capta Triumphum: ſed a Senatu PopuloqueRomano Imperatori Tito poſt ejus mortem & Conſecrationem erectus eſt, ut, praeter DIVI Titulum, Veſpaſiano Patri, & ipſi Tito filio ibi attributum, indicat quoque imago ejuſdem Titi in medio fornice ſcalpta, quam Aquila in caelum vehit, ſymbolum certum Apotheoſeos. Nam, ut eſt apud Herodianum lib. IV. cap. 3. §. 20, ſimul ac rogo ſubjicerent ignem inConſecratione, Aquila ſoluta e rogo, petebat aethera, atque ita in caelum animam Imperatoris deferre credebatur. Idem a Dione traditum

lib. 56.

lib. 56. p. 598. ubi de funere agit Auguſti. Ac propterea in Nummis veteribus (de quibus ſupra in hoc Indiculo) cernas ex parte una effigiem Imperatoris, ex altera Aquilam, cui inſidet Imperator: & Inſcriptio, ut plurimum, habet ita, CONSECRATIO S.C. Euſebius *Hiſt. Eccl.* lib. 2. ſcribit : *cum lex vetus obtineret, neminem Romae conſecrari, niſi calculo & Decreto Senatus &c.* De titulo Divi nunquam Imperatoribus adhuc viventibus tributo, diximus ſupra num. 145. Tacitus *Annal.* lib. xv. cap. 74. *reperio*, inquit, *in Commentariis Senatus, Cerealem Anicium Conſulem deſignatum pro ſententia dixiſſe, ut Templum Divo Neroni quammaturrime publica pecunia poneretur. Quod quidem ille decernebat, tanquam mortale faſtigium egreſſo, & venerationem hominum merito; quod ad omnia olim ſui exitus verteretur. Nam* DIVI *honor Principi non ante habetur, quam agere inter homines deſierit.* Et Plinius in Panegyr. cap. 11. num. 1: *Dicavit caelo* (inquit) &c *Veſpaſianum Titus, Domitianus Titum: ille, ut Dei filius, hic ut frater videretur.* Sed ad Arcum redeamus. Per totum epyſtilium Orientalis frontis, paucis quidem figuris, victimarios, flamines, araſque deſignat; ferculum item, cum imagine Geneſar,

Digitized by Google

vel Jordanis fluminis accumbentis. Tabulae ſub fornice utrinque, hae ſunt. Titus in Triumphali quadriga: a tergo, Victoria Idumaeam palmam altera gerit manu, alteraque ſuper ejus caput lauream ſuſtinet. Roma ipſa, haſta galeaque inſignis, equorum regit habenas. Incedunt Magiſtratus laureati ramos ferentes, lictoreſque duodecim. Titus cum Patre triumphavit. Sed ſolus filius heic adſpicitur in curru: quod item Arcum erectum fuiſſe poſt ejus mortem probat. In oppoſita Tabula cernitur Triumphi Pompa, atque, inter laureatos Arcum ingredientes, duo praecipue fercula, cum Menſa aurea, & ſeptiluſtre Candelabro. Vide Joſephum *de Bello Judaico* lib. 7. cap. 37, Fabricium *in Deſcript. Urbis Romae* cap. 14. apud Graevium Tom. III. pag. 519, Boiſſardum *Topographiae Urbis Romae* Tom. I. pag. 29, Franciſcum Modium *de Triumphis Veterum* lib. I. cap. 29, Faunum *Antiq. Urbis Rom.* lib. 2. cap. 19, Alexandrum Donatum *de Urbe Roma* lib. 3. cap. 4. pag. 202, Marlianum *de Urbis Romae Topograph.* lib. III. apud Graevium Tom. III. pag. 173, Librum Romanae Chalcographiae, qui inſcribitur *Veteres Arcus Auguſtorum*, Ciampinum *Veter. Monumentor.* Tom. II. pag. 162, & Clariſſimum Montfau-

co-

conium *Antiquit. Expliq.* Tom. iv. Parte I. pag. 162.

175. PROTOME ARRICIDIAE TERTVLLAE *primae Uxoris Titi*, ex Muſeo Parmenſi. Cum privata fortuna Titus uteretur, nupſit Arricidiae filiae Tertulli Equitis Romani, & quondam Praefecti Praetorianarum Cohortium, de qua Suetonius in eodem *Tito*. Hac vita functa abſque liberis, alteram matrimonio ſibi Titus junxit, nempe Martiam Furnillam; quam poſtea repudiavit, ſuſcepta tamen ex ea prius Julia, cujus effigies ex marmore extat in Muſeo Capitolino, ſimilis prorſus illi, quae cernitur in Nummis apud Patinum *Imp. Num.* pag. 116, Patarolum *in Serie Auguſt.* num. xi., & Vaillant. *Num. Imp. Rom.* Tom. I. p. 38. Haec Julia nupſit Sabino, fuitque a Domitiano occulte corrupta. Sed, defuncto marito, idem Domitianus eam impudentius adamavit, & tanquam pro uxore habuit, ut affirmant Philoſtratus *in Vita Apollonii* lib. 7. cap. 3., & Xiphilinus *in Epit. Dion.* lib. 66. p. 746. ac lib. 67. p. 760. Vide ſupra noſtrum Indiculum num. 158, & Doctiſſimum Praeſulem Bottarium *in Adnotationibus in Tomum II. Muſei Capitolini* pag. 23. num. xxiv. ubi, cauſam narrans miſeri Juliae interitus, quod nempe Domitia-

tianus eam coegerit conceptum a ſe abigere, recitat Juvenalem dicentem Satyra II. v. 31.

Quum tot abortivis foecundam Juliae vulvam
Solveret, & patruo ſimiles effunderet offas.

Plinius junior quoque lib. 4. Epiſt. XI. idem confirmat.

176. Nummus Domitiani, cum epigraphe in antica, quam heic exhibemus, IMP. CAES. DOMIT. AVG. GERM. COS. XIIII. CENS. PERP. P. P. *Caput Domitiani laureatum*. In poſtica vero legitur IOVI VICTORI, *qui dextra victoriam, & ſiniſtra haſtam tenet*. Exſtat apud Angelonum pag. 98. num. 1, & Muſellium Tom. I. Tab. 49. num. 4, ac Tom. III. pag. 97. Domitianus Aug. iniit Conſulatum XIV. una cum L. Minucio Rufo anno Aerae Chr. Vulg. 88. teſte Cenſorino *de die Natali*, qui cap. 17. ſcribens de Ludis Saecularibus ſub eodem Domitiano celebratis, ait: *Septimos* (egit) *Domitianus, ſe XIV. & L. Minucio Rufo Coſs. anno Urbis* DCCCXLI. Card. Noriſius *in Epiſtola Conſulari* pag. 165 ait, *mihi pene certa ſententia eſt, anno* 88. (quo cuſus eſt Nummus, de quo agimus, habetque GERM*anici* titulum) *Domitianum alterum Triumphum de Germa-*

manis duxiſſe: ac proinde bellum anno 87. *geſtum arbitror*. Tum pag. 175. ex variis ejuſdem Domitiani Nummis annis Chr. 88. & 89. cuſis, in quibus Imperatoris Titulus ſaepius iteratur, colligit, eum ob victorias de Dacis reportatas illos Titulos obtinuiſſe. Porro Domitianum an. 88, quo fuit Conſul *decimumquartum*, Dacos iterum viciſſe, multis probat etiam celeberrimus Guillelmus Loydius in omni antiquitate tam Graeca, quam Latina exercitatiſſimus, ut videre licet apud Pagium ad eundem annum 88. nu. VII. qui tamen & Noriſio, & Loydio adverſatur. Domitianus dicitur *Cenſor* PERPETVVS in noſtro Nummo, quia ob expeditiones bellicas, quas habuit, praeſertim adverſus Sarmatas, Cattos, Dacoſque, ut narrat Eutropius lib. 7, (quamvis ipſe bellum nulla ex parte attigerit, miſſis tantum Ducibus ad illud gerendum, ut diximus, cum Xiphilino loquentes de hoc Bello Dacico magno ac diuturno. Quare & ab Oroſio lib. 7. Hiſtoriae ſcriptum, *Bellum adverſus Germanos, & Dacos per Legatos geſſit*: quod item teſtatur Dio lib. 67.), obque inſignes Victorias, quas jactabat, ut teſtatur Zonaras in Domitiano, *Cenſuram per omnem aetatem accepit*. Quod aliis verbis explicat laudatus Xiphilinus, Breviator Dionis: *adeo ſtul-*

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

ſtulte elatus eſt,& inſolenter, ut Conſul decem annos perpetuos, & Cenſor quandiu viveret, primus ſoluſque ex privatis civibus, atque Imperatoribus deſignatus ſit. Anno ergo 88. quo, ut diximus, Domitianus fuit Conſul XIV, bellum Civile in Germania profligatum eſt: quare in poſtica Nummi, quem heic illuſtramus, legitur IOVI VICTORI. Suetonius *in Domitiano* cap. 6. ſcribit: *Bellum Civile, motum a Lucio Antonio Superioris Germaniae Praeſide, confecit abſens, felicitate mira; cum ipſa dimicationis hora reſolutus repente Rhenus, tranſituras ad Antonium copias Barbarorum inhibuiſſet*. Mediobarbus ad rem noſtram exhibet alium Domitiani Nummum, in cujus antica legitur, IMP. CAES. DOMIT. GERM. COS. XIIII. CENS. PERP. (ut in noſtro); in poſtica vero, RHENVS. S.C. Cum autem in tot Nummis ejuſdem Imperatoris a laudato Mediobarbo relatis nulla *Rheni* mentio, praeter quam in iſto, anno 88, ſeu Conſulatu XIIII Domitiani Imperatoris, occurrat; utrumque, ob ſecundam Victoriam de Germanis partam, eodem anno cuſum fuiſſe mihi pro certo eſt; noſtrumque ea de cauſa IOVI VICTORI a DomitianoConſule XIIII. dedicatum. Domitianus enim, ut tradit laudatus Suetonius In ejus Vita cap. 5. (rei ta-

tamen geſtae anno non expreſſo), *novam excitavit Aedem in Capitolio Cuſtodi Jovi*. Et in ejuſdem Jovis honorem Quinquennale certamen inſtituere voluit.

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

177. ARCVS ERECTVS DOMITIANO, ex ejus Nummo apud Angelonum p.99. num. 27. & ex libro Chalcographiae Romanae, inſcripto *Veteres Arcus Auguſtorum*, pag.52. num.9. Arcus ingens & magnificentiſſimus Domitiano, ob commoda Viae Domitianae (quam deſcribunt ex recentioribus Panvinius *Deſcript. Urbis Rom.* apud Graevium To.III.p.256,& eruditiſſimus Pratillus in libro,cui fecit titulum, DELLA VIA APPIA)ab illo apertae, ad Appiae & Domitianae viae coitionem, a S. P. Q. R. dedicatus eſt. Hunc iridi ſeu arcui caeleſti ob pulchritudinem comparat Statius *Sylvarum* l. 1 v.3.v.97. & ſeqq. vel etiam ob tres fornices,quos noſter Nummus exhibet. Suetonius in Domitiano c. 6.ait: *Expeditiones partim ſponte ſuſcepit, partim neceſſario: ſponte in Cattos, neceſſario unam in Sarmatas .. In Dacos, duas: primam Oppio Sabino Conſulari oppreſſo; ſecundam Cornelio Fuſco Praefecto Cohortium Pratorianarum. De Cattis, Daciſque poſt varia praelia duplicem Triumphum egit*. Ob prius bellum (inquit Pagius in Critice ad annum 85. num.I.),

num.I.), quia ſponte ſuſceptum, ſeſe *Conſulem Decimum* (an. 84.) deſignavit. Quo abſoluto, Conſul XI. proceſſit anno LXXXV Aerae Chr. Vulg., eumque ad triumphandum deſignavit, licet *hoſte nuſquam viſo*, ut inquit Dio lib. 67. ubi ait: *Domitianus profectus in Germaniam cum exercitu, hoſte nuſquam viſo, revertit*. Imperatores enim Conſulatus aliis deſtinatos, in ſe quandoque tranſtuliſſe, certum. Interim prius bellum Dacicum, quod Sabino Conſulari commiſſum fuerat, anno Chriſti 85 confectum fuiſſe, & Domitianum de Cattis, Daciſque primum Triumphum exhibuiſſe, liquet ex Nummis apud Mediobarbum. In uno legitur IMP. CAES. DOMIT. AVG. GERM. COS. XI. (an. Chr. 85.) CENS. PER. P. P. & in averſa parte GERMANIA CAPTA S. C. Cernitur Germania ſedens, captivae habitu. Repraeſentat aliud Numiſma Mediobarbus, item Conſulatu XI. Domitiani notatum, in cujus poſtica legitur ADVENT. AVGVSTI S. C. Imperator dexteram porrigit Romae paludatae globum tenenti; quod Mediobarbus refert ad reditum Domitiani ex Germania poſt Dacos debellatos. Forte ergo in extrema Via, quae Lata dicitur, ad Portam, Domitiano erectus Arcus iſte fuit, haud procul a *Ma-*

Digitized by Google

Macello (ut ajunt) *Corvorum* ; prope quem Arcum , egregium & magnificentiſſimum Fortunae Reducis Templum conditum fuiſſe, indicat Martialis lib. VIII. Epig. 65. 1, & ſeq. ubi , cum Domitianum illic in Triumphantis modum e Germania revertentem magno omnium applauſu exceptum dixiſſet , Arcum ibidem ſtructum deſcribit , atque ſubjungit ,

Hic ubi Fortunae Reducis fulgentia late
Templa nitent , felix area nuper erat .
Hic ſtetit Arctoi formoſus pulvere belli
Purpureum fundens Caeſar ab ore jubar .
Hic lauro redimita comas , & candida cultu
Roma ſalutavit voce , manuque , Ducem .

Arcum alicubi extra Urbem fuiſſe aſſerit etiam Donatus, & ut mihi quidem videtur, ad Portam Viae Latae: tum quod illa Via Arcubus abundavit : tum quod laudatus Martialis eadem Via expectatum Domitiani Victoris felicem adventum dicat lib. x. 6. Vide Nardinum *Rom. Veter.* lib. IV. cap. 10.

178. Signum cum baſi *Jovi Optimo Maximo* ſacrum , pro ſalute (*Domitiani*) Auguſti

Kkkkkkkk Ger.

INDICULUS TABULAE III SAECULI I. Germanici, voto ſuſcepto a D. Veturio Antigono, D. Veturio Spurii filio Philone, &D. Veturio Albano patre, cum filiis ſuis. *Germanici* cognomen multi aſſumpſere Imperatores poſt Neronem Claudium Druſum, inter quos Domitianus Auguſtus, ut adnotarunt Urſatus *de Notis Roman.* in Theſauro Antiquit. Roman. apud Graevium Tomo XI. pag. 732, & Malvaſia *Marm. Felſin.* ſect. 3. cap. 4. Quo autem tempore illud cognomen aſſumpſerit, expendit Liebe *in Gotha Nummaria* p. 251. ubi illuſtrat Nummum, in quo Capiti Domitiani addita eſt Inſcriptio: *Imp. Caeſ. Domitian. Aug. Germanicus*. Averſam Nummi paginam Victoria occupat, dextra coronam protendens, ſiniſtra palmam tenens humero impoſitam, cum adſcriptis verbis, P. M. TR. POT. IIII. IMP. VIII. COS. XI. P. P. Pertinet autem, inquit, hic Nummus ad annum U. C. 838, cui priorem de Germanis Triumphum aſſignat Mediobarbus, & Pagius. *Bis enim, ut obſervat Cl. Vaillantius, de Germanis triumphavit Domitianus, ſi fides Suetonio*: poſt autem duos Triumphos, cognomen Germanici ſibi aſſumpſit. *At vero (addit idem Vaill.) licet ille poſt priorem, Germanici nomen acceperit; nulla in Nummis ejus de ipſo Triumpho memoria: omnes in ſecundo per-*

percuſſi occurrunt. Ubi facile largior, in Nummis non reperiri adhuc manifeſtum prioris Triumphi indicium, niſi admittatur is, quem ex Patino citat Mediobarbus, cujus in adverſa, IMP. CAES. DOMITIAN. AUG. GERM. COS. XI. & in averſa parte, quadrigae cum Inſcriptione, GERMANICVS; ubi utique, rectene hae paginae jungantur, non ſatis liquet. Sed vero quod ait, poſt priorem demum Triumphum Germanici nomen accepiſſe, id, quo pacto affirmare poſſit, neſcio. Prior enim Triumphus actus a Domitiano COS. XI. anno Urbis 838. ut vidimus: at hunc titulum Germanici Domitiano Conſuli X. negari non poſſe, pridem Scaliger ad Euſebium obſervavit: *Nullus*, inquit, *Nummus (Domitiani) extat, nullum monimentum, in quo Dacici cognomen ſit. At Germanicus ſaepiſſime in ejus Nummis legitur: quod cognomen non habet, niſi jam Conſul decies*. Sequitur Scaligerum Cl. Piovenius, cui Pedruſianae telae pertexendae provinciam ex merito, nec ſine applauſu Reipublicae Literariae, mandavit Sereniſſimus Dux Parmenſium Franciſcus I. Sed jam eo ipſo anno, quo Titus frater deceſſit, id ſibi nominis arrogavit Domitianus, ut qui jam antea, teſte Suetonio, *expeditionem in*

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

Galliam, Germaniaſque .... inchoarat: quod cum factum eſſet, tantum ut fratri ſe, & operibus, & dignatione adaequaret, ob haec & correptum eum idem Suetonius docet. Teſtes Nummi apud Mediobarbum haud uni: unde ille ad annum Urbis 834, quo Tito fratri ſucceſſit Domitianus, notavit, *Germanicus in Nummis ſcribitur*. Ceterum quam placuerit ſibi veſanus Imperator hoc titulo, vel inde patet, quod ut Octobrem menſem, quo natus erat, *Domitianum*, ita Septembrem, quo Imperium ſuſceperat, *Germanicum* voluit appellari. Unde Statius ſeptimum decimum Domitiani Conſulatum celebrare agreſſus,

> ....*nondum omnis honorem*
> *Annus habet, cupiuntque decem tua nomina menſes*.

Atque idem in praefationibus Silvarum haud ſemel eum uno Germanici nomine appellat: *Larinus*, inquit, *Germanici noſtri Libertus*: & de eo carmine, unde ſuperiora deſumpta ſunt, *ſeptimumdecimum Germanici noſtri Conſulatum adoravi*. Neque in diverſum abit Martialis variis in locis, qui in praefatione Libri octavi Domitianum Germanicum, Dacicum appellat; ubi, an reapſe & Dacici cognomen geſſerit, quaerunt Viri docti. Affirmando reſpondent Scaliger ad Euſebium, Pa-

Pagius, & Cl. Piovenius, provocantes ad hanc ipſam Martialis praefationem, atque ad Juvenalis Satyram ſextam, ubi ille:

Quod prima pro nocte datur: cum lance beata
Dacicus, & ſcripto radiat Germanicus auro.

Heic, quod ad Martialem attinet, rem equidem ſuo loco relinquo; tametſi utique ſuſpicari fortaſſe non ſine ratione liceat, vocem Dacici in praefationem eam aliunde irrepſiſſe. Secus enim, qui toties Germanicum appellat in carminibus ſuis Domitianum, in iiſdem & aliquando Dacicum ſalutaſſet, certe cognominis ejus rationem eo loco aliquam habuiſſet, quo de Germanici cognomine ex inſtituto agit. Ita enim ibi Poeta lib. 2. ep. 2.

Creta dedit magnum, majus dedit Africa nomen,
Scipio quod Victor, quodque Metellus habet.
Nobilius domito tribuit Germania Rheno;
Et puer hoc dignus NOMINE, *Caeſar, eras.*
Frater Idumaeos meruit cum patre Triumphos:
Quae datur ex Dacis laurea, tota tua eſt.

Co-

Cognomen Germanici his verbis celebrat Martialis, idque nobilius cognominibus Cretici, & Africani appellat.„ Huc uſque Liebe. Vide tamen quae nos ſcripſimus in hoc Indiculo n. 176. & 177. Gens Veturia (de qua lapis, quem illuſtramus) fuit Patricia, ut ex Hiſtoricis conſtat. Eam Regibus adhuc regnantibus Romae domicilium habuiſſe, vel ex eo intelligi poteſt, quod Veturius Mamurius ancilium opifex ſub Numa Rege vixit. Lege Urſinum, & Patinum *de Familiis Romanis* in Veturia, & Glandorpium *Onom. Rom.* pag. 896. Literam D., in noſtri Signi Inſcriptione tribus vicibus repetitam, multos eſſe animadverti, qui *Decium* interpretantur. Quem notum quidem errorem, ſed errorem tamen, Pitiſcus in Lexico tollit. Nam praeterquamquod *Decius* eſt Gentis nomen, Graecorum etiam monumenta ſatis indicant, quoties in libris Latinis, aut in lapidibus D., loco praenominis ſcriptum eſt, *Decimum* eſſe exponendum; quia Δέκιμον plerumque habent, non Δέκιον, ut animadvertunt Sigonius *de Nom. Rom.* cap. 3. Emend. II. 24, Robort. Annot. I. 33, & Urſatus *de Notis Roman.* in Theſauro Antiq. Rom. Graevii Tom. XI. pag. 671. De *Jove* cognominato *Optimo Maximo*, vide ſupra in Indiculo

lo

lo hujus Tabulae num. 113. In prima Gruteri Editione pag. xii. hoc Signum, de quo loquimur, dicitur Romae extare in Vinea Cardinalis Carpenſis. Sedet ſuperne Juppiter inter boves duos, uſque ad umbilicum nudus, ſed ſuperiore parte mutilus. Subſequitur Inſcriptio, quam illuſtramus, quamque ita Gruterus edidit pag. 12. num. 2. abſque ſuperpoſito Jovis ſimulacro:

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

I. O. M. SACR.
VOTO. SVSCEPT. PRO SALVTE

. . . .

. . . .

AVG. GERMANICI
PONTIFICIS. MAXIMI. TR. POT.
D. VETVRIVS. ANTIGONVS
D. VETVRIVS. SP. F. PHILO
D. VETVRIVS. ALBANVS
PATER. CVM. FILIS (*ſic*) *. POSVIT

* Boiſſardus, FILIIS.

Noſter iconiſmus Signi, Jovi O.M. ſacri, in hac Tabula ex aere inciſus, ſuptus eſt ex Boiſſardo *Antiq.* To. iv. p. 94. In ſecunda quoque Gruteri Editione comparet, & ad marginem Inſcriptionis adnotatur, FVIT IMPERATORIS DOMITIANI CAES. *Alexander de Nigris apud Malvaſiam* Marmor. Felſin. pag. 136. *ita ſupplet*, IMP. C. CAESA-

SARIS DIVI AVGVSTI PRONEPOTIS. Sed egregie fallitur Niger. Deeſt in lapide Domitiani nomen, quoniam e ſaxis eradi juſſum, in odium immanis belluae. *Flagrabant* (inquit Dio in Nerva) *odio in Domitianum Cives: quare Statuae omnes tum aureae, tum argenteae in illius honorem conſtitutae, ſubito in maſſam conflatae fuerunt. Arcus praeterea, in ejuſdem unius titulum & nomen ſubſtructi, evertuntur*. Et Macrobius *Saturnalium* lib. I. cap. 12. ſcribit: *Octobrem ſuo nomine Domitianus invaſerat: ſed, uti infauſtum vocabulum, ex omni aere, vel ſaxo placuit eradi: menſis quoque uſurpatione tyrannicae appellationis exutus eſt*. Petrus Berthaldus de *Ara* apud Graevium Tom. VI. pag. 343. inquit: Domitianus, ut eſt apud Tacitum lib. III. *Hiſtoriarum*, ſervatus quaſi miraculo a Vitellianorum irruptione, Templum, & Aram, in periculi, quod evaſerat, argumentum, extruxit. Sic Tacitus: *Ac potiente rerum patre, disjecto Aeditui contubernio, modicum Sacellum* IOVI CONSERVATORI, ARAMQVE *fecit, & caſus ſuos in marmore expreſſit: mox Imperium adeptus*, IOVI CVSTODI *Templum ingens, ſeque in ſinu ſacravit*. Inſignis eſt illa Ara Graecis literis concepta, quae refertur a Goltzio in Inſcriptionibus. 179. PRO-

179. PROTOME DOMITIANI, ex marmore Capitolino, quem Suetonius ita deſcribit in ejus Vita cap. 18. *Domitianus ſtatura fuit procera, vultu modeſto, ruboriſque pleno, grandibus oculis, verum acie hebetiore: praeterea pulcher, ac decens, maxime in juventa; & quidem toto corpore, exceptis pedibus, quorum digitos reſtrictiores habebat: poſtea calvitio quoque deformis, & obeſitate ventris, & crurum gracilitate, quae tamen ex valetudine remarcuerant*. Calvitium, de quo Suetonius loquitur, memorat etiam Juvenalis Satyra IV. verſ. 37.

Cum jam ſemianimum laceraret FLAVIUS *Orbem*
Ultimus, & calvo ſerviret Roma Neroni.

Cui item Auſonius (*Caeſ. Monoſt.*) concinit,

Et Titus Imperii felix brevitate, ſecutus
Frater, quem calvum dixit ſua Roma Neronem.

Scalptor marmoris, quod illuſtramus, ut animadvertit Cl. Praeſul Bottarius *in Adnotationibus in Tomum II. Muſei Capitolini* p. 24. Domitianum calvum non finxit, vel ob juventam, quam praefert, vel (quod magis veroſimile eſt) artificis timore, ne Imperarore

re offenſo, ipſe poenas lueret: nam, depilatum caput, quantum poterat, occultabat; &, ſi quis alius, ad iram procurrebat ob hoc innoxium naturae vitium. Scribit enim Suetonius: *calvitio ita offendebatur, ut in contumeliam ſuam traheret, ſi cui alii joco, vel jurgio objectaretur; quamvis libello, quem de cura capillorum ad amicum edidit, hoc etiam, ſimul illum, ſeque conſolans, inſeruerit,*

Οὐχ' ὁράας οἷος κἀγὼ καλός τε μέγας τε:

eadem me tamen manent capillorum fata, & forti animo fero comam in adoleſcentia ſeneſcentem. Scias nec gratius quidquam decore, nec brevius. Externa vultus delineamenta, ignotique adhuc truculentiſſimi hominis mores, Senatui Populoque Romano impoſuerunt, teſte Tacitò Hiſtoriae lib. 4. cap. 4. ubi ait: *Quo die Senatum ingreſſus eſt Domitianus, de abſentia patris, fratriſque, ac juventa ſua, pauca & modica diſſeruit: decorus habitu, & ignotis adhuc moribus: crebra oris confuſio pro modeſtia accipiebatur.*

180. Nummus Domitiani, cum epigraphe in antica CAES. DIVI AVG. VESP. DOMITIANVS. *Caput Domitiani laureatum*: in poſtica vero legitur, COS. XIIII. LVD. SAEC. FEC. S. C. *Imperator togatus ſtans,*

ſtans, ſubſequente alia figura pariter togata, & praeeuntibus tribus puellis, quae, elata dextra, palmae ramum gerunt. Ex Carmine Saeculari Horatii (quod in Ludis Saecularibus ab Auguſto editis an. U. C. 737. cecinit, ac etiamnum ſupereſt), & ex Valerio Maximo, ac Zoſimo lux affulget hujus Numiſmatis typo, in quo exhibentur ſupplicationes, quas, ad expianda (ut ajebant) Urbis flagitia, & ad ineundam gratiam, petendamque opem a confictis Numinibus, Ethnici peragebant. Tempus illud, *ſacrum* vocat Horatius, Diiſque dedicatum:

Phoebe, ſilvarumque potens Diana,
Lucidum caeli ſidus, o colendi
Semper, & culti, date quae precamur
Tempore caſto.
Quo Sibyllini monuere verſus
Virgines lectas, puerosque caſtos,
Di, quibus ſeptem placuere colles,
Dicere Carmen.

Narrat Zoſimus lib. 2. delectos pueros, puellaſque, parente utroque ſuperſtite (patrimos matrimoſque dictos), eoſque arcano numero ter novem, hymnos, paeanaſque die Ludorum tertio in Palatina Apollinis Aede, cum Graeca, tum Romana lingua ceciniſſe, quo impendentia mala ab Urbe averrunca-

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

rent. Quanta autem religione haec peragerentur, oſtendit Nummus, quem illuſtramus, & memoratum Horatii Carmen longe cultiſſimum, ex quo non pauca ad rem noſtram ſcitu digna erui poſſunt, trinoctia praeſertim; atque pervigilationes

Ter die claro, totieſque grata
Nocte frequentes.

Ubi Ludorum tempus appetebat (inquit laudatus Zoſimus lib. 2.), *quod tribus diebus, totidemque noctibus in Campo Martio faciunt, hoſtiae propter ripam Tiberis ad Terentum Diis conſecrantur &c.* En Trinoctium illud (ad quod Nummus reſpicit), maxima ſuperſtitione Superum, Inferorumque Deorum ſacrificiis contaminatum, & Ludos Terentinos, Auſonio, ceteriſque dictos a loco,

Trina Terentino celebrata Trinoctia ludo.

Onuphrius Panvinius *de Ludis Saecularibus* apud Graevium Tom. IX. pag. 1090. hanc Domitiani refert Inſcriptionem,

IMP. CAESAR. DIVI
VESPASIANI. FIL
FLAV. DOMITIANVS. AVGVST
GERMANICVS. PONTIFEX
MAXIMVS. TRIBVNIC. POTEST
VIII.

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

VIII. IMP.XIIII. COS.XIV.
CENSOR. PERP. P.P.
LVDOS. SAECVLARES
EX. S.C. FECIT
ANNO. POST. URBEM. COND.
DCCCCXLI.
IMP. CAESARE. DIVI. VESP. F.
FL. DOMITIANO. AVGVSTO
GERMANICO. XIIII.) COS.
L. MINVCIO RVFO)

Card. Noriſius in *Epiſt. Conſulari* Tom. 2. pag. 1029. inquit: „ Annus 88. habuit Conſulem Domitianum XIIII. Proſtant Nummi ejuſdem inſcripti, IMP. CAES. DOMIT. AVG. GERM. TR. P. VIII. & in poſtica, COS. XIIII. LVD. SAEC. FEC. S. C. Ex his autem laudatus eruditiſſimus Panvinius optime collegit, Domitianum non edidiſſe eos Ludos ante Idus Septembres An. Chriſti 88., quia ea tantum die Tribunicia Poteſtas VIII in Nummis obſignata, eidem inchoabatur. At Domitianus ante aliquot menſes abdicaverat Conſulatum, quem nunquam geſſit *ultra Kalendas Maji*, teſte Suetonio cap. 13. Itaque nec Domitianus *Conſulari munere fungens* eos Ludos dedit. Pagius in Critice ad eundem ann. 88. Aerae Chr. Vulg. *ſumptus eſt*

(in-

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

(inquit) *a Domitiano Conſulatus* XIV , *collega L. Minucio Rufo , juxta ſextam Conſulatuum Caeſareorum regulam , propter nempe Ludos Saeculares . Nam , ut ſcribit Cenſorinus in libro* de die Natali *cap.* 17, Septimos (*nempe Saeculares Ludos*) Domitianus celebravit, ſe XIV. & L. Minucio Conſulibus, anno (*nempe Urbis Conditae*) DCCCXLI. *Quare Ludorum Saecularium rationem a Claudio inſtitutam contempſit*: fecit & Ludos Saeculares, *inquit Suetonius in Domitiano cap.* 4, computata ratione temporum ab anno, non quo Claudius proxime, ſed quo olim Auguſtus ediderat: *quamquam nec hoc tempus recte obſervavit, cum ſex anni adhuc deſint. Cenſores quidem apud Card. Noriſium in* Epiſt. Conſul. pag. 167. & ſeqq. *Canonem de aſſumpto ab Imperatoribus Conſulatu ob Saeculares Ludos a me ſtatutum, ludicrum putant; quod Auguſtus Ludos quintos Saeculares, privatis Conſulibus, annum in Faſtis ſignantibus, ediderit; & Onuphrius in libro de Ludis Saecularibus, ex Nummis Domitiani, inſcriptis* IMP. CAES. DOMIT. AVG. GERM. TR. P. VIII. *& in poſtica*, COS. XIIII. LVD. SAEC. FEC. S.C. *collegerit, Domitianum non exhibuiſſe eos Ludos ante Idus Septembris, quia ea tantum die Tribunicia Poteſtas* VIII. *eidem*

*eidem inchoabatur. Et tamen Conſules Ordinarii de more bimeſtres erant.. Addunt, me pag.*184. *Diſſert.. Hypat. de Claudio ſcribere*: Sed quod Conſulari munere fungens eos Ludos ediderit, omnes, praeter Severum, ſequaces habuit.. Hoc quidem a nullo neque ex Veteribus, neque ex Recentioribus animadverſum. *Verum, miror, hos Cenſores haec in medium adducere; cum diſerte ſcripſerim, morem illum, annis Saecularibus Ludis dicatum, Conſulatum ineundi, a Claudio primum invectum eſſe; ac praeterea expreſſis verbis docuerim, Conſulatum Ordinarium ultra Kal. Martias, ut plurimum, continuatum non eſſe: ideoque pro certo poſuerim, Conſules Suffectos jam munus ſuum exercuiſſe, quando Ludi Saeculares editi; & Quinquennalia, ceteraque id genus Feſta celebrata. Quando igitur dixi, Imperatores Conſulari munere fungentes, aut trabea indutos, ea ſolemnia exhibuiſſe, intellexi id factum annis, quibus Conſules proceſſere, & Faſtis nomen dedere, ut centies & amplius in eo Opere repetii; ubi & modum loquendi Capitolini in Gordiano* III. *cap.* 23. *uſurpavi, qui de Ludis Saecularibus ab utroque Philippo, poſtquam Conſulatum depoſuere, editis, loquens, ait*: Milleſimum ab Urbe Condita annum in Conſulatu ſuo, & Filii

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

Filii ſui celebravit, *die nempe* XXI. *Aprilis Urbis Romae Natali*, *quo jam Conſules Ordinarii dignitatem abdicarant*, *ipſis adverſariis fatentibus*, *qui ideo ſibimetipſis lucem invident. Ludos vero Saeculares ante Idus Septembris editos fuiſſe, mox demonſtrabo.*,, Haec Pagius. Ludi Saeculares I. celebrati ſunt anno Urbis Conditae 245 ex Valerio Antiate, *Lucio Junio Bruto & P. Valerio Conſulibus*; vel, ex Commentariis XVvirum, anno Urbis Conditae 298, *M. Valerio & Spurio Virginio Conſulibus*. Ludi Saeculares II. anno Urbis Conditae 305 ex Valerio Antiate, *L. Valerio Potito & M. Horatio Conſulibus*; aut, ex libris XVvirum, anno Urbis Conditae 408 *Marco Valerio Corvino II. & C. Poetilio Conſulibus*. Ludi Saeculares III. anno Urbis Conditae 505 ex Antiate, & Livio, *P. Claudio Pulchro & L. Junio Pullo Conſulibus*; vel, ex XVvirum libris, anno Urbis Conditae 518, *P. Cornelio Lentulo & C. Licinio Varo Conſulibus*. Ludi Saeculares IV. anno Urbis Conditae 605 ex Antiate, Livio, & Varrone, *L. Marcio Cenſorino & Marco Manilio Conſulibus*; aut, ex Piſone Cenſorio, Cn. Gellio, & Caſſio Hemina, qui tum vivebat, anno Urbis Conditae 608, *Cn. Cornelio Lentulo & Lu-*

Lucio Mammio Achaico Conſulibus ; ex XVvirum autem libris, anno Urbis Conditae 628, *M. Aemilio Lepido & L. Aurelio Oreſte Conſulibus*. Ludi Saeculares V. anno Urbis Conditae dccxxxvi. celebrati ſunt ab Auguſto & Agrippa, *C. Furnio & Junio Silano Conſulibus*. Ludi Saeculares VI. anno Urbis Conditae dccc. a T. Claudio Caeſare, *ſe* IV. *& L. Vitellio* III. *Conſulibus*. Is annus fuit AeraeChr.47. Demum Ludi Saeculares VII. (de quibus loquimur) anno Urbis Conditae dcccxli, Aerae Chr. lxxxviii. quos edidit Domitianus Imperator, *ſe* XIV. *& L. Minucio Rufo Conſulibus*. Ex his ergo tribus Imperatoribus, poſt Remp. qui Ludos Saeculares exhibuerunt, Auguſto, Claudio, & Domitiano, neque prior, neque poſtremus annos Urbis centenarios veluti Saeculares egerunt: unus Claudius id praeſtitit, novumque morem invehere viſus eſt, neglectum a Domitiano. Auguſtus plurima collapſa reſtituens, cum XVviris, quorum haec intererant, anno Urbis Conditae 737. minime centenario Ludos V. Saeculares renovavit: Domitianus quoque non anno U. C. 847, ut oportuit, ſed ſexennio ante, ſeptimam Saecularem Pompam ſpectandam curavit, videlicet anno U. C. 841, Chr. 88; tametſi

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

Mmmmmmmmm tem-

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

tempus rite conſtitutum caderet in annum U. C. 847, Chr. 94, decimum ſupra centeſimum ab Auguſteis Ludis. Porro ſeptem tantum Saeculares Anni recenſentur ab antiquis Scriptoribus Rerum Romanarum uſque Domitianum incluſive; vocanturque anni, (Ludive) Saeculares *primi*, *ſecundi*, *tertii*, *quarti*, *quinti*, *ſexti*, & *ſeptimi*. Quater enim iidem Feſti dies, & anni, ſuperioribus Reipublicae temporibus ante Auguſtum celebrati ſunt, & ter uſque ad Domitianum, ut teſtatur Cenſorinus, cujus aureum oppido & accuratiſſimum Libellum habemus *de die Natali*, exaratum an. Chr. 238.

181. Nummus Domitiani, cum epigraphe in antica IMP. CAES. DOMIT. AVG. GERM. P. M. TR. P. VIII. CENS. PERP. P. P. *Caput Domitiani laureatum*: in poſtica vero, quam heic exhibemus, legitur COS. XIIII. LVD. SAEC. S. C. *Imperator ſtans, qui ſacra peragit, & pateram ad aram tenet, adſtantibus Tibicine, & Citharoedo*. Cenſura apud Romanos quinquennis, inde annua, & ſemeſtris fuit, donec Domitianus perpetuam ſumſit, ut conſtat ex ejus Nummis, atque ex Dione, & aliis, quos paullo ſupra recitavi in Indiculo hujus Tabulae num. 176. Anno ab Urbe Condita 841, Ae-

rae

rae Chriſti 88, Domitianus, inito Conſulatu XIV. & Tribunicia Poteſtate VIII, Septimos Saeculares Ludos magnificentiſſime exhibuit, ut multis oſtendi numero praecedenti, & liquet ex hoc Nummo. Inſignis Cardinalis Noriſii locus in *Epiſtola Conſulari* Tom. 2. pag. 1033. ejuſdem Nummi typum, quem ex poſtica inciſum vides hoc num. 181. in noſtra Tabula, & Imperatorem ſacrificantem capite amicto pretexta exhibet, mirifice illuſtrat: *Ludi* (inquit) *Saeculares peragebantur votis ad aras Deorum Superum, & Inferorum, item in Circo, Theatro, Amphitheatro variis Ludorum generibus, quae juſto volumine Panvinius eruditiſſime complexus eſt. At vota ad aras Numinum non peragebantur in trabea Conſulari, ſive toga picta, ſed in toga praetexta, ejuſdem lacinia capite obvoluto. Cum* Decius Mus Conſul *ſe Diis pro Patria dubio praelio, devovere deſtinaſſet*, Pontifex eum togam praetextam ſumere juſſit, *ut tradit Livius lib. 10. Rurſus, cum medio aevo Auguſtorum, Conſules togam pictam geſtarent, Alexander Severus, qui* pictam togam nunquam, niſi Conſul, accepit (*quae ſunt verba Lampridii cap.* 40.), accepit praetextam, etiam cum Sacra faceret. *Hinc in Nummo Domitiani* (de quo loquimur)

Mmmmmmmm 2 in-

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

inſcripto, COS. XIIII. LVD. SAEC. FEC. *viſitur Imperator, caput amictus toga praetexta, Sacris operans. Itaque nullus trabeae Conſularis, ſeu togae pictae uſus in ſacris Saecularibus. Sed neque Ludis Circenſibus, aut Theatralibus Imperatores in trabea Conſulari praeſidebant; ſed, una cum Collegio XVvirum, in praetexta caput lauro redimiti; quod ex Tacito lib.* xi. Annal. *aliiſque Panvinius demonſtravit. Imperatores vero in Collegium Quindecimvirum cooptari ſolitos, patet ex vetuſtis Inſcriptionibus Gruteri pag.* 135. *&* 136. Sed reliqua in typo noſtri Numiſmatis expreſſa perpendamus. Viſitur in eo Imperator ſacris operans, Tibicen, & Citharedus: *Tibicines in publicis omnibus, & privatis Sacris adhibebantur, pulſantes eburneas ſeptem fidium lyras, & quae vocantur barbita; quod* (ut obſervat Gutherus *de Veteri Jure Pontificio* lib. II. apud Graevium Tom. V. pag. 1061 & 107.) *Domitiani Nummis demonſtratur.* Ubi Ludorum Saecularium (quorum Sacra exhibet Nummus, quem illuſtramus) feſtus primus dies adveniſſet, quem toto triduo, trinoctioque in Campo Martio ſacris ipſis intenti, haud longe ab ipſa Tiberis ripa, ſcilicet prope Terentum celebrabant, ſacrificia Jovi, Neptuno, Miner-

nervae, Veneri, Apollini, Mercurio, Cereri, Vulcano, Marti, Dianae, Veſtae, Herculi, Latonae, Fontium Deis, atque Parcis, Diti Patri, & Proſerpinae faciebant. Primae noctis Ludorum hora ſecunda, Imperator, una cum Quindecimviris ſacris faciundis, tribus aris ad Amnis ripam extructis, totidem agnos immolabat, ariſque ipſis ſanguine perfuſis, quae ſupererant, victimarum corpora concremabantur. Porro, conſtructa juxta Terentum ad Amnis ripas in theatri morem ſcena, extemporanea lumina, lychnuchi, & ignes accendebantur, hymnique concinne ad hunc maxime uſum compoſiti cantabantur, atque ſpectacula quaedam edi ſolemniter ſolita agebantur, terraque evulſa, ſuper aram Ditis Patris, & Proſerpinae hoſtiae furvae utrique Numini immolabantur. Mane ejuſdem primi diei in Capitolium aſcendentes, poſteaquam Jovi Optimo Maximo ſacra ſolemnia de more, riteque, perfeciſſent, ad praeparatum Theatrum, ut Ludos, in Apollinis, Dianaeque honorem faciundos, celebrarent, conveniebant. Poſtero die nobiles matronas ea hora, quae ab oraculo praecipiebatur, in Capitolium convenire, ibique Jovi ſupplicare, frequentare lectiſternia, ex ritu hymnos cane-

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

canere, Junonis quoque aram adire, conſuetum erat. Poſtea Imperator ipſe, & Quindecimviri ſacris faciundis, vota ante ſuſcepta ſolvebant. Jovi etenim, Apollini, Neptuno, Herculi tauros albos; Junoni, Minervae, Dianae juvencas concolores; Parcis agnas, capraſque atras; Diti vero Patri, Proſerpinaeque hoſtias furvas, ſuem ſcilicet, & ſcrofam nigram ſacrificabant: ceteris quoque Diis ſua ſacra, ut unicuique mos erat, reddebantur. Tertio die in Templo Apollinis Palatini ter novem pueri praetextati, totidemque virgines, patrimi omnes matrimique, Graeca Romanaque voce carmina, & paeanas concinebant, quibus Imperium, Senatum, Populumque Romanum Diis immortalibus commendabant. Singulis autem Ludis hymnos novos praeſenti tempore congruos pueri puellaeque cantabant, qualis eſt ille ab Horatio editus in Ludis ab Auguſto celebratis anno U. C. 737.

182. Nummus Domitiani, cum epigraphe in antica IMP. CAES. DOMIT. AVG. GERM. COS. XI. CENS. PER. P. P., in poſtica vero, quam heic exhibemus, legitur GERMANIA CAPTA S. C. Domitianus Auguſtus anno Aerae Chr. Vulg. 85, quo Conſul fuit Undecimum, de Germania primum

mum Triumphum egit, ut multis oſtendi in hoc Indiculo numero 177, & conſtat ex aliis Nummis item undecimo ejuſdem Conſulatu obſignatis cum Inſcriptione GERMANIA CAPTA. Viſitur in noſtro, quem illuſtramus, *Germania* ſedens, ac lugens lugubri habitu induta, ante Tropaeum armis onuſtum, cui adſtat captivus manibus poſt terga revinctis. Domitianus tamen (ut ſcribit Emin. Noriſius in Diſſertatione I. *de Epochis Syromacedonum* Tom. II.) adhuc Caeſar, in Nummis laureato capite ſcalptus paſſim viſitur, quod, initio ſtatim Imperii Veſpaſiani patris, cum hic nondum ex Syria novus Imperator in Urbem veniſſet, expeditionem in Germaniam, ac Galliam ſuſcepit, uti ſcribunt Tacitus lib. 4. *Hiſt.*, Suetonius cap. 2. de *Vita ejuſdem*, ac Joſephus libro 7. *de Bello Judaico* capite 23. ubi, narrata Civilis, ac Claſſici rebellione, quam in Germania ac proximiori Gallia conflaverant, ait: *Nam, ut primum defectionis eorum nuntius allatus eſt Romam, Domitianus Caeſar hoc audito, non ſicut alter in illa aetate feciſſet, nam admodum adoleſcens* (undeviceſimum aetatis annum agebat) *tantum rei magnitudinem ſuſcipere non detrectavit, ſed a patre habens ingenitam fortitudinem, & ſupra aetatem exer-*

INDICULUS TABULAE III SAECULI I. *exercitatus, illico tendebat in Barbaros. Illi autem expeditionis fama perculſi, ei ſe ſubmiſerunt.* Quamvis, ut tradit Tacitus in fine libri 4. laudati, Domitianus, monente Muciano, ne adverſus rebelles confecto jam prope a Petilio Cereale bello alienae gloriae interveniret, Lugduni ſubſtiterit. Et ſane Germani, permixtique eiſdem Galli, advenientis cum majoribus copiis Domitiani Caeſaris fama perculſi, facilius ad obſequium, abjectis armis, rediere. Hinc Domitianus, licet tantum Caeſar, cum laurea in Nummis ſcalptus eſt. Immo, quod illam de Germanis victoriam ſuis auſpiciis reportatam jactabat, inito ſtatim Imperio, titulum *Germanici* aſſumpſit. Extant Nummi inſcripti, IMP.CAES.DOMITIANVS AVG.GERM. P.M.& in poſtica, TR.P.COS.VII. qui percuſſi ſunt an.81. intra primum quadrimeſtre initi ab eodem poſt Titi mortem Imperii: ſiquidem Kalendis proximis Januariis Conſul VIII. proceſſit. Poſtea vero ob bella Germanica, quae Imperator Auguſtus geſſit, per antonomaſiam, adulatione Senatus, *Germanicus* dictus eſt. Haec omnia egregie prodit Martialis lib. 2. Epigr.2.

Creta dedit magnum, majus dedit Africa nomen,

Sci-

Digitized by Google

Scipio quod victor, quodve Metellus habet.
Nobilius domito tribuit Germania Rheno:
Et puer hoc dignus nomine, Caeſar, erat.

Primum tamen Germanicum Triumphum a Domitiano *Auguſto Germanico* relatum eſt anno Aerae Chriſti 85, ut liquet ex noſtro Nummo, quem heic illuſtramus, atque ex aliis apud Mediobarbum, Vaillantium, Bellorium, & Pagium ad eundem annum. Alterum vero, nempe Secundum, anno Chr. 88 deputavimus, item ex Nummis, de quibus vide noſtrum Indiculum num. 176. Extat apud Gruterum pag. 411. num. 1. vetus Inſcriptio, in qua, ut obſervat laudatus Doctiſſimus Noriſius in *Epiſt. Conſulari* Tom. 2. col. 1037. laudatur *T. Flavius Germanus* CVRATOR TRIVMPHI FELICISSIMI GERMANICI SECVNDI: ibidem vero, detrito nomine Domitiani, ejuſque Conſulatu, ac anno Tribuniciae Poteſtatis, annus ejuſdem Triumphi in obſcuro latet. Tacitus lib. 11. *Annal.* teſtatur, ſe libros compoſuiſſe, de rebus Domitiani, quos Oroſium legiſſe conſtat ex iis, quae indicat lib. 7. cap. 10. Illis vero deperditis, chronologia rerum

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

Domitiani obſcura eſt & ambigua; quae tamen ex relatis Nummis poteſt utcumque illuſtrari. Suetonius in Domitiano ait cap. 13, *Poſt autem duos Triumphos, Germanici cognomine aſſumpto &c. priorem de Cattis, alterum de Dacis Triumphum egit*. Statius lib. I. laudans imaginem equi Domitiani, ait:

An te Palladiae talem, Germanice, nobis
Effinxere manus? qualis modo frena tenentem
Rhenus, & attoniti vidit domus ardua Daci.

Et Martialis lib. v. 3,

Accola tam noſtrae Diegis, Germanice, ripae,
A famulis Iſtri, qui tibi venit, aquis.

Diegis Decebali Regis frater, ut ibidem innuit Martialis, jubente eodem Decebalo, ad Domitianum veniens, diademate ſibi ab Imperatore impoſito, pacem Dacis impetravit. Hinc Domitianus ſecundum Triumphum, ac cognomen Germanici obtinuit. Victoriam Dacicam, atque, ob eamdem, *Germanici* nomen Imperatori delatum, laudat Martialis lib. 2. epig. 2. Extat in Theſauro Mediceo aureus Domitiani Nummus inſcri-

ſcriptus, *Domitianus Auguſtus*; & in poſtica, GERMANICVS COS. XIIII. Ille quidem poſt Victoriam contra Cattos titulum Germanici obtinuerat; qui tamen in antica parte cum titulis P. M. ac TR. P. in Nummis priori ſyllaba GERM. inſcriptus legitur. Hinc, cum in laudato Nummo integre *Germanicus* exhibeatur, cognomen potius, quam titulum ſignificat. Extat rurſus in eodem Theſauro Nummus argenteus, in quo Domitianus dicitur TR. P. VI., & in poſtica IMP. XIIII. COS. XIII. CENS. P. P. P. Cuſus eſt hic Nummus anno 87. quo idem geſſit Conſulatum XIII. Panvinius alterum Nummum laudat Domitiani, cum epigraphe TR. P. VII. IMP. XIII. COS. XIV. Anno inſequenti 88. erat TR. P. VII. ac in Nummis ſignabatur Conſul XIV. Extant Nummi apud Occonem, in quibus idem Domitianus dicitur COS. XIIII, & IMP. XV. XVI. XVII. XVIII. XIX. XX. ac XXI. Extat in gaza Medicea argenteus, TR. P. VIII., & in averſa ſcalptus, IMP. XIX. COS. XIIII. CENS. P. P. P. Viſitur ibidem figura galeata, dextra fulmen, ſiniſtra haſtam tenens, cum clypeo ad pedes. Praeterea alter Nummus ibidem ſervatur, in quo Domitianus legitur TR. P. X., & retrorſum IMP. XXI. COS.

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

 XV.

Digitized by Google

XV. &c. Rurſus apud Gruterum pag. 575. 1. inſcribitur in vetuſto epigrammate TRIBVNIC. POTESTAT. XI. IMPERATOR. XXI. & CONSVL. XVI. Nec ſecus in Nummis deſcribitur. Ex his colligo, Domitianum ante annum 90, quo Conſul XV. fuit, victorias de Dacis tuliſſe, ob quas toties titulum Imperatoris iteravit: qui tituli, cum juncti legantur cum TR. P. VIII., ac COS. XIIII., pertinent ad annos 88. & 89, quibus in Nummis dicebatur Conſul XIIII., & Tribuniciae Poteſtatis VIII. Cum vero Idibus Septembris an. 88. inierit TR. P. VIII., ac conſtet poſt eam diem Romae celebraſſe Ludos Saeculares, bellum Dacicum, ac ex eodem victoriae, referendae videntur ad annum 89. quo inſcribebatur in Nummis COS. XIIII. atque itidem TR. P. VIII. uſque ad Idus Sept. Num vero praecedenti anno 88 vel ſequenti Triumphum de Dacis egerit, voſmet indagate; ipſe enim propius, ni mea me fallit opinio, ad annum Triumphi de Dacis vos conduxi. Scio Martialem lib. 7. Epig. 7. ſcribere, Domitianum menſe Januario Romam adveniſſe poſt expeditionem Germanicam. Ibi tamen loquitur de expeditione contra Sarmatas, ut patet ex quinto Epigrammate, quod in haec carmina deſinit: *Sed*

Sed jam laetitiae quae ſit fiducia major,
Sarmaticae laurus nuntius ipſe veni.

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

Eadem ſcribit lib. 8. Epig. ad Janum:

Tu tamen hoc mavis, Latiae quod contigit Urbi,
Menſe tuo reducem, Jane, videre Deum.

Et Epigrammate 15,

Dat Populus, dat gratus Eques, dat thura Senatus,
Et ditant Latias tertia dona Tribus.
Hos quoque ſecretos memorabit Roma Triumphos;
Nec minor iſta tuae laurea pacis erit.

183. Nummus Domitiani, cum epigraphe in antica IMP. CAES. DOMIT. AVG. GERM. COS. XVII. CENS. PER. P. P. *Caput Domitiani laureatum*. In poſtica vero, quam heic exhibemus, legitur S. C. *Senatus Conſulto*. Arcus Triumphalis, ſupra quem duae elephantorum quadrigae. In utriſque ſtat Imperator. Bis de Germanis Domitianum triumphaſſe, multis oſtendi in Indiculo hujus Tabulae numeris 176. 177. 178. & 182. Primum Triumphum egit anno Aerae Chr. Vulg. 85, alterum vero anno ejuſdem Aerae 88, ut ex dictis jam liquet. Domitianus Conſul fuit XVII. anno Chr. 95, quo Im-

Imperii ejus Auguſtei Quindecennalia incidebant, ipſeque annum de more aperire debebat. Auſonius in Panegyri Trajani, *ſcis* (inquit) *ſeptem ac decem Domitiani Conſulatus, quos ille invidia alios provehendi continuando conſeruit, ita in ejus aviditate deriſos, ut hoc cum pagina Faſtorum ſuorum, immo Faſtidiorum, fecerit inſolentem, nec potuerit praeſtare felicem*. Irriſus heic Domitianus, quod illos Conſulatus *invidia alios provehendi continuarit, quodque falſis victoriis jactandis* eos ſumpſerit, ut Zonaras habet. Reliqui Imperatores ſaepe prae modeſtia, aut ut locum privatis darent, a Conſulatu ſuſcipiendo annis ſibi deſtinatis abſtinuere. Domitianus vero, non ſolum ſemper illum uſurpavit, ſed etiam *ſtulte & inſolenter*, quemadmodum ait Dio lib. 67. *propter falſum de Germania Triumphum*; *emptis per commercia, quorum habitus, & crines in captivorum ſpeciem formarentur*, ut verbis Taciti utar in Vita Agricolae. Cur autem utrumque Triumphum, annis Chr. 85, & 88. a Domitiano de Germanis partum, hoſte numquam viſo, noſter hic Nummus exhibeat; cum anno Ch. 95. (ſeu Conſulatu ejus XVII) percuſſus ſit, paucis aperire conabor. Hoc nempe anno potius, quam aliis, utrique licet victoriae

riae proximioribus, id egit Domitianus, quia annis Decennalibus, Quindecennalibus, & id genus Feſtis, renovabatur inNummis,aliiſque,monumentis in rerum antea geſtarum,vel acceptorum beneficiorum memoria.Unde & Jovis Capitolini Templum ab ipſo multo antea aedificatum,quod in belloVitelliano mortem evaſiſſet, hoc anno 95. Domitianus in Nummis repraeſentavit. Mediobarbus enim Nummum exhibet inſcriptum IMP. CAES. DOMIT.AVG.GERM.COS.XVII.,in cujus poſtica cernitur Templum quatuor columnis innixum, in quo ſedet figura, duabus ſtantibus hinc inde icunculis extraTemplum,quod Jovi Conſervatori ante aliquot annos jam dedicaverat, ut ſupra oſtendimus in hoc Indic.n.178.Obrectus quoque V.C.in Epiſtola de Nummo Domitiani Iſiaco,ſignato Tribunic. Poteſt. XV. nempe eodem anno Ch.95, de quo loquimur, Numiſma argenteum producit, in quo viſitur Iſiacus Sacrificulus Domitianus, qui, ut ait Suetonius *in ejus Vita* cap. 1, ardente Bello Vitelliano *Iſiaci celatus habitu*, inter Sacrificulos vanae ſuperſtitionis latuit, & mortem vitavit, ac *potiente rerum patre*, Jovi Conſervatori aram poſuit, *caſuſque ſuos in marmore expreſſit*, ut inquit Tacitus libro 3. *Hiſtor.* Quare ob

eam

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

eam cauſam, quam paullo ſupra memoravi, eoſdem caſus hoc anno Chriſti 95. in Nummis Domitianus obſignare voluit. Arcum Triumphalem cum duabus quadrigis elephantorum expreſſum in Nummo, quem heic illuſtramus, ita deſcribit Martialis Domitiano coevus, Epig. viii. 65. v. 8.

Stat ſacer edomitis Gentibus Arcus ovans.
Hic GEMINI CVRRVS *numerant elephanta frequenter*:
Sufficit immenſis aureus ipſe jugis.

Arcum hunc extitiſſe ad Portam Triumphalem, conjicit Donatus ex proxime ſubſequentibus verſibus,

Haec eſt digna tuis, Germanice, Porta Triumphis:
Nos aditus Urbem Martis habere docet.

Statius Sylvarum lib. iv. 3. v. 97. iridi comparans eundem fortaſſe Arcum Domitiani, ait,

Hujus janua, proſperumque limen
Arcus, belligeri Ducis tropeis,
Et totis Ligurum nitens metallis
Quantus nubila, qui coronat imbri.
Illic flectitur excitus viator,

184. NAVMACHIA Domitiani, ex libro Chalcographiae Romanae, qui inſcribitur *Antiquae Urbis ſplendor* p. 86, ex Panvinio,

nio, atque ex Montefauconio *Antiq. Expliq.* Tom.3. Part.2. p.315. Suetonius in ejuſdem Domitiani Vita cap.6. *fecit* (inquit) *& Stadium*, *& Odoeum*, *&* NAVMACHIAM, *e cujus poſtea lapide Maximus Circus, deuſtis utrinque lateribus, extractus eſt*. Et capite praecedenti, *edidit navales pugnas pene juſtarum claſſium*, *effoſſo & circumſtructo juxta Tiberim lacu*; *atque inter maximos imbres proſpectavit*. Naumachiae, lacus erant, in quibus naves pugnabant, ſeu navale praelium populo repraeſentabatur: ad exercendam enim juventutem Romanam, non ſolum terreſtri, ſed etiam navali praelio Naumachiae inſtitutae ſunt; quod non minus Claſſe, quam Caſtris Romanum prorogaretur Imperium. Hanc Domitianus magnificentiſſime extruxit vel in Campo Martio prope Coenobium Monialium S. Sylveſtri, vel ſub Colle Hortulorum loco ſane commodo; quia facile in Vallem, quae Martia dicebatur, poterant aquae per aquarum ductus ex locis editioribus deduci. Effoſſa enim terra, undique muro cinxit foſſam ampliſſimam, in quam ex Aquaeductibus emiſſa aqua, lacum, ſeu pelagum efficiebat latiſſimum, itaut navibus ac triremibus eſſet locus valde commodus. Tali autem artificio nunc educebatur aqua, nunc reduce-

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

batur, finito praelio; ut, ubi modo pelagus, nunc tellus videretur, cum peregre adventantium praeſertim ſtupore atque oblectatione. Adhuc ſuperſunt nonnulla veſtigia, ex quibus aliquo modo colligitur, quanta fuerit ejus magnitudo. Non deſunt tamen qui tradunt, ad Tiberim ferme excurriſſe navibus: etenim heic triremium inſtar, navalia, ut dixi, committebantur praelia, non minore ſpectantium voluptate, quam ea gerentium utilitate: eo modo in Circis & Amphitheatris terreſtria praelia inibantur. Ex his autem exercitationibus ille fructus conſtabat, ut & otium pelleretur ex Urbe, & Romana praeſertim juventus aſſuefieret praeliis, quibus Romanum propagandum & tuendum erat Imperium. Primum lacus illi, in quibus naves pugnabant, nullo erant ornatu effoſſi prope Tiberim, ut ſcribit idem Suetonius in Auguſto cap. 43. *item navale praelium circa Tiberim dedit, cavato ſolo, in quo nunc Caeſarum nemus eſt*. Poſtea res in deliciis converſa: nam & lateribus extrui, trabibuſque circummuniri; ac ſedilibus, in modum theatrorum, excoli coepere, quos idcirco *Naumachias* vocaverunt. Quam Domitianus extruxit, Martialis celebrat lib. 1. Epigram. 24,

Aſpi-

Indiculus
Tabulae III
Saeculi I.

Aſpice quam denſum tacitarum vellus aquarum
Defluat in vultus Caeſaris, inque ſinus:
Indulget tamen ille Jovi, nec vertice moto
Concretas pigro frigore ridet aquas;
Sydus Hiperborei ſolitus laſſare Bootae,
Et madidis Helicem diſſimulare comis:
Qui ſiccis laſcivit aquis, & ab ethere ludit,
Suſpicor, has pueri Caeſaris eſſe nives.
Si quis ades longis ſerus ſpectator ab oris,
Cui lux prima ſacri muneris iſta fuit:
Ne te decipiat ratibus navalis Enyo,
Et par unda fretis; hic modo terra fuit.
Non credis? ſpectes dum laxent aequora Martem,
Parva mora eſt, dices, hic modo pontus erat!

Non item de hac Domitianea (ut plerique tradunt), ſed de Auguſti Naumachia in Tranſtiberina Regione ſita loquitur Statius *Sylvarum* lib. iv. 4. 5, cum ait:

Continuo dextras flavi pete Tibridis
oras:
Lydia, quae penitus ſtagnum navale
coercet
Ripa, ſuburbaniſque vadum praetexi-
tur hortis.

Vide Panvinium *de Ludis Circenſibus* lib. 2. apud Graevium Tom. IX. *Antiquit. Romanarum* pag. 434, Pancirolum *in Deſcript. Urbis Romae* apud eundem Tom. III. p. 438, & Donatum *de Urbe Roma* lib. 3. cap. 16. In Naumachiis, biremes, triremes, quadriremes, claſſeſque Aegyptiacae, atque Tyriae depugnabant. In Spectaculo, quod edidit Julius Caeſar, ut ſcribit Suetonius in ejus Vita cap. 39, tanta multitudo hominum confluxit, ut multi compreſſi extincti fuerint. In ea navali pugna quatuor mille remiges erant, & ex utraque parte mille milites. Auguſtus etiam, ut dixi, Naumachiam prope oram Tiberis fecit; & quia, concurrente ad Spectaculum populo, Urbs deſerta manebat, per Vicos cuſtodes poſuit, ne fures in aedibus graſſarentur. Hujus Naumachiae ab Auguſto exhibitae meminere Dio in fragmento lib. 55. dicens: *Aquam in Circum Flaminium induxit: in ea triginta ſex Crocodili ſunt conciſi*: Et Suetonius cap. 43 narrat, Auguſtum

ſtum inter cetera ſpectacula exhibuiſſe *navale praelium circa Tiberim, cavato ſolo, in quo nunc Caeſarum nemus eſt.* Navalem Perſarum cum Athenienſibus pugnam ad Salaminam repraeſentaſſe,oculatus teſtisOvidius eſt, qui lib. 1. *de Arte* canit,

Quid modo cum belli navalis imagine Caeſar
Perſidas induxit, Cecropidaſque rates?
Nempe ab utroque mari juvenes, ab utroque puellae
Venere, atque ingens Orbis in Vrbe fuit.

Nero etiam, Auguſti exemplo, ex Dione apud Xiphilinum, *bellum navale Perſarum cum Athenienſibus fecit*: & quidem marina aqua innatanti belluis: quod Suetonius item affirmat *in Nerone* c. 12. Situs Auguſteae Naumachiae, in Ancyranis Tabulis ſic proditur: NAVALIS. PRAELII. SPECTACVLVM. POPVLO. exhibui. LIBERVM. in. QVO. LOCO. NVNC. NEMVS. EST. CAESARVM. CAVATO. ſolo. in. LONGITVDINE. MILLE. ET. OCTINGENTOS. PEDES. IN. LATITVTINE. PEDES. DVCENTOS. IN. QVO. TRIGINTA. ROSTRATAE. NAVES. TRIREMESQVE. PLV-

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

PLVRIMAE.... INTER. SE. CONFLIXERVNT .... OCCVBVERVNT. PRAETER. REMIGES. MILLIA...... CIRCITER ......

Ex hoc fragmento colligimus, in eo loco, in quo Auguſtus Naumachiam exhibuerat, denſas poſtea arbores conſitas fuiſse, quæ Nemus Caeſarum dictae ſunt. Cum vero etiam Suetonius ſupra laudatus dicat, *in quo nunc Caeſarum nemus eſt*; inde inferre quis poſſet, adhuc tempore Suetonii, qui poſt exactum ab Auguſto ſaeculum floruit, idem nemus ſuperfuiſſe, ac neminem ſucceſſorum Principum eam ſylvam excidiſſe. At Dio apud Xiphilinum de Nerone ſcribit: *Populo epulum dedit intra naves in eo loco, in quo ab Auguſto bellum navale factum fuerat*. Vide Noriſium *de Cenotaph. Piſan.* Diſſert. 2. Tom. 3. pag. 287, & Bernardum Montfauconium, qui Tomo III. Part. II. *Antiq. Expliq.* pag. 315. Naumachiam Diocletiani exhibet, atque his verbis illuſtrat: *Caligula multas diruit Aedes, ut Naumachiam novam pararet. Nero, ut Naumachiae ſpectaculum ederet, aquam marinam advehi curavit, quae foſſam impleret, ibique piſces marinos, ac monſtra marina poſuit. Titus etiam Imperator Naumachiae ſpectaculum edidit. Attamen frater ejus Domitianus ea in re deceſſores ſuos longe ſuperavit: nec ſatis habuit*

habuit Naumachiam in Amphitheatro edidiſſe; aliam Naumachiam paravit, & conſtruxit ad radices Montis Pincii, cujus hodieque veſtigia viſuntur: ejus orae magnifice conſtructae fuere cum arcubus lapideis. Qui hujus Naumachiae delineationem (qualem heic proferimus) decimoſexto ſaeculo dederunt, ex quibuſdam haud dubie reliquiis totius ſtructurae rationem intellexiſſe videntur. In hac nova Naumachia Domitianus ſpectaculum edidit, inquit Dio, „*In novo loco, ubi non modo fere omnes, qui pugnarunt, ſed etiam ex ſpectatoribus multi perierunt: ingens imber, tempeſtaſque horrenda populo impedimento fuere, ne ſecederet: Domitianus penulam mutavit, nec permiſit, ut eam ſpectatores mutarent: quod in cauſa fuit, ut multi in graves morbos inciderent, compluresque extinguerentur. Ut populum ſolaretur, magnum convivium nocturnum dedit* „. *Spectaculum prorſus cruentum erat: maxima pugnantium pars, quos Naumachiarios vocabant, in pugna interibant: erant vero illi captivi, aut ſceleſti homines, capitalibus obnoxii criminibus. Duae adverſariae partes, Nationum quarumdam maritimarum nomina uſurpabant: Rhodii cum Siculis pugnabant, Athenienſes cum Perſis, Aegyptii cum Tyriis. Imperator Claudius* (inquit Sue-

Digitized by Google

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

Suetonius cap. 21) „*Naumachiam commiſit: ſed cum proclamantibus Naumachiariis*, Ave Imperator, morituri te ſalutant, *reſpondiſſet*, Avete vos: *neque poſt hanc vocem, quaſi venia data, quiſquam dimicare vellet, diu cunctatus, an omnes igni ferroque abſumeret, tandem e ſede ſua proſilivit, ac per ambitum lacus, non ſine foeda vacillatione diſcurrens, partim minando, partim adhortando ad pugnam compulit. Hoc ſpectaculo claſſis Sicula & Rhodia concurrerunt, duodenarum triremium ſingulae, exciente buccina Tritone argenteo, qui e medio lacu per machinam emerſerat.*„ Tacitus eamdem Naumachiam deſcribens Annal. 12. 56. ſic habet: *Claudius triremes, quadriremeſque, & undeviginti hominum millia armavit, cincto ratibus ambitu, ne vaga effugia forent: attamen ſpatium amplexus ad vim remigii, gubernantium artes, impetus navium. In ratibus praetorianarum Cohortium, manipuli, turmaeque adſliterant, antepoſitis propugnaculis, ex quibus catapultae, baliſtaeque tenderentur. Reliqua lacus claſſiarii tectis navibus obtinebant. Pugnatum, quamquam inter ſontes, fortium virorum animo: ac poſt multum vulnerum, occidioni exemti ſunt*„. *Circa vero Domitiani Naumachiam, quaedam difficultas exſurgit: Suetonius*

nius cap.4. ait eum, lacum duxiſſe juxta Tiberim. *At vero Domitiani Naumachia, cujus veſtigia ſuperſunt ſub SS. Trinitatis monte, ſat procul Tiberi extat. Attamen ſemper illa Naumachia Domitiani habita eſt: nullaque alia nota Naumachia eſt, cujus orae magnifice ſtructae fuerint.* Huc uſque Montfauconius. Nardinus vero Romae Veteris lib. 6. cap. 10. ſcribit: *hujus Naumachiae (de qua Suetonius in Domitiano cap.* 4) *Blondus clariſſima extitiſſe ſigna aſſerit inter Pincium, & Viam Flaminiam, in vineis. Sed quae ſigna, aut veſtigia ejus ſupereſſe poſt tot ſaecula potuere, quum paulo poſt Domitiani Principatum illa diruta fuerit, e cujus poſtea lapidibus, inquit idem Suetonius cap.*7, Maximus Circus, deuſtis utrinque lateribus extructus eſt? *Nihilominus ſub Aedem* SS. Trinitatis in Montibus *aetate etiam Fulvii, & Marliani, cavitas quaedam terrae (quod certum puto Naumachiae indicium), cum veſtigiis ſpectaculorum, ideſt parietum marmore & lapide Tiburtino ſpoliatorum, viſa fuit, ut ipſi illi Scriptores teſtantur: quae nunc a nobis fruſtra requiruntur.*

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

185. CAPVT DOMITIAE LONGINAE, Domitii Corbulonis filiae, uxoris Aelii Lamiae, qui a Xiphilino lib. 66. p. 746. Lucius

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

Lamia Aemilianus appellatur. Contrectatis multorum uxoribus, Domitianus, adhuc vivente ejus Viro, Domitiam rapuit, atque in matrimonium duxit, ex qua in ſecundo ſuo Conſulatu filium tulit, ut ſcribit Suetonius *in Domitiano* cap. 3: *Deinde* (ſunt ejus verba) *uxorem Domitiam, ex qua in ſecundo ſuo Conſulatu filium tulerat, alteroque anno conſalutaverat ut Auguſtam*. De Domitiae filio multa ominatus eſt Martialis aſſentator egregius lib. *6*. Epig. *3*, ut Domitiano Imp. blandiretur. Vide quoque lib. 4. Epig. *3*. ubi de eodem filio ex Domitia ſuſcepto, & Caeſaris appellatione donato, ait,

Suſpicor has pueri Caeſaris eſſe nives.

Hic puer fuit etiam interDivos relatus, conſecratuſque poſt mortem; ut conſtat ex duobus Nummis a Torrentio aliiſque relatis, in quorum poſtica ipſe nudus conſpicitur, ſuper globum inter ſydera ſedens, cum epigraphe DIVVS. CAESAR. IMP. DOMITIAN. F. Ad Domitiam quod attinet, eam jam appellatam Auguſtam, quod amare coeperit Paridem hiſtrionem, Domitianus repudiavit ex Urſi ſententia: ſed intra breve temporis ſpatium impatiens diſſidii, quaſi efflagitante populo, eandem reduxit, ut narrat idem Suetonius. Reduxit ergo, non eam interfici juſſit, ut juſſiſſe dicunt

dicunt nonnulli ex male intellecto verſoque Xiphilino in Epit. pag.231. edit. Henr. Stephani an. 1592. Nam Xiphilinus narrat, Domitianum non utique Domitiam, ſed Paridem interfici juſſiſſe, eoſque etiam, qui floribus ornabant locum, ubi ipſe Paris occiſus eſt. Domitia econtra vel conſulente, vel conſcia, Domitianus a Cubiculariis trucidatus eſt, ex Suetonio, & Dione. Vide Aeneam Vicum Parmenſem *in Serie Auguſtarum* pag. 187, Pancirolum *in Deſcript. Urbis Rom.*apud Graevium Tom.3.p.439.B, Vaillantium *Num. Imp. Rom.* Tom. I. p.44, Patinum *de Num. Imp. Rom.* pag. 167, & Praeſulem Bottarium *in Adnotationibus in Tomum II. Muſei Capitolini* pag.24. n.xxvii.

186. FORVM NERVAE, quod primus excitavit Domitianus, quodque, eodem occiſo, ante quam inchoatum opus abſolveretur, Nerva ſucceſſor ejus perfecit, dedicavitque, ut ſcribit Suetonius *in Domitiano* cap. 5. *Novam excitavit Aedem in Capitolio Cuſtodi Jovi, & Forum, quod nunc Nervae vocatur*. Ad radices Quirinalis fuiſſe, communis omnium opinio eſt,nimirum ſub Palatio quondam *Excel. Comitum*, nunc *Grillorum*;ubi ingens antiqui Aedificii pars reſidua adhuc viſitur,ex majori ſui parte inEccleſiam

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

S. Baſilio ſacram, atque in Monaſterium Neophytarum converſa. Quin Forum hoc fuerit, dubitare nos non ſinit vetus Inſcriptio, quae ibidem extabat, atque ita a Fauno publici juris facta eſt,

IMP. NERVA. CAESAR. AVG. PONT. MAX. TBIB. POT. II. IMP. II. PROCOS.

ut ſcribunt Borichius *Ant. Urbis fac.* cap. 7, & Nardinus *Romae Veteris* lib. 3. cap. 14. Domitiano inſidiis Domeſticorum interfecto xiv. Kal. Octobris an. Aerae Vulg. 96, M. Coccejus Nerva ſucceſſit. Quare hujus Tribunicia Poteſtas II. incidit in an. Chr. 97. quo, juxta Lapidem, Forum perfectum eſt. In eo, praeter Templum Jani, Palladis quoque Aedes erat extructa. De Jano ſcribit Statius *Sylvarum* iv. 1. 13.

Janus agit, quem tu vicina pace ligatum
Omnia juſſiſti componere bella, novique
In leges jurare Fori.

Et de Templo Palladis Aurelius Victor *Caeſ.* cap. 12. *Dedicato Foro, quod appellatur Pervium, quo Aedes Minervae eminentior conſurgit, & magnificentior &c.* Acceſſit ejus ornatui ſingularis cura Alexandri Caeſaris apud Lampridium cap. 28. *Statuas coloſſeas, vel pedeſtres nudas, vel equeſtres Divis Imperatoribus in Foro Divi Nervae, quod Tranſito-*

ſitorium dicitur, *locavit omnibus eum titulis*, *& columnis aereis*, *quae geſtorum ordinem continerent*, *exemplo Auguſti*, *qui ſummorum Virorum ſtatuas in Foro ſuo e marmore collocavit*, *additis geſtis*. Agunt de Foro Nervae Donatus *de Urbe Roma* libro 2. cap. 23. pag. 170, Lipſius *de Magnit. Rom.* lib. 3. cap. 7, Marlianus *Topograph. Urb. Rom.* lib. 3. cap. 9, Fabricius *Deſcript. Urb. Rom.* cap. 7, Boiſſardus *Topograph. Urb. Rom.* Tom. I. pag. 42, Faunus *Antiq. Urb. Rom.* lib. 2. cap. 23, aliique.

187. *Nummus Nervae*, cum epigraphe in antica DIVO NERVAE. *Caput ejus*, *cum corona radiata*, de qua ſupra in Indiculo Tab.II.num.36.37.& 175. Trajanus, ut ſcribunt Eutropius libro VII, & Tiro Proſper in Chronico, Decreto Senatus Nervam patrem adoptivum inter Divos retulit. Vide Panvinium *de Civitate Rom.* apud Graevium *Rom. Antiq.* Tom. 1. pag. 301, Vaillantium Tom. 2. *Num. Rom. Imp.* pag. 119, Pedruſium Tom. 2. Muſei Parmenſis Tabula 26. num. 7, & Liebe *in Gotha Nummaria* p. 441.

188. Nummus a Trajano percuſſus in honorem Nervae poſt ejus Conſecrationem. Viſitur in poſtica, quam heic exhibemus, Aquila expanſis alis inſiſtens ſcipioni. Notiſſi-

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

tiſſimus eſt Romanorum ritus, in defunctorum Imperatorum Apotheoſi ſervari ſolitus; in qua, ut Principatus majeſtati proſpiceretur, e rogi faſtigio, tamquam ab Jove miſſam, nigram aquilam dimittebant; quam, vulgus ludificantes, ajebant Conſecrati Imperatoris animam in caelum deferre. Hoc ergo Divinitatis ſymbolo, Aquila videlicet, Nummus hic exprimit, animam Nervae in caelum altius attolli, atque ad Superos vehi. Herodianus de Conſecrationis caeremoniis lib. IV ait: *Mos eſt Romanis conſecrare Imperatores, qui ſuperſtitibus filiis ſucceſſoribus moriuntur: quique eo ſunt bonore affecti, relati dicuntur inter Divos. Eſt autem tota Vrbe quaſi luctus quidam, feſtae celebritati & cultui promiſcuus. Defuncti corpus ritu ſolito, magnaque pompa ſepelitur; cereamque imaginem defuncto quamſimillimam effingunt, eamque in Regiae veſtibulo ponunt ſupra eburneum lectum, maximum, atque ſublimem, veſtibus inſtratum aureis. Et quidem haec Imperatoris imago pallida aegroti ſpeciem refert. Circa lectum vero utrinque magnam partem diei ſedent: a laeva quidem Senatus omnis, veſtibus atris amictus; a dextra vero Matronae, quas virorum, aut parentum dignitas boneſtat. Harum nulla vel*

au-

aurum geſtans, vel monilibus ornata conſpicitur; ſed veſtibus albis exilibus indutae, moerentium ſpeciem praeferunt. Haec ita per ſeptem continuos dies fiunt; medicis quotidie ad lectum accedentibus, inſpectumque aegrum deterius ſe habere ſubinde pronunciantibus. Deinde, ubi jam viſus eſt obiiſſe diem, lectum humeris attollunt, qui ex Equeſtri Ordine ſunt nobiliſſimi, & ex Senatorio lectiſſimi juvenes; perque Viam Sacram in vetus Forum deferunt, ubi Magiſtratus Romani deponere imperium conſueverant. Utrinque autem gradus quidam ſunt, ad ſcalarum ſimilitudinem exſtructi; in quibus altera ex parte puerorum chorus eſt e Nobiliſſimis atque Patritiis; altera feminarum illuſtrium, hymnos in defunctum paeanaſque canentium venerando ac lamentabili carmine: quibus peractis, extollunt iterum lectum, atque extra Urbem perferunt in Martium Campum, ubi, qua latiſſime Campus patet, ſuggeſtus quidam ſpecie quadrangula lateribus aequis aſſurgit, nulla, praeterquam lignorum ingentium, materia compactus, in tabernaculi formam. Id quidem interius, totum eſt aridis fomitibus oppletum; extra autem, intextis auro ſagulis, atque eboreis ſignis, variiſque picturis exornatum. Supra vero alterum minu-

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

nuſculum poſitum eſt; ſed forma, & ornatu perſimile, portis januiſque patentibus. Tertiumque item, & quartum, ſemper inferiore contractius, donec ad extremum, quod eſt omnium minimum, perveniatur. Poſſes ejus aedificii formam comparare turribus iis, quae portibus imminentes, noctu ignem praeferentes, naves in tutas ſtationes dirigunt: Pharos vulgo appellant. Igitur lecto in ſecundum tabernaculum ſublato, aromata, & ſuffimenta omnis generis, fructus, herbas, ſuccoſque omnes odoratos conquirunt, atque acervatim effundunt. Quippe neque gens eſt, neque civitas, neque qui bonore ullo, aut dignitate praecellat, qui acervatim ſuprema illa munera in Principis honorem non mittant. Ubi vero ingens aromatum acervus aggeſtus eſt, ac locus omnis expletus; tum circa aedificium illud adequitant; univerſis Equeſtris Ordinis certa quadam lege, ac recurſu, motuque pyrrichio, numeroque in orbem decurrentibus. Currus item decenti ſimiliter ordine circumaguntur, inſidentibus purpuratis rectoribus, qui perſonas geſtent, referentes imagines Romanorum omnium, qui glorioſe exercitibus praefuerunt, aut imperarunt. Quae ubi celebrata ſunt, facem capit Imperii ſucceſſor, eamque tabernaculo admovet. Tum ceteri

omnes

Digitized by Google

omnes undique ignem ſubjiciunt: cunctaque illico fomitibus illis aridis, odoramentiſque referta, igni valido corripiuntur. Mox ab extremo minimoque tabernaculo, tamquam e faſtigio quodam, ſimul cum ſubjecto igne aſcenſura in aetherem Aquila dimittitur; quae in Caelum creditur ipſam Principis animam deferre: ac jam ex illo tempore, una cum ceteris Numinibus, Imperator colitur. Aliqua ſunt in textu Graeco Herodiani, quae vitiata videntur. Quod autem dicit, eos, qui filios relinquerent ſucceſſores, in Deorum numerum adſcriptos fuiſſe, verum quidem eſt; ſed non in eos ſolum mos ille referendus eſt: quandoquidem multi fuerè Imperatores, qui deceſſores ſuos in Deorum numerum retulere; licet nec filii, nec cognati eorum eſſent.

189. Nummus Nervae, cum epigraphe in antica, IMP. NERVA CAES. AVG. P. M. TR. P. COS. II. P. P. *Caput Nervae laureatum*: in poſtica vero, quam heic exhibemus, PLEBEI VRBANAE FRVMENTO CONSTITVTO. Modium cum ſpicis, & papavere. *Papaver* agri uberis argumentum eſt, in quo *veſcum papaver*, & *Cereale papaver*, ut Maro cecinit, ſeri poſſit. Suetonius *in Nerone* c. 10. Nero (inquit) *Praetorianis cohortibus frumentum menſtruum gratuitum conſti-*

Qqqqqqqq *tuit*:

tuit : & Tacitus Annalium lib. 15. cap. 22. *quibus perpetratis, Nero .... addidit ſine pretio frumentum, quo ante ex modo annonae utebantur*. Nerva ergo renovavit menſtruas frumenti donationes (etiam ab Auguſto factas, teſte Philone) Plebi Urbanae, quae intra Urbem habitabat, cujuſque partes erant Tribuni Aerarii, ſcribae, mercatores, & negotiatores, argentarii, & foeneratores, artifices, & opifices, turba forenſis, libertini, & Magiſtratuum apparitores. Has namque partes Plebis Urbanae voco, quoniam omnes fere, qui e Plebe erant, in aliquo horum numero occupatos fuiſſe comperio. Vide Ciceronem in *Catil.* IV. 7, & Sigonium *de Antiq. Jur. Civ. Rom.* lib. 2. cap. 7. Vincentius Contarenus *de Frumentaria Romanorum largitione* apud Graevium *Antiq. Rom.* Tom. VIII. pag. 956, *Dedit* (inquit) *frumentum Domitianus. Quid Nerva? ſilent Hiſtorici; ſed Nummi loquuntur, in quorum uno modius eſt ſpicis refertus, cum hac Inſcriptione,*

PLEBEI VRBANAE FRVMENTO CONSTITVTO.

Quamquam autem, qua ſit praecipue ratione conſtitutum, non conſtat; (potuit enim multimodis conſtitui) mihi tamen ſatis ſuperque eſt,

Digitized by Google

eſt, non dici reſtitutum, ut ſane dictum oportuit, ſi Domitianus panem diſtribuerat. Illud quoque confirmare omnes poteſt non mediocriter in hac ſententia, quod heic mentio fit Plebis Urbanae, *quae annonam gratuitam accipere erat ſolita. Dedit igitur Nerva frumentum, atque adeo, ut ſucceſſores dare poſſent, conſtituit.* Jacobus Philippus Tomaſinus de Teſſeris Hoſpitalitatis cap. XVI. apud Gronovium Tom. IX. pag. 246. haec habet: „ De diviſione frumenti, & teſſeris, Suetonius in Aug. cap. XL. *Ac ne plebs frumentationum cauſa frequentius a negotiis avocaretur, ter in annum, quaternum menſium teſſeras dare deſtinavit*. Et cap. ſeq. *Frumentum quoque, in annonae difficultatibus, ipſe leviſſimo, interdum nullo praetio, viritim admenſus eſt, teſſeraſque Nummarias duplicavit*. Gratis enim ex Clodii rogatione frumentum populo dividebatur. Hinc Iſidorus: *Teſſerae ſunt, quibus frumenti numerus deſignabatur.* Quod quidem ſaepe Imperatores honoris cauſa facere ſolitos, ex hoc Numiſmate Nervae ſatis liquet, quod ita interpretatur Ant. Auguſtinus *Antiq. Rom.* Dial. 11. *Obſervatum eſt*, inquit, *rarius tritici ſpicas in his Nummis ſpectari, quin illis adſit papaver: ideo forſitan, quod, qui hoc veſcitur, abſque cura & mentis*

tis inquietudine ſomnum capere poſſit. *Niſi velimus ideo papaver in Nummis exprimi*, *quod denotet Cererem Deam*, *quae raptam a Plutone Proſerpinam filiam dum quaerit*, *ſomno oppreſſa quievit*. Patet id ex adverſa parte Nummi, in qua eſt modium (menſura frumenti), atque in eo ſpicae hoc titulo:

PLEBEI. VRBANAE. FRVMENTO CONSTITVTO. S. C.,,

190. Nummus Nervae, cum epigraphe in poſtica FISCI. IVDAICI. CALVMNIA. SVBLATA. S. C. *Palma arbor*, *ſymbolum Judaeae*. Fiſci Judaici ſub Domitiano acerbiſſime exacti meminit Tranquillus. A Tito fuerat is imperatus, ut auctor eſt Xiphilinus in Veſpaſiano. Sublatum a Nerva Nummus hic docet. Quare Aurelius Victor in Nerva, *quidquid* (inquit) *poenae nomine tributis acceſſerat*, *ſuſtulit*. Pendebant didrachma in ſingula capita Jovi Capitolino, qui patrios Judaeorum ritus tuerentur. At, quod ſub Trajano & Hadriano iterum rebellarunt, ſcribit Appianus in Syriacis pag. 119, *Judaeis graviora ſunt tributa*, *quae in ſingula capita*, *quam quae pro cenſu conferunt*. *Syri quoque*, *ac Cilices quotannis perſolvunt centeſimas*. Vide Angelonum pag. 91, Muſeum Arſchotanum Tab. 32. num. 22, Begerum Vol. 3. pag. 110,

pag. 110, Erizzum pag. 300, Harduinum *de Nummis antiquis Populorum & Urbium* pag. 224, Mediobarbum pag. 144, Spanhemium Vol. I. pag. 354. & Vol. II. pag. 571, Nummophilacium Reginae Sueciae Tab. 9. num. 4, Vaillantium *de praeſtantia Numiſ.* Tom. I. pag. 45, Aeneam Vicum Tab. 4. num. 7, Noriſium *de Cenotaph. Piſan.* Diſſert. 3. Tom. 3. pag. 509, & Muſeum Muſellianum Tom. III. pag. 104. Tab. LV. num. 7.

191. Nummus Nervae, cum epigraphe in poſtica ΕΠΙ. ΠΟΜΠΟΝΙΟΥ. ΒΑΣ. ΠΡ. ΚΟΙΝΟΝ. ΓΑΛΑΤΙΑΣ. *Sub Pomponio Baſſo Legato Commune Galatiae.* Templum ſex columnarum. Extat apud Vaillantium *Numiſ. Graec.* pag. 26. De Fano Communis Galatarum Aeſculapio ſacro vide Ezech. Spanhemium in Epiſt. I. ad Andream Morellium *in Gotha Nummaria* pag. 489, & Harduinum *in Nummis Antiquis illuſtratis* pag. 179. Eſt & Domitiani Nummus inſcriptus ΕΠΙ. ΑΙ. ΠΟΜ. ΒΑΣΣΟΥ. ΠΡΕΣΒΕΥΤΟΥ *ſub Aelio Pomponio Baſſo Legato*, cum Jovis in monte ſtantis effigie. Vixit Pomponius Baſſus aevo Plinii Junioris, qui ſeceſſum illius ad eundem ſcribens collaudat. Plinius, Nervae, & Trajano fuit coevus. ΕΠΙ. ΠΟΜΠΟΝΙΟΥ. ΒΑ. ΚΟΙΝΟΝ. ΚΥΠΡΙΩΝ. legitur etiam in Nummo Trajani. Item in altero

tero ejuſdem, ΕΠΙ. ΒΑCCΟΤ. ΚΟΙΝΟΝ. ΓΑΛΑΤΙΑC.

192. Nummus Nervae, cum epigraphe in antica, ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΚΑΙCΑΡ ΝΕΡΟΥΑC CΕΒΑCΤΟC *Imperator Caeſar Nerva Auguſtus*. Caput ejus laureatum. Extat apud Vaillantium *Num. Graec.* pag. 26, Theupolum *Numiſ. Antiq.* Tom. 2. pag. 860, & Muſellium Tom. III. pag. 105. num. 8. Anticam hujus Nummi exhibuimus ſupra numero 191. De Aſclepiis Ancyrae a Communi Galatarum actis, ac de Aeſculapii Templo, vide Ezech. Spanhemium loco ſuperius allegato in expoſitione poſticae hujus Nummi poſitae n. 191.

193. Nummus Nervae, cum epigraphe in antica IMP. NERVA. CAES. AVG. P. M. TR. P. COS. III. P. P. *Caput Nervae laureatum*: in poſtica vero, quam heic exhibemus, legitur, LIBERTAS PVBLICA. *Signum Libertatis ſtantis in lacinia, quae dextra pileum, laevaque haſtam tenet*. Vide Landum in *Vet. Num. Rom. Miſc. Explic.* Miſc. Ital. Tomo I. pag. 392, Gyraldum in *Syntag. Deorum* lib. I. pag. 38. B. Ortel. *Deorum, & Dearum* cap. XI. pag. 52, Aeneam Vicum in *Nerva* Tab. I. num. 9, Muſeum Arſchotanum Tab. 33. num. 16, Mediobarbum pag. 145, Harduinum pag. 745, Patinum *de Num. Imp. Rom.* pag. 172, Theupolum

lum *Muſ. Antiq. Numiſ.* Tom. I. pag. 157. ac pag. 444, & Muſeum Muſellianum Tom. I. Tab. LV. nu. 9. ac Tomo III. pag. 104. Porro LIBERTAS PVPLICA, AEQVITAS, FORTVNA, CONCORDIA EXERCITVVM, &c. frequenter in Nervae Nummis occurrunt, atque Senatus PopuliqueRomani benevolentiam & felicitatem ſub eodem Imperatore palam cuique teſtantur. De ſymbolis LIBERTATIS PVBLICAE ſcripſimus in Indic. hujus Tab. n. 105. & 126. Dicitur in antica hujus Nummi, de quo loquimur, *Imperator Nerva, Caeſar Auguſtus, Pontifex Maximus, Conſul III, Pater Patriae*, ut in veteri lapide apud Gruterum pag. 155. num. 4. cui ſimiles etiam legimus in Donianis Inſcriptionibus evulgatis a Doctiſſimo meique amantiſſimo Ant. Franc. Gorio, Claſſe 2. num. 87. pag. 92, & apud Fabrettum p. 414. n. 363. Porro Nerva Auguſtus, Conſul III proceſſit una cum Publio (*aliis* Lucio) Virginio Rufo item III Cos, anno Aerae Chr. Vulg. 97, Tribuniciae vero Poteſtatis ejus annis primo & ſecundo. Frontinus *de Aquaeduct.* ſect. 102, *Nerva* (inquit) *Virginium ſaepius Imperatorem nominatum non timuit in Conſulatu ſuo collegam aſſerere.* Et Plinius lib. 2. Epiſt. I. ad Romanum, *Virginium Rufum* in Conſulatu obiiſſe ait, eique

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

que publice funus factum: *Perfunctus eſt* (inquit) *tertio Conſulatu. Annum tertium & octogeſimum exceſſit. Mox laudatus eſt a Conſule Cornelio Tacito, qui ei ſuffectus eſt.*

194. Nummus Nervae, cum epigraphe in antica IMP. NERVA. CAES. AVG. P. M. TR. P. COS. III. P. P. *Caput Nervae laureatum*: in poſtica vero, quam heic exhibemus, ADLOCVT. AVG. S.C. *Imperator ſtans in ſuggeſtu, adloquitur milites coram Templo quatuor columnarum*. Vide Vaillantium *Num. Imp. Rom.* Tom. I. pag. 45. Adlocutio, quam iſte Nummus exprimit, facta videtur ante Aedem Jovis Capitolini anno Aerae Chr.Vulg.97, quo,ut ſcribit Victor in Epitome, *Nerva Trajanum in liberi locum, inque partem Imperii adoptavit, cum quo tribus vixit menſibus*. Trajanus itaque Collega Imperii renuntiatus eſt v. Kal. Novembris dicti anni Chr. 97., facta prius Adlocutione a Nerva Imperatore, qui in Capitolium conſcendit, & clara voce M. Ulpium Trajanum (qui tum temporis Proconſul cum exercitu Germaniam obtinebat) adoptavit, eumque Caeſarem fecit,ac Tribunicia Poteſtate donavit, ut ex Inſcriptionibus liquet, & ex Epiſtolis Plinii Junioris. Dio memoratam Nervae Adlocutionem in Capitolio habitam ita ſcri-

ſcriptis commendat : QUOD FELIX FAUSTUMQUE SIT, *inquit*, SENATUI, POPULOQUE ROMANO, MIHIQUE IPSI, MARCUM ULPIUM NERVAM TRAJANUM ADOPTO; *eundemque poſtea in SenatuCæſarem deſignavit. ItaqueTrajanus tunc Caeſar,ac poſteaImperator factus eſt*. Forte tamen typus hujuſceNummi,quem illuſtramus, exhibere poteſt etiam Nervam Imperat., qui nolebat interfectoresDomitiani occidere:ſed quoniam milites nullum eorum vivere permiſerunt,ipſe coactus eſt non tantum id diſſimulare, ſed militibus quoque gratias agere.

195. Nummus Nervae, cum epigraphe in antica IMP. NERVA. CAES. AVG. GER. P. M. TR. P. II. *Caput Nervae*: in poſtica vero, quam heic exhibemus, IMP. II. COS. IIII. P. P. In typo, *Acerra, Aſpergile, Praeſericulum, & Lituus*. Vide Muſeum Arſchotanum Tab. 33. num. 15, Mediobarbum pag. 145, Theupolum *Muſ. Antiq. Numiſ.* Tom. 1. pag. 157, & Muſeum Muſellianum Tom. 1. Tab. 56. num. 6. Nerva iniit Conſulatum IIII. anno Aerae Chr.Vulg. 98, quo VI. Kal. Febr. mortuus eſt, cum imperaſſet annum unum, menſes quatuor, ac dies novem, ut inquit Dio, qui emortualem ejus diem includit.Dicitur in noſtro Nummo

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

Imperator II. ob victoriam in Pannonia a Trajano tunc Nervae Legato relatam, pro qua ipſe Nerva Imperator Secundum appellatus eſt. In ejus rei memoriam percuſſi ſunt aliqui Nummi, atque iſte renovatus eſt hoc anno Ch. 98, cum Nerva Conſulatum IV accepiſſet una cum Trajano Caeſare II. a ſe adoptato. Viſitur in eo Victoria gradiens, quae dextera manu coronam, & ſiniſtra palmam gerit, cum epigraphe Nervae IMP. II. COS. IIII. P. P. Inſtrumenta Pontificalia in typo Nummi, quem heic illuſtramus, expreſſa, ſymbolum ſunt Pontificatus Maximi Nervae Imperatoris. Poſt Julii Caeſaris necem Pontificatum Maximum per vim invaſit Lepidus: quo mortuo, id Sacerdotium ſuſcepit Auguſtus, & poſt eum omnes Imperatores; ut, qui totius Imperii poſſeſſionem erant adepti, divinarum quoque rerum auctoritatem haberent. *Acerra*, erat arcula thuraria, in qua thus reponebatur. Ex illa Antiqui thus Diis inter ſacrificandum proferebant. Ovidius de Ponto lib. IV. 8. 39.

Nec quae de parva pauper Dis ditat acerra
Thura, minus grandi, quam data, lance valent.

Et Horatius Od. lib. III. 8. 2.

Quid

Quid velint flores, & acerra thuris
Plena, miruris &c.

Vide *Berthaldum* de Ara cap. 1, *Saubert.* de Sacrific. cap. 17, *Roſinum* Antiq. Roman. lib. 3. cap. 32, & *Schill* Nomencl. Philol. pag. 23. *Aſpergile* (*aſpergillum*, vel *aſperſorium* quidam vocant), erat inſtrumentum, quo aqua luſtralis aſpergebatur, ex frondibus, aut lauro, oleave compoſitum. In noſtro Nummo expreſſum, conſtare videtur ex ſetis. Vide Fabrettum *de Columna Trajani* pagina 164, & Coul *Veterum Roman. Relig.* pag. 236, qui eandem formam ex marmoribus, & aliis Numiſmatibus exhibet. *Praeſericulum*, erat vas ſacrificale anſatum. Feſtus tamen illud ita deſcribit: *Praeſericulum, vas aeneum ſine anſa appellatur, patens ſummum, ut pelvis, quo ad ſacrificia utebantur in Sacrario Opis Conſivae.* Sed Feſti deſcriptio minime concordat cum noſtro, aliiſque antiquis Nummis, & toreumatibus, quae ſemper anſatum *praeſericulum* repraeſentant, ut cernitur in pluribus zophoris, ariſque, in Muſeum Capitolinum translatis. Vide *le Chanſſe* de Inſignibus Pontificatus Maximi Tab. 3, *Stuch.* de Sacrific. pag. 149, *Choul* Relig. Vet. Roman. pag. 251, *Saubert.* de Sacrific. cap. 11, *Struvium* Antiq. Romanar. cap. 10. pag. 496, & *Nonn.*

Indiculus Tabulae III Saeculi I. in Goltzii Numiſ. Julii Caeſaris, p. 32. *Lituus* denique, erat incurvum & leviter a ſummo inflexum bacillum, quod ab ejus litui, quo canitur, ſimilitudine nomen invenit, ut ſcribit Cicero lib. I. *de Divinatione* cap. 17. Inſigne Auguratus fuit, & Maximi Pontificatus; ut docent *Kiping.* Antiquit. Roman. lib. I. 12. 9, *Schill* Nomencl. Philol. pag. 683, *Landus* in Veter. Num. Roman. explicat. Miſcell. Ital. Tom. I. pag. 361, & *Card. Noriſius* de Cenotaphiis Piſanis Diſſertat. 2. cap. 5. Vide etiam quae ſcripſimus ſupra in Indiculo Tabulae II. num. 42. de hiſce Inſtrumentis Pontificalibus, quibus, ut Dio lib. 53. pag. 508. obſervat, Imperatores Romani ſe *omnibus Sacerdotiis inauguratos eſſe* demonſtrabant.

196. Nummus Nervae, cum epigraphe in antica IMP. NERVA. CAES. AVG. P. M. TR. P. COS. III. P. P. *Caput Nervae laureatum*: in poſtica vero, quam heic exhibemus, legitur, CONCORDIA EXERCITVVM. *Duae dextrae junctae, cum prora Navis, & ſigno militari Aquilae Legionariae.* Vide Geſnerum Tab. 71. num. 26, Muſeum Arſchotanum Tab. 33. num. 2, Muſeum Muſellianum Tom. I. Tabula LIV. num. 2, & Tom. III. pag. 103, Mediobarbum pag. 143, & Vicum in

in Nerva Tabula 3. nu.7. Duae dextrae fidei teſtes in Nervae Nummis ſignatae ſunt, & ſaepe cum hoc lemmate CONCORDIA EXERCITVVM, ad indicandam eorum ſub hoc Principe concordiam, & ipſi fidem terra, marique praeſtitam. Hic typus & a Trajano reſtitutus fuit, ob eorumdem ſimilem erga ſe concordiam, ut ſcribit Vaillantius *Num. Imper. Roman.* Tom. 2. pag. 115. Aurelius Victor *de Caeſaribus* in Nerva ſcribit: Nerva, *cum extrema aetate apud Sequanos, quo tyranni defecit metu*, IMPERIUM ARBITRIO LEGIONUM *coepiſſet; ubi proſpexit, niſi a ſuperioribus, robuſtioribuſque corpore, animoque, geri non poſſe; menſe ſexto ac decimo ſemet eo abdicavit, dedicato prius Foro, quod appellatur* PERVIUM, *quo Aedes Minervae eminentior conſurgit, & magnificentior*. Sed vide Scaligerum in Animadverſionibus Euſebianis ad num. 2113, & Pagium in Critice ad an. Chr. 97. (num. 5.), quo, ut habetur in noſtro Nummo, Nerva Conſul III. proceſſit cum L. Virginio Rufo III. ut oſtendimus in Chronico.

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

197. INSCRIPTIO NERVAE, quae extat Romae ad ſeptem Lucernas. Plinius lib. 9. in Epiſtola *ad Quadratum*, lucem affert huic marmori, ſcribens, *Primis diebus redditae*

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

ditae libertatis &c. Videbatur nempe ſibi Populus Romanus in Libertatem vindicatus, occiſo Domitiano, ut animadvertit Mediobarbus in Num. pag. 143. In quodam Nummo Nervae apud Triſtanum legitur in antica, IMP. CAES. AVG. COS. III; in poſtica vero, circa coronam quernam, EXVLES ROM. RED. S. P. Q. R. Item in aliis Nummis Nervae, & Trajani ſcriptum eſt, LIBERTAS AVG., LIBERTAS PVBLICA RESTITVTA, SECVRITAS POP. R. Vide Gruterum pag. CCXLVI. num. 1. & Pedruſium in Nerva, Tabula XXVI. num. 1. Muſei Parmenſis.

198. Nummus Trajani, in honorem Nervae percuſſus, cum epigraphe in antica, quam num 200. hujus Tabulae exhibuimus, DIVVS NERVA AVG. *Caput Nervae ſine laurea*: in poſtica vero, quam heic illuſtramus, legitur, IMP. CAES. TRAIAN. AVG. GER. DAC. P. P. REST. *Thenſa a duobus elephantis vecta, ſupra quam figura Imperatoris ſedentis*. Thenſa, Dorum vehiculum, a Trajano in Nervae Nummis adponitur, ad Conſecrationis ejus memoriam poſteris relinquendam: imago autem Principis cerea thenſae impoſita, cum ſolemni Pompa per Circum in Martium Campum ferebatur, ubi

ubi corpus cremabatur. Elephantes thenſam vehebant ob eorum vitae diuturnitatem. Sextus Aurelius Victor in *Hiſtoriae Auguſtae Epitome* cap. xii. ſcribit: Nervae *corpus a Senatu auguſto honore delatum, in ſepulcro Auguſti delatum eſt*. Ac Eutropius *in Breviario* lib. viii. ſub initium: Nerva *mortuus eſt Romae poſt annum, & quatuor menſes Imperii ſui, ac dies octo aetatis* LXX. *& altero anno, atque inter Divos relatus eſt*. Vide Vaillantium *Num. Imp. Rom.* To. II. p. 113, & noſtrum Indiculum num. 187. & 188. ubi fuſo calamo egimus de Apotheoſi Nervae Imperatoris. Plinius in Panegyri Trajani, *Ingens* (inquit) *gloria, ingenſque fama, cum abunde expertus eſſet, quam bene humeris tuis ſederet Imperium, tibi terras, te terris reliquit: eo ipſo carus omnibus ac deſiderandus, quod proſpexerat ne deſideraretur, quem tu lacrymis primum, ita ut filium decuit, mox Templis honeſtaſti, non imitatus illos, qui hoc idem, ſed alia mente fecerunt. Dicavit Caelo Tiberius Auguſtum, ſed ut majeſtatis ſuae Numen induceret; Claudium Nero, ſed ut irrideret; Veſpaſianum Titus; Domitianus Titum: ſed ille, ut Dei filius, hic ut frater videretur*. TV SYDERIBUS PATREM INTULISTI, *non ad metum civium, non in con-*

INDICULUS *contumeliam Numinum, non in honorem,*
TABULAE III *tuum, ſed quia Deum credis.*
SAECULI I. 199. INSCRIPTIO SERGIAE PLAUTILLAE filiae Laenatis Matris Nervae Imperatoris, inventa prope Antium. Poſſidebat inſignem hunc lapidem D. Alexius Corſinus, ediditque ex Manutio, & ſchedis Urſini Janus Gruterus pag. 246. num. 2, & poſt ipſum Sponius pag. 268. In hoc tamen mendoſe legitur LAENATISSAE, loco LAENATIS. Vide Tillemontium Tom. 2. *Hiſtoire des Empereurs* pag. 134. Editionis Venetae.

200. Nummus Nervae, cum epigraphe in antica, quam heic exhibemus, DIVVS NERVA. AVG. *Caput Nervae ſine laurea*: poſticam ejus illuſtravimus ſupra num. 198. hujus Tabulae. In Nummo Trajani apud Harduinum *in Num. Antiq. Populorum & Urbium illuſtr.* pag. 396. legitur, ΝΕΡΟΥΑΝ. ΘΕΟΝ. ΣΕΒΑΣΤΟΝ. ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ. *Perinthiorum, qui Nervam Deum Auguſtum* colunt. Vide Onuphrium Panvinium *de Civit. Roman.* apud Graevium *Antiq. Roman.* Tom. I. pag. 301, & Vaillantium *Num. Imper. Roman.* Tom. 2. pag. 113.

201. INSCRIPTIO NERVAE. Sertorius Urſatus *de Notis Romanorum* apud Graev. *Theſ.*

Theſ. Rom. Antiq. Tom. xi. pag. 538, hujus Lapidis ſiglas exponens, ait: AEDIL. C.C. N. D. D. S. P. P. *Aedilis Curulis Coloniae Numini Devotus De Sua Pecunia Poſuit*, vel *Cerealis*. Ita lego in ſaxo pag. 245. num. 6, quod heic exhibeo pro genuina magis explanatione:

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

IMP. NERVAE . CAES
AVG. PONT. MAX
TRIB. POT. COS. III. P. P.
L. SERTORIVS . L. P.
VOLT. EVANTHVS
AEDIL. C. C. N. D. D. S. P. P

AEDIL. CVR. Aedilis Curulis *Probus*, *Appianus*, *Lazius*, *Manutius*, *Angelonus*. AEDILIS CVRAVIT *Manutius*. AEDIL. CVRVL. Aedilis Curulis *Diaconus*. Gruterus pag. ccxlv. num. 6. ait, hanc baſim parvam marmoream extare Romae inter Aventinum, & Tiberim ad Pontem Sublicium, in quodam hortulo. Exſcripſit Metius. Quatuor notae N. D. D. S. non leguntur in Boiſſardo. De Tribu VOLTinia, cujus erat L. Sertorius Evanthus, vide Panvinium *de Civit. Rom.* cap. 50, Sigonium *de Antiq. Jur. Civit. Rom.* lib. I. cap. 3, Ferret. *Muſ. Lapid.* iv, Pighium *Annal. Roman.* lib. I. pag. 354,

Sſſſſſſ Ale-

Alexandrum *Genialium dier.* lib. I. cap. 17, & Roſinum *Antiquit. Romanar.* lib. vi. cap. 15. De Sertoriis vero, conſule Glandorpium *in Onomaſtico Hiſtoriae Romanae* pag. 791, & Panvinium *de Nom. Roman.* in Theſaur. Antiq. Rom. Graevii Tom. II. pag. 2032.

202. Nummus Nervae, cum epigraphe in antica IMP. NERVA CAES. AVG. GERM. P. M. TR. P. II. *Caput Nervae laureatum*: in poſtica vero, quam heic exhibemus, IMP. II. COS. IIII. P. P. *Mulier ſtans, quae dextra bilancem, ſiniſtra cornucopiam gerit*. Vide Theupolum Tom. I. pag. 157, & Muſellium Tomo I. Tabula lvi. num. 7. Extat alius Nervae Nummus, cum eodem *Aequitatis* typo. Legitur in antica, IMP. NERVA CAES. AVG. P. M. TR. P. COS. III. P. P. in averſa vero parte AEQVITAS AVGVST. Conſule Geſnerum Tab. 71. n. 23, Mediobardum pag. 144, & Muſeum Muſellianum Tomo I. Tab. 54. num. 9. Nerva, uſque adeo aequus Princeps fuit, teſte Xiphilino, *ut aliquando dicere auſus ſit, ſe nihil feciſſe, quo minus poſſet depoſito Imperio privatus tuto vivere*: id quod etiam praeſtitit haud ita multo poſt, adoptato M. Ulpio Trajano, quem & Caeſarem deſignavit. Quare Eutropius lib. 8. Nervae Aequitatem maxime commendavit, ſcribens:

bens: *Reſpublica ad proſperrimum ſtatum rediit, bonis Principibus ingenti felicitate commiſſa: Domitiano enim exitiali tyranno Nerva ſucceſſit, vir in privata vita moderatus & ſtrenuus, nobilitatis mediae; qui ſenex Imperator factus,* AEQUISSIMUM SE PRAEBUIT; *magis adhuc populis Trajani adoptione gratus*. Nerva fuit Conſul IV., & Trib. Pot. II. anno Aerae Chr. Vulg. 98. quo in noſtro Nummo dicitur *Imperator Secundum,* ob Victoriam, de qua ſupra in Indiculo num. 195.

Indiculus Tabulae III Saeculi I.

203. Inſcriptio Nervae, quam edidit Gruterus ex Strada pag. 245. num. 8. Extat in Hiſpania inter Borgias Urgelli, & Umatiam, juxta viam. Dicitur Nerva IMPERATOR &c. GERMANIAE INFERIORIS ob Victoriam de Pannonis a Trajano tunc ejus Legato in Germania Inferiori relatam. Conſule Vaillantium Tom. 2. *Numiſm. Imper. Roman.* pag. 115, & noſtrum Indiculum hujus Tabulae num. 195. Duos vidi Nervae Nummos, in quorum primo cernitur *Victoria gradiens, quae dextra coronam tenet, ſiniſtra palmam*, cum epigraphe IMP. II. COS. IIII. P. P.: in altero vero legitur, VICTORIA AVG. cum typo *Victoriae ſedentis, quae dextra palmam gerit, laevaque*

cornucopiam. Nerva quidem nullum per ſe bellum geſſit; ſed Trajanus, ut diximus, ejus Legatus in Pannonia de hoſtibus victoriam reportavit; ex qua Nervae allata eſt laurea, ut ſcribit Plinius in Panegyri Trajani. In ejus ergo rei memoriam ſcalpti ſunt Nervae lapides, cuſique Nummi, cum typo Victoriae.

204. CAPUT NERVAE marmoreum, ex Muſeo Capitolino. Hujus Imperatoris imagines admodum rarae ſunt, & quantivis praetii. Nero tanti illum faciebat, ut, cum adhuc privatus eſſet, ejus effigiem in Foro, & apud Palatium collocaverit; quemadmodum ſcribit Tacitus *Annalium* lib. 15. cap. 72. *Tigellinum* (inquit), *& Nervam ita extollens, ut ſupra triumphales in Foro imagines, apud Palatium quoque effigies eorum ſiſteret*. Fuit Nerva, teſte Dione lib. 68. pag. 769, corpore infirmo, tum ſenectute longaeva, tum quod ſtomacho maxime laboraret, cibumque evomeret. Id vero apparere videtur etiam ex iſta protome. Ejus abſtinentiam miratus Aurelius Victor in lib. *de Caeſaribus* num. XII., ait: *quid enim Nerva prudentius, magiſque moderatum?* A Plinio quoque Secundo Cive meo *in Panegyri* c. 6. dicitur *mitiſſimus ſenex*: quae virtus item in ele-

elegantiſſimo marmore elucet. Eutropius lib. 8. cap. 7, *Senex* (inquit) *Imperator factus, aequiſſimum ſe, & civiliſſimum praebuit*. Et Martialis lib. 4. Epigr. 70,

Quanta quies placidi, tanta eſt facundia Nervae.

Ejus vero comitatem, juſtitiamque Julianus *in Caeſaribus* multum commendavit: quod inter cetera illud in primis oſtendit, quod B. Joannem Euangeliſtam ab exilio revocaverit, ut teſtatur Suidas in v. Νέρβας. Vide Cl. Praeſulem Bottarium *in Adnotationibus in Tomum II. Muſei Capitolini* pag. 25. & 26, Aeneam Vicum *in Nummis Caeſarum Auguſtorum*, & Sponium *Recherch.* Diſſert. 24. pag. 379, ubi ex ex immenſa Nummorum vi Nevae effigiem deſcribit cum nativis lineamentis ſuis.

205. Inſcriptio NERVAE, edita a Grutero pag. 185. num. 4. Extabat Romae, teſtibus Mazochio, & Smezio, in epiſtyliis columnarum Palatii Nervae in Foro ejus extructi. De Tribunicia Poteſtate III, & Titulo Imperatoris II, Nervae Auguſti, vide ſupra in Indiculo num. 195.

206. BASILICA NERVAE, columnarum ordinibus, porticibuſque, ac Signis ornata. Media Aula, quae *pluteus* vocabatur,

tur, columnis item ornata comparet, ita, ut inde in porticus ſit proſpectus. In Foro Nervae erat aperta undique: eoque negotiatores confluebant, & cauſidici, quique cauſas tractandas habebant. Plinius Junior commemorat Judices ex Tribubus Romanis delectos, qui in Baſilicis conveniebant, cum maximo Populi, clientumque concurſu: & lib. *6*. Epiſt. *33*. deſcribit, quo modo in illis Tribunalibus Judices conſiderent, Advocati cauſas agerent, & populus eos audiret, ſpectaretque: *Sedebant* (inquit) *Judices centum octoginta: tot enim quatuor conſiliis colliguntur: ingens utrinque advocatio, & numeroſa ſubſellia: praeterea denſa circumſtantium corona latiſſimum judicium multiplici circulo ambibat. Ad hoc ſtipatum tribunal, atque etiam ex ſuperiore Baſilicae parte qua feminae, qua viri, & audiendi, quod erat difficile, &, quod facile, viſendi ſtudio imminebant*. Non modo autem Centumviri litibus judicandis, aliique judices (quia longe plures Centumviris laudatus Plinius commemorat) in Baſilicis conveniebant, ſed etiam Tribuni Plebis ibidem jus dicebant, teſte Plutarcho in Catone Uticenſi. Sic autem fere deſcribit illam Fori Baſilicam, cujus Architectus fuerat, Vitruvius, lib. v. cap. I.

cap. 1. Templo erat, ut narrat, ſimilis, atque ambulationibus ampliſſimis inſtructa. Cincta porticibus concameratis ex coaxatis contignationibus, immiſſis in paraſtatas, columnis aut pilis adjunctis, ſupra quam contignationem altera erat & ſuperior porticus, cujus tectum teſtudinatum aliis poſtibus, paraſtatis, & arrectariis ſuſtinebatur. Medium ſpatium, & quaſi ſuperior porticus, in utrumque latus per intercolumnia periſtyliorum liberum habebat proſpectum. Paraſtatae vero, duplae erant ad latitudinem porticus, ſicut & columnae perpetuo ſcaporum ductu ad Baſilicae latitudinem. In ſingulis pene Foris erecta erat Baſilica, ut litigantes ſe conferre in eam poſſent. Hinc, eſt, ut Fora ſaepe anguſta, & Baſilica grandis & illuſtris eſſet: quo factum, ut quandoque Baſilica Fori nomen veluti abſorberet; adeoque, ubi Baſilicarum Caeſaris, Auguſti, Nervae, Trajanique nomina audis, Fora quoque eorundem ut intelligas par eſt. Erant Romae una & viginti Baſilicae; quamvis P. Victor novendecim tantum recenſeat: ſiquidem duae jam tum interciderant. Inſcriptio a Fauno publicata, ut diximus in hoc Indiculo num. 186, extabat in fronte hujus Baſilicae Nervae, cui, teſte Lampridio cap.

28, ex

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

28, ex ſingulari cura Alexandri Caeſaris, acceſſit plurimum incrementi, ornatus, & venuſtatis. Domitianum eam inchoaſſe, mihi pro certo eſt: ſed Nerva primus abſolvit. Quare a Suetonio, NERVAE BASILICA dicitur, *Forumque Nervae* TRANSITORIUM a Spartiano, & Rufo, qui memorans *Forum Tranſitorium, cum Templo Divi Nervae*, Baſilicam pro Templo accepit. Tranſitorii enim epithetum Foro adjectum, non areae referri debet, ut nonnulli cenſent (cum omnis area tranſitui pateat); ſed Baſilicae, quae Tranſitoria poſtmodum dicta fuit, quia per illam in aliam viam tranſitus habebatur. Nervae Baſilicae veſtigia hodieque viſuntur poſt Aedem S. Hadriani in Foro Boario. In Libro, cui titulus eſt, *Antiquae Urbis ſplendor*, p. 111. haec eadem exhibetur Baſilica aeri inciſa, cum Foro Nervae, quod erat (inquit) retro Templum S. Hadriani prope Forum Romanum, juxta, vel inter Forum Caeſaris, & Auguſti. Adhuc pauca extant veſtigia, ſed nuper dejecta, quae indicant porticus, & totius aedificii elegantiam: oſtendunt etiam porticus fuiſſe eximias, columnae ingentes ſtriatae opere Corinthio, & caelaturae lapidum, quae ubique viſebantur artificio admirabili elaboratae, comprobanteſque, opus exactiſſime

Digitized by Google

me fuiſſe perfectum. Ajunt incho atum fuiſle a Domitiano : ſed, deleto ejus nomine exoſo, Nervae optimi Imperatoris Titulo fuiſſe inſignitum opus : quod quidem veriſimile videtur, cum Nerva tantum uno anno, & quatuor menſibus imperaverit. Nunc, dejecto veteri Templo S. Petri, epiſtylia ex marmore columnis ejus Templi impoſita, ex Inſcriptione nominis Nervae oſtendunt, ea fuiſſe ex Baſilica Nervae ad conſtruendum illud Templum a Conſtantino Magno translata; & fortaſſe etiam columnae inde fuere allatae, quae numero centum iſtud Templum praeclaro ac longo ordine ſuſtinebant. Haec noſtra adhuc aetate legebatur inſcriptio IMP. NERVA. CAESAR. AVG. PONT. MAX. TRIB. POT. II. IMP. II. PROCOS. quod quidem Forum pulcherrimis Statuis intus & foris erat exornatum, de quo ſcribit Spartianus. Hucuſque fere ad verbum Auctor memorati libri, cui titulus, *Antiquae Vrbis ſplendor*, de Baſilica & Foro Nervae. Paria habet Marlianus *Topograph. Vrbis Romae* lib. III. apud Graevium Tom. III. pag. 175. Donatus quoque *de Vrbe Roma* lib. 2. cap. 23. pag. 170. haec literis conſignavit: *Quaedam adhuc veſtigia in via publica ejus Foriypereſſe probabile eſt. Haec, duae ſunt columnae*

INDICULUS TABULAE III SAECULI I.

lumnae inſculpto marmoreo parieti egregii operis adjunctae : eodemque in loco ſuperioribus annis columnae majores impoſito epiſtylio , faſtigioque extabant, adjecto titulo IMP. NERVA CAESAR. *Quae deformatae , ac poene corroſae, Paulo V. Pont. Max. dejectae , ſectaeque ſunt in Tabulas marmoreas, ad Janicularem Aquae Bracchianae fontem extruendum , & exornandum* . Et Nardinus, *Romae Veteris* lib. III. apud eundem Graevium Tom. IV. pag. 1049. , loquens de Nervae Baſilica , *ſupereſt* , inquit , *adhuc magna pars muri e ſaxo quadrato , cum multis , & contra Architecturae elegantiam reductis , anfractibus : unde viae antiquae illi contiguae flexus iſtiuſmodi fuiſſe apparet , quos ipſa ſequi Aedificii ſubſtructio neceſſe habuit . Interius , pars prominet tribus ſubſtentata columnis ſtriatis , grandibus , & perpulchris , cum magnificentiſſimo epiſtylio e marmore : unde veterem Aedificii conjectare licet ſplendorem , atque magnificentiam .*

LAUS

LAUS DEO.

EXPLICIT

INDICULUS RERUM

QUAE CONTINENTUR IN TRIBUS TABULIS

PRIMI SAECULI

DEMONSTRATIONIS HISTORIAE

ECCLESIASTICAE QUADRIPARTITAE

Comprobatae Monumentis Pertinentibus

AD FIDEM TEMPORUM ET GESTORUM.

ERRATA. CORRIGE.

p. 901. l. 8.	fratrer:	frater.
l. 26.	reliquamus:	relinquamus.
p. 904. l. 17.	decicimum:	decimum.
p. 927. l. 6.	affitmat:	affirmat.
p. 932. l. 16.	Anaſtaſio:	Anaſtaſio.
p. 933. l. 3.	in haec:	in hac.
p. 947. l. 3.	*Juſtiam*:	*Juſtitiam*.
l. 4.	*Immortalitatiſs*.	*Immortalitatis*.
p. 949. l. 11.	*Abſeedite*:	*Abſcedite*.

p. 954.

ERRATA. CORRIGE.

p. 954.l.26.	Ego amen:	Ego tamen.
p. 989.l.25.	an. 1979.:	an. 1679.
p. 996.l.26.	neceſſaıio:	neceſſario.
p.1001.l.23.	*niſi*:	*niſi*.
p.1008.l.26.	*refererente*:	*referente*.
p.1019.l.21.	Beccleſia:	Eccleſia.
p.1034.l.ult.	Apapes.	Agapes.
p.1047.l. 6.	& ſaluiem, viam:	ſalutem, & viam.
p.1049.l. 2.	ſignum:	ſignum.
p.1050.l.23.	Ciampinis:	Ciampinius.
p.1061.l.ult.	eqq.	ſeqq.
p.1067.l.14.	nempe 46. & 47:	nempe 47. &. 48.
p.1068.l.ult.	ſuperbue:	ſuperque.
p.1069.l.16.	num. 48:	num. 49.
p.1084.l.19.	*ſquibus*:	*quibus*.
p.1088.l.ult.	*auctoritaſem*:	*auctoritatem*.
p.1093.l.23.	ſuppoſitia:	ſuppoſititia.
p.1126.l.20.	*maris*:	*Paris*.
p.1130.l.ult.	*S. Genoveſas*:	*S. Genoveſae*.
p.1131.l. 1.	*SS. Trinitatie*:	*SS. Trinitatis*.
p.1138.l.23.	praemonſtiarum &:	praemonſtratum eſt.
p.1155.l.13.	a Numiſmatribus.	a Numiſmaribus.
p.1158.l.10.	*operas*:	*opera*.
p.1166.l.10.	ſic nominatur:	ſic nominantur.
p.1170.l.16.	Haec Pitiſcus. Horreorum):	Horreorum: *Haec Pitiſcus.*)
p.1174.l.21.	*Antiocbo*:	*Antiocbo*.
p.1216.l.19.	*Numſm*:	*Numiſm*.
p.1229.l.18.	De hac ſubructione:	De hac ſubſtructione.
p.1252.l.17.	*Veſpaſia-*:	*Veſpaſiani*.
p.1257.l. 9.	*trimphales*:	*triumphales*.
p.1277.l. 6.	*ſupra qua*:	*ſupra quam*.
p.1315.l.21.	iu antica:	in antica.
p.1319.l. 5.	Coſulatum:	Conſulatum.
p.2336.l 16.	numerus 2565000:	numerus 25650000.
p.1349.l.16.	immitebantur:	immittebantur.
p.1351.l.27.	cum baſi.	cum baſi.
p.1354.l.22.	*Germanici*:	*Germanici*.
p.1357.l.22.	ſupius:	ſumptus.
p.1369.l.ult.	Imperarore:	Imperatore.
p.1421.l.23.	Dorum:	Deorum.
p.1429.l.16.	ubi ex ex immenſa:	ubi ex immenſa.
l.17.	Nevae:	Nervae.

AO1 1469376

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google